HERMANNI CONRINGII

EPISTOLÆ

hactenus ſparſim editæ, nunc
uno volumine compre-
henſæ.

De varia doctrinâ.

HELMESTADII
Typis & ſumptibus HENNINGI MULLERI
Academiæ Juliæ Typographi.

CIↃ IↃ C LXVI.

Cum privilegiis perpetuis Vicar. S.R.I.

SVMMA PRIVILEGIORVM.

CAutum eſt Privilegiis Sereniſſimorum Potentiſſimorumque S.R.I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringij cura ſcriptos vel editos, citra ejus heredumque conſenſum, intra limites Vicariatuum inprimat, aut alibi impreſſos divendat: pœna delinquentibus dicta amiſſionis omnium ejuſmodi librorum & ſolutionis decem marçarum auri. Prout latius definitur ipſis Privilegiorum tabulis.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

D. JOANNI FRIDERICO
DUCI BRUNSVICENSIUM ET LüNEBURGENSIUM

Domino meo clementiſſimo

FELICITATEM.

EPiſtolas meas huc illuc vagabundas uno volumine jam complexus, multum equidem, dubitavi initio, fa-

teor, num Serenisſimæ Celſitudini Tuæ conſecrare illas liceat. Nec enim non ipſemet deprehendo, quantum à Tuo abſint Principali faſtigio Epiſtolæ ad alios ſcriptæ, præſertim quum jam ſparſim editæ, & quia ſint non omnes ejuſdem Tecum ſententiæ, iſthac etiam de cauſſa oculos merito Tuos debeant fugere. Animavit me tamen ex adverſo illa à teneris mihi comperta, Celſitudinem ipſam Tuam longe ſuperans humanitas; qua ſoles videlicet rem quamvis oblatam non tam pretio ſuo quam offerentis animo æſtimare, quave me jam triginta amplius annos conſtanter es proſequutus, nullâ etiam diverſi in

qui-

quibuſdã ſenſus ergò enata offenſa.
Sed & ſaltim illa vagantium literarũ
collectio nova eſt, atque ſaltim ha-
ctenus novum opus ſiſto. Ea præte-
rea eſt argumenti & multiplicis do-
ctrinæ heic varietas, ut videatur pla-
ne iſthoc nomine haud alii temere
offerendus hic liber in clientelam,
quàm Principi, & omnigenam a-
manti doctrinam, & nulla non haud
leviter imbuto. Quin & illa fiducia
mea, quâ ductus publice auſum le-
genda exhibere à placitis quibuſdã
Tuis longè disſidentia, idque nullo
indignationis metu, non poterit,
ſcio, Tibi ingrata eſſe: quoniam cer-
tum eſt indicium, non adulantium
& captandæ gratiæ turpiter ſervien-

tium compoſito quodam te obſequio delectari, ſed amare potius ingenuam παῤῥησίαν: quæ virtus ſicut rarior ita ſolorum eſt Principum maximorum. Ne diſſimulem quid tamen, aliud quod in nomen Tuum ederem, convenientius fortaſſis & Celſitudini pariter Tuæ & teſtando in Principē affectui meo, nunc quidem deeſt: ſi diutius autem morer, veritus ſum ne haud ſatis officij memor queam exiſtimari. Enimvero ex quo reſartâ domi concordiâ contigit Sereniſſimæ Tuæ Celſitudini ipſamet paterni regiminis ſedes, & cum alijs inclutæ Academiæ hujus Juliæ Profeſſoribus ego etiam in leges ſolito majoris obſequij ſum receptus,

ceptus, non quidem non, ceu dominum mihi à Deo conſtitutum, ſanctiore Te hactenus reverentia privatim colui: officij tamen eſſe cenſui, primâ quavis occaſione in publicum ſimul prodere iſtam venerationem. Quî id facerem autem, noſtro quidem Academico more, niſi hoc conſecrato libello haud invenio. Quod ſi igitur minus ex decoro videar agere Epiſtolico hoc volumine dedicato, PRINCEPS OPTIME, animum tamen meum Tui cultui magis deditum quàm in vulgus probatæ elegantiæ, atq; adeo pietatis ſtudio nonnihil fortè agreſtius ſe gerentem, certus ſum haud improbatum iri. Si Deo placuerit annos æ-

tati jam in ſenium vergenti acceden-
tes integrâ impoſterum quoque va-
letudine beare, & meliora & aptio-
ra offerre haud equidem negligam.
Interea hunc uti librum ſolita gra-
tia ſaltim in obſequij arram excipe-
re, & me jam ſubditorum tuorũ in
cenſu benigne fovere, ne dedigne-
ris, etiam atque etiam rogo. Helme-
ſtadij Kal. Jan. Anno CIↃ IↃ C LXVI.
Quem cum ſecuturis plurimis pro-
ſperum felicemque Tibi tuiſque
PRINCEPS OPTIME decurrere velit
jubeat Altisſimus.

Sereniſſ. Celſitud. Tuæ
ad fidelia obſequia
devotiſſimus.
H. CONRINGIUS

BENEVO-

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

VOlumine hoc, Benevole Lector, nihil Epiſtolarum mearum comprehenditur; quod non jam ante ſparſim fuerit typis editum. Accenſitæ autem Epiſtolis ſunt & dedicatoriæ & quibus ad Lectores præfatus ſum libris meâ curâ vel confectis vel recenſitis. Non illarum omnes tamen hic ſunt additæ. Nec enim hic invenias, quæ præfixæ libris meis ſunt hiſce proximis annis undecim; ut proinde eius notæ ſuperſint compluſculæ, interque eas illa mole librum æquans Conſultationi Caſſandri præfixa, pro cauſſa Proteſtantium Eccleſiæ adverſum improbas criminationes. Reliquas omnes ferè heic exhibui: nec ab illis quidem abſtinens quas admodum adoleſcens, in Batavis adhuc ſtudiorum cauſſa degens, exaravi; etſi ab ætatis vitiis non ſint immunes, nec mereantur forte lectionem. Quantumvis autem plæræque harum literarum à memetipſo fuerint antehac publicatæ, atque adeo in id conſcriptæ ut ederentur: haud paucæ tamen ab amicis me inſcio & inconſulto

ſuerunt editæ antehac in locis diſſitis, cum familiariꝰ eſſent ſcriptæ & ſine ulla emendatione, imò vero ne quidem à me antehac relectæ, (quæ fere mea eſſe ſolet ſcribendi ratio:) ut non potuerint non minus habere τῆς ἀκριβείας. Ne nunc dicam, quod typographicæ operæ alibi fere omnia fœdis mendis conſpurcaverint, ſenſu ipſo interdum plane detorto. Eapropter ſane illas cumprimis recenſere ſum coactus, ſaltim ut mihi redderentur quæ vix poteram amplius mea agnoſcere. Non recenſui autem ſolas illas, ſed reliquas omnes. Multis etiam paſſim multa denuo inſerui; ita ut nonnullas fere noviter natas dixeris.

Ad hoc inſtitutum autem impulit me initiò amicorum auctoritas. Quanquam enim illorum laudationibus parum fidei abs me tribui ſoleat: impulere me nunc tamen amici, quia viſi ſunt non abs re dicere. Ideoque magis equidem rationibus motus fui quàm illa exiſtimatione amicorum, quæ cæteroquin alijs in rebus magni apud me eſt ponderis. Sunt nimirum Epiſtolæ illæ, tantùm non omnes, in varia doctrina omnigeni pene argumenti illuſtranda occupatæ, atq; adeo ad docendum aliquid idoneæ: eoque nomine hactenus placuiſſe ſcio viris etiam doctiſſimis. Quoniam vero nemini uni forte omnes fuerunt viſæ, imo ne auditæ quidem: ſed aliæ in

hujus

hujus aliæ in ilius manus inciderunt; prout quem traxit libri cujuſquam cupiditas: hinc lectio unius ac alterius incendit & reliquorum deſiderium, in ijs etiam, qui varijs iſtis libris quibus ſunt junctæ ſibi comparandis non perinde dederint operam. Ut illi quidem explendo deſiderio omnino neceſſaria fuerit collectio. Acceſſit quod Epiſtolarum bona pars una cum libris antiquioribus omnibus dudum tabernis librariis exciderit. Ac tametſi omnes libros meos ultima manu recenſere denuo conſtituerim; Epiſtolas tamen illas priores addere, quoniam & patroni amicive quibus eas inſcripſi jam obierunt ſuum diem, & Lectori impoſterum alia quædam nova narranda erunt, non videatur decorum. Aut perire igitur literæ illæ debeant aut denuo publicari. Ut patiar autem ego interire, quod & profuit & placuit ipſis doctiſſimis quibuſque, imo quod illi ſervatum cupiunt & ſibi deſiderant, hoc vero non fecerim ſine gravi crimine. Quoniam publicandæ igitur rurſum fuerint, quidni uno editio iſthæc fiat volumine? Enimvero quandoquidem libri, qui hoc proximo undecennio à me ſunt conſcripti, fere omnes adhuc ſuperant in tabernis noſtris librarijs, aut patroni eorum, ſaltim plærique, adhuc ſint in vivis; hinc ab Epiſtolarum, quæ iis libris

ſunt additæ, repetita publicatione nunc quidem mihi abſtinendum cenſui. Addidi autem illis abs me ipſo editis etiam, quas amici ſive conſcio me ſivè inſcio variis in locis ediderunt: quandoquidem nulla non & illarum in aliquo doctrinæ genere illuſtrando verſatur, in paucorum autem manus hactenus incidere potuerint dum ſparſim vagerentur, ipſi ex adverſo amici illas legi ab omnibus, ſua quoque intereſſe exiſtimaverint. Quamvis autem nonnullæ harum literarum ſolius doctrinæ avido lectori non æque ſatisfecerint, neque perinde ut aliæ, me etiam fatente, mereantur ſervari ab interitu; ſpero tamen (quoniam præſertim exiguus harum eſt numerus) reliquo utili corpori commiſtas non fore inviſas. Sint nimirum condimenti vice, etſi alere animum doctrinæ intentum nequeant. Me vero etiam coëgit pietas quam debeo magnis Principibus, ad quos fere ſolos illæ ſcriptæ ſunt, ut beneficiorum ab ijs mihi præſtitorum æterna, quoad licet, memoria, ſaltim iſtis literis rurſum publicatis, ad poſteritatem transferatur. Non eſt verò quod cui videar, ſine exemplo primus ego Epiſtolico operi præfationes miſcuiſſe, aut congeſſiſſe illas in unum. Utrumque enim dudum eſt factum magnis auctoribus, & Hieronymo ſcilicet &

cet & Auguſtino. Sed & τȣ̃ πάνυ Eraſmi integer liber ultimus immenſi Epiſtolarum voluminis non alterius eſt notæ. Ne nunc alios laudem ævi recentioris, qui præiverint. Illorum ſane ſolorum exemplum me etiam defenderit ab eorum reprehenſionibus, qui nec argumentum nec magnitudinem mearum Epiſtolicæ ſcriptioni ſatis convenire, fortè criminabuntur. Poſſim vero me excuſare etiam Platonis, Tullii, Ciceronis, Plinij, ipſorummet imo ſanctiſſimorum Apoſtolorum, & probatiſſimorum noſtri ævi Regum Principum aliorumque, exemplis. Quorum nemo non Epiſtolas ſuas interdum & ſeria doctrina totas occupavit, & in juſti pene voluminis menſuram extendit. Sed & quamvis haud ignorem quorundam cum veterum tum recentum Epiſtolici artificij magiſtrorum ſcita, & apud me magna ſit cumprimis Demetrii ad Ariſtotelem provocantis auctoritas, à quorum legibus multum equidem receſſi: ſimul tamen hactenus nullas mihi legum iſtarum rationes videre contigit, nec me fugit nullo plebiſcito nulloque conſulto ſenatus (ut ita loquar) ſtare illam arrogatam magiſtris dictaturam, nec tutò credi poſſe Demetrio de Ariſtotelis ſententia pronuncianti, cum multo ſit recentior ac Phaleræi perſonam mentiatur.

 Quod

Quod ſi ne ſic quidem ſibi ſatisfactum credant cenſores illi, per me licet, librum aut volumen appellent quæ mihi hactenus Epiſtola audivit. Nec enim de nomine cum quoquam altercabor. Debitam ſtili elegantiam me non aſſecutum, haud equidem ipſe diffitebor. Intentus ſcilicet tantũ non unice diſcendis docendiſq; rebus, verborum lenocinia minore hactenus ſtudio ſectatus fui. Et quidni haurias Latinitatem potius ex Ciceronis & Plinij fontibus quàm ex aliquo hujus ævi? Mihi abunde eſt ſatisfactum, ſi rerum aliquam notitiam ex meis hiſce Epiſtolis acceperis; dictionẽ ut ex aliis diſcas, ipſemet etiam atq; etiam ſuadeo. Hujus mei voti autem compotem me factum, erit pro argumento benevolentia tua Lector: ſi nempe eo quo hactenus libros meos alios hunc quoque Epiſtolicum favore exceperis. Quod ſi ſane haud diſplicuerit inſtitutum hoc, fortaſſis prompſerim & illas meas literas quas itidem de ſeveris negotijs exaravi (alias enim non moror) huc tamen uſque deliteſcentes. Vale ac Salve.

HERMANNI CONRINGII EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

ἀνωνύμως præfixa libro Iacobi Berengarij Carpi de Fractura cranij à ſe edito Lugd. Batavor. anno 1629.

IAcobi Berengarij de Fractura cranij librum hic tibi damus, Lector benevole: opus paucis hactenus viſum ſed à plurimis deſideratum. Fama certe eximij viri & cui multum adeo res medica debet, quemvis ad lectionem monumentorum illius ingenij debuit allicere. Sed delituerunt illa jamdudum tenebris prope obruta, ſive ſermo incomptior ſive aliud quidpiam, quo minus frequenter ederentur, obſtiterit. Namque hæc peſtis hodie lepidos multorum invaſit animos, ut niſi omnia verba ſeſamo conſpergas aut papavere, illos non habeas lectores. Adeo nempe delicatis ſunt auribus ut ad robuſtiorem voculam, quæve paulo aſperius membranam radit, nauſeent confeſtim & palleant. Digni hercles qui ſonos meros audiant non voces: Sed in vocabulis mentis conceptus, in conceptibus veritatem quærit ſeriæ eruditionis conſultus. Hanc ſi nanciſcatur, quacunque demum illa induta ſit veſte, lætatur: ut ſolet qui amica potitur, in lucro quaſi deputans ſi nitidè eam videat excultam. Idcirco & nos indignum rati ſtulta adeo de cauſa perpetui ſitus damnari nobile hocce doctiſſimi viri opuſculum, in lucem illud denuo producimus. In quo multa nova obſervata, multa obſoleta in artis uſum poſtliminio

liminio

liminio reducta, omnia longa firmata experientia reperiuntur. Ut haud immerito aurei titulo, tametſi non ſine exemplo majorum, à nobis ſit inſignitum. Curavimus autem ut quam emendatiſſime ederetur. Unde infinita propemodum, quæ ſive typographi ſive ſeculi vitio erant commiſſa, aut correximus aut ſuſtulimus: ita tamen ut infra audaciæ fines ſubſtiterimus; quam in ejuſmodi negotijs haud pauci nimium quantum exercent.

II.

Præfixa diſputationi de Origine Formarum editæ Lugduni Batavor. anno 1630.

Viris Reverendis Clariſſimiſq; GEORGIO CALIXTO & CONRADO HORNEIO, Philoſophis & Theologis in inclyta Academia Julia ſine exemplo maximis.

QUum hanc diſputationem Scholæ examini ſubiicere ſtatuiſſem, non opus mihi fuit longâ deliberatione, quorumnam nomini illa eſſet inſcribenda. Vobis enim, optimi præceptores, jamdiu debebam aliquod gratitudinis teſtimonium. Non quod arbitrarer ita me ſolutum iri ære veſtro, ſed ne forte debita mea negligere viderer. Fieri enim ſolet, ut cum non perſolvimus quod debemus, cogitemus tandem ne quidem debere nos quidquam. At mihi ſane merita veſtra altius hærent, quam ut oblivionem eorum capere poſſim: Volo tamen etiam ſuſpicione carere illius vitij quod totus deteſtor. Accipite ergo quod vobis offero, Viri maximi, mei in vos animi exiguum indicium. Quod veſtrum eſt reddo vobis à quibus accepi. Veſtra enim curâ ad ſacros Philoſophiæ fontes adductus ſum; ex illis, quicquid hactenus hauſi, ſcaturit. Docuiſtis me veritatem veris argumentis ponderare, non vanis hominum titulis. Sed ita non poteſt non eve-

nire

nire quin ſubinde à vulgi placitis paululum declinemus. Atque adeo contigit mihi illud in hoc ipſo negotio. In quo litigandum fuit cum viris quos ob eruditionem tantum non veneror. Attamen certus ſum, ſicut ab illis receſſi, ita ad priſci Lycei proceres me proxime accedere, à quibus illi abſunt longiſſime. Quare pervetera ſunt quæ trado licet primâ fronte videri nova poſſint. Hoc verò bona fide teſtor nulla gloriæ cupidine me ad hos conatus incitatum eſſe. Veſtræ autem cenſuræ omnia ſubmitto: illa vel ſtabunt vel cadent. Si tamen quid deliqui, dum veritatem avidius ſector æquis animis id condonetis, rogo. Qualiſcunque autem eſt labor noſter, mihi abunde eſt, ſi cultum quo vos proſequor declaraverim.

III.

Programma hoc Academicum additum eſt Laudationi Ariſtotelis editæ Helmeſtadij anno 1633.

NATVRALIS DOCTRINÆ STVDIOSIS.

ANnus hodie eſt & quod excurrit, cum Sereniſſimi Principis noſtri mandato, quæ ad Naturalium rerum cognitionem faciunt, juſſus docere, totum me illi muneri addicerem. Habueram jam tum eam, qua initiari ſolemus, publicam, vobis inter alios aures mihi commodantibus, PRÆSTANTISSIMI JUVENES, orationem; adeoque in eo jam eram, ut aggrederer provinciam demandatam. Sed cum alia quadam de cauſsâ Brunſvigam redire eſſem coactus, ea ſtatim inciderunt tempora, quæ non dicam de officio cogitare me non permiſere, ſed de ſolo etiam mutando haud raro (fateor) aurem vellicaverunt. Ac quæ illius quidem

dem temporis fuerit conditio, haud arbitror operæ eſſe pretium ut commemorem: quippe cum & mihi animus meminiſſe illorum exhorreſcat ac luctu refugiat, & vobis omnibus longè (proh dolor!) iſthæc notiſſima ſint: Cæterum mihi quam grave fuerit ac moleſtum, ita in ipſo muneris exordio ſtatim in exilium rejici, neque poſſum ſcribere, neque ſi poſſem, æquum ducerem nunc adeo iſthuc enarrare. Nam ſanè nihil mentior, ſi in votis mihi fuiſſe veſtro pro virili uſui prodeſſe affirmavero: tam verò benevolos mihi vos ſponte veſtrâ præbueratis, ut niſi omnem diligentiam meam veſtris viciſſim commodis redderem, meritò ingratus eſſem judicandus. Quapropter ſi dolorem, quem ab exilio iſto concepi ſtudeam explicare, ſimul veſtrum quoque erga me affectum, meumque illud votum cogerer commendare, id quod ut præſtitu ἀδύνατον eſt, ita conari non arrogantiæ minus eſſet quam ſtultitiæ. Sed quo moleſtius mihi hoc exilium fuit, eò jucundius eſt nunc videre, non tantum numero vos palmæ inſtar preſſæ auctos, verum etiam haud parum interea temporis in doctrina omni ac probitate confirmatos. Utinam vero queam ego ita vobis præire viam, ut & ipſe volo & à me fieri par atque juſtum eſt! Verum ego quidem non ignoro, quàm ſit in me ingenij perpuſillum, Naturæ autem cognitio tam lata eſt, ut iiſdem cum hoc univerſo terminis concludatur, tam abſtruſa, ut in puteo hanc veritatem concluſam deliteſcere ipſe olim ſit Democritus confeſſus, tam digna poſtremò atque excellens, ut hac rerum natura ceu præcone infinitam Dei Opt. Max. gloriam ſapientiamque enarrari, ipſis divinis monumentis comprobetur. Neque vero naturalem profeſſo philoſophiam ſatis eſt de motu aliquid, tempore ac loco, de generatione item ac miſtione, primâve corporum materiâ diſſerere, vel uno verbo intra communiſſimos iſtos limites ſeſe continere:

ſed

ſed ipſum quoque cœlum contemplandum, ac quicquid à terra in Lunæ uſque orbem porrigitur tranandum mente, in terra plantæ atque animalia, in aqua piſces atque cete, in utriuſque viſceribus metalla ac lapides, & ſi quid aliud claudunt venæ pernoſcenda ſunt, ut nunc de reliqua omnium rerum cùm multitudine tum varietate dicam nihil. Hæc verò omnia non perfunctoriè atque aliorum ſolum fide cognoviſſe, ſed ita ut aut demonſtrationibus, ſi id res ferat, aut ſaltem veroſimilibus argumento inſtructus, quod eruditorum eſt, quis non intelligit quam difficilè ſit ac arduum? Atqui tum demum patet illa naturæ majeſtas, cum in arcana iſta penetralia admittimur; quantumvis de omni hujus orbis parte rectè queat dici, quod de vili caſa Heraclitus fertur reſpondiſſe, etiam illic Deos commorari. *Equidem*, dicebat Romanus ſapiens, *tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video quæ publica eſt, ſed in ſecretiora ejus intravi: cum diſco quæ univerſi materia, quis autor aut cuſtos, quid ſit Deus, totus in ſe intendat an ad nos aliquando reſpiciat, faciat quotidie aliquid an ſemel fecerit.* Ipſe Claudius Galenus cum oculi ac manus præclarum illud artificium indagaſſet, profuſe in laudes artificis abripitur, non niſi de hymnis amplius ac hecatombis cogitans. Quomodo ante illum Strabo Amoſenus, maximæ homo doctrinæ, vel in illo aquarum poſitu ac mæandris, naturæ ſapientem divinitatem obſervaverat. Tanti ſcilicet eſt, non clauſis oculis aut bruto obtutu ſpectare hunc orbem, ſed animo attento atque exacto judicio intueri omnia & admirari. Atque ego quidem haud facile dixero, talem operam diligentiamque à quovis mortali naturam rerum magno quodam jure poſtulare; id certum tamen eſt ac longè veriſſimum non tantum non poſſe otij rationem melius quam hoc labore reddi, ſed æquum omninò ac par eſſe, ut quilibet ab ingenio fortunaque inſtructior, huc potiſſi-

mum, quod à morum officijs ſuperest temporis, conferat ac impendat. Eſt enim ſi quæquam alia longe hæc omnium liberaliſſima cognitio, jucunditatis verò ſupra quam dici poteſt maximæ, tum ejus utilitatis ut hæc ſcrutatio hymni vice à Claudio Galeno æſtimata ſit. Canit Poëta:

Os homini ſublime dedit, cœlumq́ tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Seneca cum protuliſſet, quæ modo laudabamus, *Niſi ad hæc, ait, admitterer non erat pretium naſci.* Quin nemo olim paulò cultior ac ſapientior non apud Græcos modò, ſed Ægyptios etiam, Chaldæos, Perſas atque Indos non hoc in negotio omne ſuum otium collocavit. Maximus ille ac ſapientiſſimus regum Salomon hoc quoque commendatur titulo, quod diſputaverit de lignis à cedro Libanitica ad hyſſopum uſque ſpontanea generatione de pariete prodeuntem, quodque de jumentis, volucribus, reptilibus ac piſcibus diſſeruerit; quorum utrumque noſtræ eſt philoſophiæ quam profitemur. Cæterum non eſt propoſitum mihi vel philoſophiam hanc laudare in præſentiâ, vel ad ejus ſtudium vos adhortari: Tantum quo tenuitatem meam vobis apertius confiterer, de amplitudine, obſcuritate, atque dignitate demandati mihi muneris, unum alterumque verbum volui adjicere. Et ſanè eam ego provinciæ meæ difficultatem pariter meique exilitatem ingenij experior, ut deſperandum mihi foret, niſi in communi mortalitatis noſtræ ignorantia ac veſtra imprimis in benevolentia, O OPTIMI, ſolatium aliquod ac præſidium invenirem. Noſtram autem ſortem ſpectanti ſurgit animus, vos verò videnti etiam quidvis pro virili audere compellitur. Nam non veniam tantum errorum mihi polliceor, ſed amorem quoque veſtrum, vel ſolâ diligentia confido me impetraturum. Atque ego quidem, ſicut eruditionem aliquam mihi non arrogo, ita ſtudium atque ſedulitatem

litatem audeo vobis polliceri. Ideoque nec quos vobis debeo labores procraſtinando differam ulterius, ſed die ſtatim hodierno hora IIX. matutinâ, in Auditorio Novi Julæi maximo (quod felix fauſtumque eſſe jubeat ille, à quo omnis felicitas promanat) publicarum recitationum exordium faciam. Aderunt igitur quibus volupe eſt varium illud ac pulcherrimum Dei artificium contemplari, qui nihil homine indignius cenſent, quam plebis atque pecudum inſtar natura rerum frui, qui poſtremo nec ſeipſos plane volunt ignorare. Ego ſicut hoc meo in munere diligentiæ aliquid non patiar deſiderari, ita nihil etiam porro quod veſtrum poſſit in commodum facere intermiſſurum me ſpondeo. Valete ac favete. P. P. Helmæſtadij. x. Novembr. Anno CIϽ IϽ C XXXIII.

IV.

Præmiſſa Laudationi primæ Ariſtotelis editæ Helmeſtadij anno 1633.

Viro Magnifico, Nobiliſſ.^mo Clar.^mo q; ARNOLDO Engelbrecht ICto, Sereniſſimiq; Brunſvicenſium & Luneburgenſ. Ducis Cancellario.

QUi hominem primi parvum mundum dixere, ARNOLDE Engelbrecht / *Vir Magnifice Nobiliſſimeq;*, præclarum illi ſane ac permagnum quid ſuo animo agitarunt. Neque vero ad corporis hanc ſtructuram, ad hanc carnem, hæc oſſa, quod quidam exiſtimant, reſpexerunt, ſed altius penetrantes, de eo quo vivimus mortales ac ſapimus locuti ſunt. Enimvero geſtat mens noſtra haud vanam vel exiguam magni hujus univerſi ſpeciem, ſed cum parte alia tum infinita illa capacitate exactè illud refert exprimitque. Etenim, ingenti certe miraculo, ceu prima illa, quam vocant, rerum materia

materia innumeras exhibet diverſitates, haud aliter humanus intellectus innumeram ſcientiæ copiam recipit. Nec tamen divitijs illis gravatur aut moleſtiam capit, ſed exultat quaſi, inque ſe revolutus novum ſubinde ſibi fœtum gignit. Cæterum iſtiuſmodi licet theſaurum ſuo quiſque pectore gerat, paucos tamen oppidò reperias qui divinitatis ſibi conſcij ingenium ſuum admirentur. Itaque plurimi arant, ædificant, amiciunt cutem, edunt, bibunt, ludunt, faciunt rem, ſummum ſibi aliquem locum ſtruunt, quaſi tantum horum aliquid agere ſua in poteſtate ſit. Sunt & nihilominus apud quos animo pretium eſt; ſed videre quoſdam etiam horum licet aut religionum ſectis ſe addicere, aut fori verſutijs impalleſcere, aut remediorum aliquid ægrotis quærere, aut de natura quædam moribus ac republica diſſerere, ſuis unice ita deditos, ut dum reliqua contemnunt etiam ſua vix diſcant. Horum tamen qui aliquantillum didicit, ille excoluiſſe mentem creditur, eoque paſſim in vulgus Sapiens audit ac ingentis cujuſdam eruditionis. Atque illis quidem fortaſſis licet quocunque alio titulo ſuperbire; id dolendum tamen eſt ac deplorandum, eorum exemplo vim optimis ingenijs fieri, quæ ad ſumma quæque contenderent, niſi ſuas vires aliorum ignaviâ aut infortunio metirentur. Quum enim videant vulgo non uſque adeo altè aſcendi, ne altius quidem aſcendi poſſe arbitrantur. Ideoque excelſum illum animum levibus quibuſdam curis ſubmittunt, ac intra peranguſtos unius cancellos doctrinæ divinitatem ſuam conſtringi patiuntur. Equidem haud diffitebor, omnes eodem pervenire haud poſſe: multoſque ſeu infelici naſcendi ſorte, ſeu maligna inſtitutione, ſeu vitæ calamitatibus ad humilia admodum vota deprimi, quibus nemo non merito ignoſcet. Sed excitatas illas altaſque mentes, quaſque fortuna ſecundior aſpicit, plebis conſuetudine, ceu tyrannide quadam, ad

tenuia

tenuia iſthæc ac vilia adſtringi, id vero grande neſcio an non nefas ducendum ſit. Certe operæ fuerit pretium erigere animos melioribus exemplis, atque ſuarum eos virium admonere, ne deſperatione ducti primo in curſu fatiſcant, ſed quoad poterunt progredi connitantur. Ac mihi quidem in proclivi fuerit haud paucos una ex Julia noſtra cum vivos tum mortuos in exemplum adducere: poſſim & Te dare, *magne Engelbrechti*, qui nonniſi, poſtquam ante per omne genus eruditionis animum diffudiſſes, nunc in optima, quæ Reipublicæ præſidet, philoſophia conquieſcis. Tu profecto juxta alios illos oſtendiſti mortalibus, quam patens ſit ingenij campus, quàm ingentes ejus vires, quamque illud verum ſit, parvum anguſto iſthoc in pectore mundum agitari. Verum enimvero Te alioſque vivos plebeiæ illi tyrannidi objicere, invidiæ fuerit pleniſſimum ac obtrectationis. Itaque nunc quidem unum Ariſtotelem produxiſſe in hanc ſcenam ſatis ſit, quem nihil quicquam latuiſſe, quod in precio eruditionis ea quidem tempeſtate fuit, non ita pridem oſtendimus. Hujus enim magnitudo meta eſt melioribus animis; diſcuntque aut in æmulationem gloriæ aſſurgere, aut tenuitatem ſuam hinc æſtimantes non efferre ſe ſuperbo doctrinæ ſupercilio. Cæterum quæ de maximo illo viro dicta mihi publica in corona ſunt, non ea quidem in nomen Tuum edi commerentur, *magnifice Engelbrechti*, haud alij tamen quàm uni Tibi fas eſt conſecrari. Tua enim dum in familia dego iſthæc mihi nata ſunt, Tuoque inprimis favore ea mihi dignitas obtigit, cujus legibus ad dicendum compulſus ſum. Itaque ego quidem vim nunc facio pudori meo, qui ineptias iſtas Tibi adfero, cum ſummi judicij viro, tùm maximo oratori. Attamen hujus veniam facti non apud Te minus impetraturum me confido, quam meæ in dicendo audaciæ à Julia noſtra obtinui. Neque enim difficilem ſe mihi

præbebis, cui hactenus multum adeo indulſiſti: neque ego hæc meæ erga Te obſervantiæ ſignum eſſe volo; ſunt enim nimis vilia: tantùm legi iſthæc ad nominis Tui aram in votis eſt.

V.

Præmiſſa Laudationi ſecundæ Ariſtotelis editæ cum prima anno 1633.

Clariſſimo Viro, CASPARI BARLÆO Philoſopho, Medico, & Poëtæ.

MAgna ſemper laus Ariſtotelis fuit, Clariſſime BARLÆE, ac ſancta apud omnes penè eruditos auctoritas. Quanquam enim nunquam defuerint inepti & maligni canes, qui tantam famam allatrarunt: perpauci tamen illi ſunt, doctorumque ſtatim ſententiis condemnati. Ita integra huc uſque ſtetit, perque bis mille annos exiſtimatio illius viri propagata eſt. Sanè nullum eſt dubium, arcano id numinis beneficio contigiſſe, quo ſapientia quædam eximia in mortalitate hac noſtra inveniretur; nam ex Ariſtotele profectò cumprimis eam petere licet, quod hic ingeniis noſtris quaſi metam fixerit. Nec tamen in verba ejus jurandum eſt ſcientiæ affectatori, aut in ſolidæ eruditionis titulo collocandum placita hujus intelligere. Hic enim non cultus eſt ſed inanis quædam ſuperſtitio, nulli magis quàm Ariſtoteli ipſi inviſa quondam atque improbata. Non ſane myſtes Lycei eſt qui magiſtri callet ſententias, ſed qui acri judicio proprias ſibi illas reddidit. Tantum ſcilicet ſapimus quantum judicio noſtro ſumus aſſecuti: quæ vero auctoritati ſolum alicujus innititur cognitio, gerit illa quidem eruditionis ſpeciem, nihil tamen aliud quam ſpeciem atque inanem umbram. Igitur ſatis fuerit Ariſtotelem principis loco in eruditis habere; non qui dictator ſit, (neque enim dictaturam admittit

admittit res literaria) ſed qui primo loco ſententiam dicat, à qua inferioris ſubſellij hominibus non facile ſit recedendum. Vtinam vero iſthoc ille apud omnes loco eſſet! Nunc etiam in laudatoribus ejus invenias qui quemvis potius alium & conſulunt & audiunt quàm hunc quem ipſi principem confitentur. Alij magno quidem illum in honore habent in reliquo tamen eruditiſſimorum ordine tantum collocant, & multa quidem neque inania ejus admirantur, non tamen eum qua parte maximus eſt ſuſpiciunt. Sed illos fortaſſis ipſa Ariſtotelis magnitudo deterret propiuſque vetat accedere: neſcio tamen an non & illa ſe ſubmittat tandem, ſi quotidiano uſu familiarior fiat. Operæ certe pretium videtur, quum poſſis, principem ipſum potius adire ac ſectari, quam ſequioris illos cum prudentiæ tum auctoritatis homines. Horum verò bona quidem mens æquum ſanè eſt ut erigatur, quo autem ſunt errore imbuti eximendus ille eſt & tollendus: intereſt enim publicæ rei ut Ariſtotelis principatus innoteſcat plurimis, & ab obtrectationibus vindicetur. Atque ego quidem *Clariſſime Barlæe*, jam ante id conatus, nunc vero & prolixius perſecutus ſum, quod potiſſima tunc afferre tempore prohiberer. Nec tamen meo me voto ſatisfeciſſe video, partim quod ſupra vires ſit argumentum illud, partim & cumprimis ſanè quia in ſuſpicionem aliquam ſiniſtram ſentio hunc conatum meum trahi poſſe. Ita enim forte videbor nonnemini Ariſtotelem laudaviſſe, ut reliquos omnes viros longe eruditiſſimos contempſerim ac naſo ſuſpenderim: quod uti per ſe crimen magnum, ita in juvene profecto deteſtandum eſt. Atque ego quidem poſſem me ſolo bene ſibi conſcio animo tueri: malim tamen potius iſthæc omnia delere quam tanti in ſceleris opinione vivere. Cæterum ſpero æquiorem quemvis facile mihi veniam donaturum, cum à me nihil ſit adeo magnum Ariſtotelis in lau-

dem dictum, quod non infra illa eſt quæ ab alijs profuſa abunde ſunt. Pauci enim ſane qualibet in eruditionis parte ptimas Stagiritæ non concedunt, qui quidem ſuis ſupra vulgus meritis eminent. A me vero nihil aliud præſtitum, quam quod principatum illum, cum id inſtitutum requirerèt, demonſtrare ſim aggreſſus, non autem nude & ſine argumento prædicaverim. Vtinam vero id exequi licuiſſet, ut tamen nec per eruditionis item ſpecies, nec alios adducerem in contentionem? At quæ illa febriculoſa laudatio fuiſſet? Sane aut riſui me exponere neceſſum fuit, aut cum Ariſtotelis magnitudine non plebs ſed flos ipſe ac medulla doctorum conferri debuit. Neque enim ſine Ariſtotelis ignominia ſolum potuit vulgus adduci in hoc certamen, cum conſtet literatiſſimos quoſque ab hoc eſſe ſuperatos. Nec tamen contemnitur qui infra Ariſtotelem collocatur: quum veteres quidem (uno forte Platone excepto) omnes communi calculo ſuperati ab illo cenſeantur, noſtrorum autem ſanior nemo præ Ariſtotele unquam primas ambiverit. Atque haberi eo loco quem ambiiſti ſine injuria profecto ac contemptu eſt: ſi vero communi ſum deceptus teſtimonio, unum me hanc culpam luere indignum fuerit. Quanquam poſſit me fortaſſis & genus illud cauſæ in quo verſatus ſum excuſare. Vt enim in forenſi aliquo loco exilem feras ſermonem: laudatio tamen omnis cothurnis ſolet ire & ampullatur: neque dubitari poteſt quin hoc in genere qui regnat ſpiritus etiam invitis nobis ſonantior excidat interdum ac tumidior. Sed ludo fortaſſis operam *Clariſſime Barlæe*, quum nemo Te rectius Ariſtotelis queat celſitatem æſtimare, nemini certe notius ſit laudatio quid poſtulet non hominum amplius ſed heroum. Itaque fruſtra ſum cum me apud Te defendo, nec tamen potui id non agere impellente me hoc animo, qui ut ſcelus illud horret ita & ſuſpicionem ejus, etiam

etiam ubi non opus eſt, conatur avertere. Cæterum Tu, quo non tantum æquo ſed & propenſo in me animo es, facile me iſthac parte excuſatum habebis: utinam autem & reliqua Tibi ita probarentur? Mihi ſane nihil fuerit acceptius quàm Tibi Tuique ſimilibus, hoc eſt viris maximis placuiſſe. Quod ſi illud nequeam impetrare, probabitis tamen ſpero hunc conatum, & errantem me reducetis in viam. Tu profectò, *optime Barlæe*, nihil non ages, ſcio, meum in commodum; quum totis quinque annis atque ultra & tu meum exploraveris animum, & ego magnum Te rebus meis præſidium ſemper expertus ſim. Vale. Ex Academia Julia.

VI.

Præfixa Leſſo ſive carmini Heroico funebri in obitum Dorotheæ Principis, editi Helmeſtadij anno 1635.

Sereniſſimo Principi ac Domino Dn. AVGVSTO Duci Brunſvicenſi & Lunæburgenſi, Domino ſuo Clementiſſimo.

SEreniſſime Princeps, Domine clementiſſime. Dolor Celſit. T. ſicut plurimorum lacrymas expreſſit, ita ad ſeſe illum maximo quodam jure pertinere Academia noſtra judicavit. Quamvis enim vulnus illud domeſticum queat videri, nec extra Celſit. T. penates ſe extendens: pietas tamen damna Principum ſua credit, & quæ illis privata ſunt in communes affectus diffundit. Tum vero longe maximum hoc Celſit. T. diſpendium eſt: utpote quo ſubditis incutitur metus Principem amittendi ſobolem, atque adeo ſpes fortunæ potiſſima haud leviter attentatur. Nobis ſane non potuit non iſte caſus graviſſimus videri, quod præter publica mala in acerbiſſimum luctum mors optimi Principis & unici

Academiæ Patroni ac Domini noſtri FRIDERICI VLRICI jam ante nos conjeciſſet. Ideoq; tum quidem verba exprimendo dolori deerant. Celſ. autem T. ſolari difficillimum fuit. Fortaſſis autem & indignum ſit conari ſolatio flectere erectas illas & excelſas animas. Equidem ne nunc quidem id à me impetrare potui, etſi quid Principi debeatur quantumque illi obſtricti ſimus minores, nequeam ignorare. Quapropter etiam quum tanto in omnium luctu mihi quoque omnino non eſſet ſilendum, leſſum potius malui canere, quam exquiſita doloris ſolatia conſcribere. Atque nunc quidem eundem etiam Celſ. T. exhibeo, non quod dignum illum cecinerim qui in conſpectum Principis prodeat, ſed quod argumento ſuo non alteri magis lectori debeatur. Nam equidem nunquam paupertatem ingenij meamque in poetica tarditatem diffitebor; non permittam tamen, à Principe & literato quidem literarumque Auguſto patrono (qualis certe T. eſt Celſ.) obſequium meum deſiderari. Sane hunc ſi affectum Celſ. T. probavero haud leve me pretium operæ conſequutum arbitrabor.

VII.

Præfixa Taciti de moribus Germanorum libelli Helmeſtadienſi editioni & primæ anni 1635 *& ſecundæ anni* 1652.

Sereniſſimi Principis ac Domini Dn GEORGII Ducis Brunſvicenſium & Lûnæburgenſium Domini ſui clementiſſimi, Natu maximo Filio CHRISTIANO LVDOVICO ſummæ exſpectationis Principi.

Maxima capitur voluptas ex hiſtoria.

VOluptatem ſummam ex hiſtorijs qui negat capi, *Princeps CHRISTIANE LVDOVICE*, næ ille aut numquam

eas legit vel audivit, aut vero excors eſt nec ſincero ac liberali quodam animi affectu commovetur. Nam videmus quidem alios ventris turpibus illecebris, alios nummis quærendis, alios honoribus parandis ita deditos atque occupatos, ut nihil præter hæc faciant flocci aliaque re nulla delectentur. Verum illi quum nihil homine dignum ſapiant, extra humanitatis fines cum ventre ſuo ſuoque auro atque honore ſint proſcripti. Sed qui vere homo eſt, illum arbitror non poſſe non hiſtoriarum lectione vehementer affici. Præterquam enim quod vulgus experimento id habeat cognitum, cauſſam ejus delectationis philoſophi viri non ignorant. Quum nimirum hominibus nobis ingenitum ſit ſciendi deſiderium, idque vel externis ſenſuum inſtrumentis vel arcana mentis agitatione expleatur, alterius notitiæ mirum eſt compendium hiſtoria, alterius quaſi manuductor. Quæcunque enim ſenſus percipiunt, ſive illa res ſint naturæ ſive negotia humana, iſthæc omnia exponit oculis hiſtoria. Neque vero tantum levia quædam aut obvia iſthoc licet quaſi in ſpeculo cernere, ſed quæ multis ante ſeculis, inque remotiſſimis ſunt terris viſa, imo quæ intra paucorum conſcientiam ſteterunt & nocte teſte ſunt geſta, aperta hîc in luce oſtenduntur. Nihil hic arcanum, nihil clauſum, nihil tam ſanctum aut venerabile quod abigat oculum curioſum: nihil porro tam plenum periculi quod non noſtra ſine diſpendij parte queat agitari. Naſcitur ergo delectatio ceu ex rerum miraculis coram palpatis, & creſcit illa eo maxime, quod ante incognita eaque cum multa tum uno quaſi momento ita ſit addiſcere. Non enim ſigillatim & pauca ſpectanda hiſtoria præbet, ſed & monumento unico & plurima exhibet res diverſaſque τὸ δὲ μανθάνειν ῥᾳδίως ἡδὺ φύσει πᾶσιν ἐστὶν, ut recte pronunciat Ariſtoteles. Hæc adeo cauſſa eſt quur multi nulla æque re capiantur quam hoc ſtudio: non quod fructum ali-

Cauſſa ejus voluptatis quænā ſit.

Lib. III. Rhet.

quem

Propter ingentem illam iucunditatem quidam totos ſe dant hiſtoriis: perperam tamen.

quem hinc ferant, quod animus incredibili voluptate ſemel illectus, ſuaviſſimo hoc pabulo nequeat ſaturari. Verum illorum hic labor fortaſſis non caret juſta reprehenſione, etſi in illo ſoli liberalis ingenij homines occupentur: adeoque videri poſſit decere quemvis libera natum conditione. Facile quippe in ijs, quæ ad vitam aut neceſſaria non ſunt aut non perinde utilia, non minus quam in alijs intemperantia laboratur: deſinitque tandem ſæpenumero hæc diligentia in Appionis aut Dydimi curioſam quandam vanitatem. Nec tamen ignoro olim hoc ſtudium præclaris philologiæ, literaturæ imo eruditionis nominibus appellatum, hodieque reperiri qui in eo arcem ac palmarium doctrinæ omnis autumant collocatam. Verum hi quidem quantum fallantur haud difficile perſpectu eſt: quin tamen à libere nato homine, etſi non omnino, aliquatenus tamen attingi iſthæc debeant non eſt dubitandum. Habet ſcilicet in hujuſmodi rebus locum, illud quod de Philoſophia minus recte olim Neoptolemus Ennianus pronunciavit. *Philologandum eſt* (liceat ita nunc loqui) *ſed paucis; nam omnino non placet*: Fortaſſis tamen & ſocietatis humanæ intereſt, quoſdam melioribus nonnihil relictis totos ſeſe ſequioribus impendere: quo ingenio nonnullos etiam natos cernimus; quos eapropter Antiſthenes haud inſcite Penelopes procis comparabat. Sed de his alias. Illud certum eſt: hiſtoriæ jucunditatẽ illam maximam, ſi non aliunde, hinc tamen dependere, quod ſit compendium eorum omnium quæ ſenſu quondam percepta ſunt. Eſt vero præter illam alia nobiliorque amænitatis iſtius cauſa. Quum enim ſcientiæ atque artes omnes, ſolas ſi mathematicas quas puras vocant, exceperis, experientia rerum ut quam maxime indigeant, neque ſine hac ullam earum liceat aſſequi, hinc jam neceſſitas etiam ſumma hiſtoriæ oritur, veluti quæ exhibeat complexum aliquem experientiæ cujuslibet generis.

Fructu etiam ſuo magnam eſſe hiſtoriam.

Neque

Neque vero datum eſt hominibus natis omnia per ſeipſos explorare, ſed multa certis aliorum teſtimonijs accipienda ſunt; quæ porro conſenſu meliorum jam ſunt conſtituta, illa vocare in dubium non niſi impudentis fuerit. Igitur mirum quantum adferat lucis doctrinæ cuilibet, ea quæ illi reſpondet hiſtoria: ceu naturali philoſopho naturalis, aſtronomo cœleſtis, civili civilis, medica medico, ſingulis ſua. Manuductrix igitur ſeveriorum ſcientiarum eſt hiſtoria, tantumque parit delectationis quantum ſcientiæ atque artes quælibet largiuntur. Sed hanc ejus voluptatem atque hunc illius fructum percipere non eſt cujusvis. Tantum enim ijs id conceſſum eſt, qui communes leges atque præcepta univerſalia aut ipſimet ſuopte ingenio norunt exſtruere ex ſingularibus eventis, aut vero à magiſtris hactenus ea didicerunt, ut ad abſolutam omnibus numeris rerum ſcientiam nil præter experimenta poſtuletur. Horum vero primum perquam eſt difficile, ſcientias enim condere excelſæ eſt operæ & animi peracuti. Ea certe ratio eſt, quur multi civilem prudentiam fruſtra ex hiſtoricis monumentis petant: quos videas optime quidem dicta factaque identidem inculcare, ſæpe tamen numero in rem præſentem transferre quæ nihil attinebant, quod cauſas & occaſiones & circumſtantias eventuum haud ſatis curate advertiſſent. Fidem autem eorum quæ à magiſtris ita univerſalius fuere pronunciata exigere ad hiſtoriam, (quod ſecundum erat) id vero ut magna caret difficultate, ita ad perfectam exactamque notitiam rerum quarumcunque per eſt neceſſarium. Quid enim facilius aut quid jucundius, quam ea quæ quodammodo confuſa animo circumfers, numquam viſa, credita tamen, ceu clara in luce per partes conſpicere? Quis vero auſit profiteri certo ſeſe id ſcire quod hactenus nullis uſurpatum ſenſibus, magiſtri tantum auctoritate fuit perſuaſum? Parum vero inter-

Quibus & quomodo liceat illum fructum capere.

eſt ad fidem, tuiſne oculis rem videris, an ab aliis viſam certa acceperis narratione. Tali ergo diſcipulo hiſtoria quaſi lapis eſt Lydius aut amuſſis quædam, ut quæ experientiæ compendium ſit, ad quam omnes leges omniaque præcepta ac pronunciata communia explorare quemvis abſolutæ eruditionis affectatorem oportet. Cæterum quam expedita ſit altera hæc & poſterior via quæ à prudentiæ præceptis ad hiſtoriam pergit, præ illa quæ vulgo commendatur ab hiſtoriis ad præcepta ducens, quamque conveniat magis civilis ſapientiæ tyronibus, alias luculente oſtendimus: nullum tamen eſt dubium quin hiſtoriarum peritia non dico utilis ſit ad comparandam illam prudentiam verum per etiam neceſſaria, quacunque tandem via graſſari ad illam fuerit libitum.

Etſi hiſtoria jucunda ſit, atque utilis, non omnem tamen placere omnibus.

Atque hactenus quidem omnes paulo moratiores conveniunt conſentiuntque: omnes enim & jucunditatem illam maximam & ad civilem comparandam prudentiam utilitatem agnoſcunt atque confitentur: porro vero euntibus diſſidentes licet ſententias obſervare. Quum enim immenſa quædam hiſtoriæ amplitudo ſit, per omnes ſcilicet res mortalium porrecta, alii ad omnem feruntur ſine diſcrimine, alii hanc aut illam ſibi ſeorſim addiſcendam ſumunt, reliquam contemnentes. Quoſdam ſane videmus patriam hiſtoriam ſolam commendare, quoſdam contra peregrinam aliquam, ut Romanam ac Græcam patriæ rebus præferre. Fortaſſis autem complures affectu magis, ut fieri aſſolet, ducuntur quam certo aliquo & ſano conſilio. Accuratius tamen rem omnem intuentibus facile apparet, ſi voluptatis ſolius gratia ſit tractanda hiſtoria, perinde fortaſſis eſſe ad quamnam feraris dummodo delectet: quamquam id valeat cumprimis quæ & varia maxime eſt & res narrat multum à vulgari conſuetudine remotas; talia enim jucunda ſunt maxime. At qui

per

per hiſtoriam ad prudentiam atque rempubl. affectant viam, ijs liquet delectum aliquem obſervandum eſſe, neque enim quævis pari ad illam ratione eſt utilis. Qualis vero ille delectus eſſe debeat, quove ſit conſilio inſtituendus, ſic forte habendum eſt. Rempublicam aliquam prudenter curaturum ſumma ope niti decet, ut ante omnia noſcat prudentiæ leges ac præcepta in communi, deinde vero ſuæ illius reipubl. naturam atque conditionem. Plane ſicut artem medicam facturo mihi neceſſarium eſt, & præceptorum artis & ægroti habere notitiam. Vtrumque expoſcit hiſtoriæ auxilium. Nam quin ad prudentiam illam communem parandam neceſſaria ſit, nullum eſt dubium: qua vero ratione bene quis conſulet privatim huic aut alteri civitati, quomodo recte ejus erroribus medebitur, quomodo ſaluti ejus proſpiciet in futurum; niſi quibus initijs illa ſua civitas creverit, quæ vitia illam olim corruperint, quei in illa jura ac leges quibus in præſenti utitur conſenſerit, habeat in numerato? Haud dico, nullum conſilium rectum dari poſſe ab eo qui iſthæc ignorat. Summam reipublicæ, aut totam illam, curari recte poſſe ab ejuſmodi quodam homine, inficior. Scilicet etiam hac parte ſimilis medico prudentiæ conſultus eſt. Vulnus ille inflictum ſanat haud perſpecta omni ægri conditione: de valetudine tamen tota deliberare, eique omni ex parte proſpicere non poteſt, niſi univerſum valetudinis ſtatum à primis incunabulis animo comprehenderit. Quid? quod ne majoris paulo momenti affectum aliquem medicus temere ſuſcipiat curandum, non ante præmiſſa corporis integri cura. Omnino autem geminus medico homo vere politicus eſt: ideoque nec toti reipublicæ nec nobiliori ejus parti manum audet admovere, niſi ante memoria comprehenſis reipublicæ illius rebus, ijsque ab ovo, uti ita loquar, repetitis. Vnde conſequens eſt primo, hiſtoriam ejus reipublicæ, cui præeſt quis

Quæ hiſtoriæ volvendæ illi qui ad rempub. adſpirat.

quis ſive auctoritate ſive conſilio, eſſe omnino neceſſariam in republ. verſanti homini, negligi certe haud poſſe ſine publico detrimento. Nec tamen plærumque ejus cognitio hiſtoriæ tanti eſſe momenti ſolet, ut ad prudentiam ipſam civilem qua confirmandam qua parandam ſufficiat. Eſt enim amplus prudentiæ campus, ut qui popularem, optimatium, regiamque omnem gubernationem comprehendat: eſtque ergo illius qui ad omnem adſpirat prudentiam officium, per hiſtorias ire non regnorum duntaxat, ſed & popularium, optimatiumq; ſtatuum: vel ſi ſeorſim ex. gr. regiam adminiſtrandi rationem velit noſſe, regnorum multorum par eſt ut conſtitutiones inſpiciat, ac obſervet. Atque ſi rerum ſcriptores omnes ſuo feciſſent ſatis officio, non aliud fortaſſis porro inter hiſtorias, quantum ad hunc quidem ſcopum attinet, diſcrimen eſſet obſervandum, quam quod ab ipſis eſt rebuſpubl. quarum aliæ prudenter aliæ imprudenter adminiſtrantur. Quin enim cognitio prudenter adminiſtratarum civitatum debeat præpollere, dubium nullum eſt; quanquam & errores videre imprudentium, haud parum ad prudentiæ faciat complementum. Verum enimvero raros hiſtoriæ ſcriptores eſt cernere, qui ſcribendi præcepta aut intelligant aut obſervent: quod aut affectu præpediti devient à veritate, aut præ judicij tenuitate non penetrent in abditiora rerum, aut denique animo viriliter concepta pueriliter eloquantur. Tres enim ſunt hiſtorici virtutes: veritas, prudentia, atque eloquentia; quæ ut magna per ſe ſunt ita raro ſociantur. Conſtat vero facile, ei cui propoſitum eſt prudentiam ex hiſtorijs capere, maxime verſanda eſſe monumenta quæ prudenter conſcripta ſunt, h. e. quæ non modo caſus eventusque rerum ſed cauſſas etiam rationeſque exponunt. Præclare enim Polybius: ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις καὶ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ

Quænam hiſtoriæ ſint legendæ ad prudentiam civilem comparandam.

Lib. III.

καταλει-

καὶ τὸ λειπόμενον αὐτῆς. ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίνεται): *Ab hiſtoria ſi quis auferat, Quare, Quomodo, Quo fine quodque ſit geſtum & an ex ratione ſatis ceciderit; quicquid in eo reliqui, id ludicrum magis erit, quàm doctrina.* Quinam vero ſcriptores hanc laudem ſint conſequuti, rectamque hiſtoriæ viam calcaverint, alterius eſt inſtituti docere: nobis nunc ſufficit oſtendiſſe, illi qui ad rempublicam appellit animum, primo hiſtoriam ejus reipubl. cui ſuam operam addixit: deinde & peregrinas prudenti ſtilo exaratas omni ſtudio diligentiaque volvendas eſſe.

Ego ſane, SERENISSIME PRINCEPS CHRISTIANE LUDOVICE, quum bene me de republ. meriturum exiſtimarem, ſi, tametſi aliud mihi ipſi genus vitæ elegerim, ingenioſos aliquot adoleſcentes ad civilem illam prudentiam manuducerem, ſimulque patriæ recte curandæ præpararem; hanc ipſam viam hactenus inſtiti, atque hoc tramite ſum progreſſus. Initio quippe omnem cujuſque civitatis, qua illa cunque tandem facie fuerit, adminiſtrandæ rationem ex Ariſtotele docui; quo auctore neque locupletius, neque diſertius, neque ſapientius poſt homines natos quiſquam argumentum hoc eſt perſequutus, quemadmodum illud & ipſa res docet & alias à me oſtenſum eſt. Inde ad hiſtoriam provectus, præceptorumque civilium uſum atque fructum ſingulari quadam in republica monſtraturus, operæ me pretium facturum judicavi; ſi Imperij Germanici res atque ſtatum, ab uſque prima origine in hæc tempora deductum, oculis exponerem. Nempe quum Germaniæ patriæ noſtræ optime conſultum præcipue velim, atque illi juvenes non alibi terrarum operam ſuam facile ſint impenſuri, omnem Imperij noſtri ſtatum naturamve, quantum fieri ejus licet, exacte pleneque præ rebuſpubl. alijs peregtinis ſive veteribus ſive recentibus, ediſcendum illis cenſui. Tametſi enim plærique eorum aut etiam omnes, nunquam fortaſſis in Cæſaris ipſius ſanctio-

Docendi ratio à me obſervata circa civilem prudentiam.

Omne in Germanicis rebus

 ſanctio-

recte privatim conſulturum, Imperii totius ſtatum debere diſcere.

ſanctiore ſervitio habebuntur, ſed vel huic Ducatui veſtro, *Princeps*, vel vicinæ alteri reipubl. conſilium ſuum commodabunt, adeoque Imperij curam ab ijs nonnihil remotiorem olim fore queat videri: longe tamen alia (fateor) mihi eſt ſententia. Eſt enim Ducatus omnis aut Comitatus, aut Epiſcopatus, aut Vrbs etiam Germanica, etſi ſuis quiſque videatur legibus uti ſuæque ſpontis eſſe, pars integri illius corporis quod Imperium dicimus, adeoque communi illo ſpiritu vivit floretque. Quapropter neque conſuli recte ulli eorum poteſt, nullus recte curatur, niſi Imperij totius ratione habita, directiſque communem in ſalutem legibus privatis omnibus atque inſtitutis. Nam qui ſeorſim ita partes haſce curant, quaſi illæ nihil cum corpore illo magno habeant commercij, illi & privatim ſpecie quadam utilitatis ſibi ſuiſque imponunt, & in publicum exitioſi ſunt, adeoque digni qui exterminentur. Scilicet vetus illud eſt ac conſtitutum; pars eſt propter totum eſſe, quin & eſſentiam ſuam toti debere. Tum vero ea natura eſt plærorumque Imperij membrorum, ut in ſe infirma ac debilia, tantum ſocietate communi roborentur externamque majorem vim arceant. Itaque ut revertar in viam, quemvis patriæ amantem civem, recteque vel huic privatim florentiſſimo Ducatui, vel alteri cuidam Imperij membro conſulturum, arbitror decere, nihil eorum ignorare quæ ad illam communem Imperij formam attinent, quoniam de parte deliberari non poſſit niſi toto perſpecto corpore. Quod ipſum in doctrina de anima Socrates, de corpore Hippocrates obſervavere. Ac proinde quum apud Platonem quæſiviſſet Socrates: *ψυχῆς οὖν φύσιν ἀξίως λόγου κατανοῆσαι οἴει δυνατὸν εἶναι, ἄνευ τῆς τοῦ ὅλου φύσεως;* reſpondet Phœdrus: *εἰ μὲν Ἱπποκράτει γε τῷ τῶν Ἀσκληπιαδῶν δεῖ τι πείθεσθαι, οὐδὲ περὶ σώματος ἄνευ τῆς μεθόδου ταύτης.*

Pl. in Phædro.

Cæterum

Cæterum nec abludunt multum ab hoc conſilio ea quæ nunc paſſim tractantur ſtudia. Qui enim ad rempubl. aliquam noſtram appellunt animum, ſui eſſe officij cenſent, ejus Imperij publicum verſare. Floruitque inter alia hæc etiam doctrina jam à centum annis in Germanicis Academijs, quas inter nonnullæ & nomen hinc conſequutæ ſunt. Neque vero defuere ingenio atque eruditione præſtantes quidam viri, qui & uſum ejus viderunt & viam qua ad illam pervenitur. Vereor tamen multum, ut omnes perinde ſcopum ſuum ſint aſſequuti. Quidam certe hoc in negotio errores duos videntur committere: quod ſcil. primo non ſatis hanc doctrinam ab ipſa diſtinguant prudentia civili, quod deinde non ex juſtis illam fontibus ſed peregrinis atque turbidis deducant. Apparet autem cuivis vel leviter in hanc publici juris ſcientiam intuenti, nihil illam aliud polliceri quam notitiam eorum quæ circa publica hoc in Romano Germanorum Imperio ſunt conſtituta, adeoque ſive conſenſu Ordinum aperto, ſive tacita conſuetudine vim legis acceperunt. A quo profecto multum diverſa civilis prudentia eſt. Hæc enim nihil ſigillatim de hac noſtra republ. ut nec de ulla alia, præcipit; ſed in communi tantum occupata, ut natura eſt artium omnium & ſcientiarum, ad ſingula neutiquam demittitur. Hæc non reſpicit unius ſolum civitatis ſalutem, ſed omnium omnino in univerſum æqualem curam habet. Hæc denique non jubet, quid agendum ſit ex decretis ante factis, ſed quomodo ipſa ſint decreta condenda, quid eorum obſervandum, quid mutandum & qua cautione, uſu idipſum publico poſtulante. Tanto ſc. diſcrimine diſtat utraque hæc cognitio, quanto medica ars ipſa ab ea cognitione abeſt, qua novit medicus quid in Socrate ex. gr. ſanum ſit aut invalidum: reſpondet enim medicina prudentiæ civili, & jurispublici ſcientia pene gemina eſt

Id ipſum agi vulgo ſtudiis juris publici.

Sed in ijs à nonnullis duplicem committi errorem. Primum, confuſione ejus doctrinæ cum civili prudentia.

na eſt illi notitiæ, quam de Socratis valetudine ſibi medicus comparavit.

Alterum. Reductio-ne illorum jurium ex legibus Romanis.

Verum hic primus error levior fortaſſis eſt quam ut animadverſionis egeat; eſtque jam tum à nobis ante reprehenſus, altera qua Ariſtotelem laudavimus oratione. Fortaſſis vero paulo major eſt poſterior; etſi frequentia ſua ac vetuſtate mitiorem nonnihil ſententiam mereatur. Videmus enim homines nonnullos clariſſimos de Imperij noſtri conſtitutionibus juribuſque publicis, non niſi in ſubſidium teſtimoniumque Juſtinianeis legibus advocatis, diſſerere: quaſi hæ norma ſint ad quam publicæ Imperij res veniant exigendæ. Itaque ad tertium quodvis verbum cernere eſt citatam ex illo volumine legem, ceu unicum veritatis robur inde ſit petendum.

Origo illius ſecundi erroris.

Atque in exordia quidem ejus opinionis intuentibus apparet, non uno illam tempore ubivis terrarum Imperij noſtri invaluiſſe, ſed in Italia natam ſero demum in Germaniam hanc trans Alpes penetraſſe. Quingenti præter propter enim ſunt anni, quum in Italia è tenebris & ſitu in lucem reductum illud Romanorum legum corpus ut appellant, quod Juſtiniani Auguſti mandato Tribonianus olim confecerat. Erat tum gens Itala ut avida novarum rerum, ita demortuæ dudum Romanorum potentiæ ac libertatis deſiderio tumida; quod fracto magnam partem Germanicorum Cæſarum per Italiam robore, Germanos nos ut barbaros habentes Itali imperium quoque Germanicum aut detrectarent, aut vellent mutatum. Involarunt itaque avide in reviviſcentes illas leges, eaſque abrogatis ſuis inſtitutis quibus jam aliquot erant ſeculis uſi, in forum, neſcio temere ne potius an conſulto traduxerunt. Creſcente vero iſtarum legum auctoritate, non ad privatas tantum illæ controverſias adhiberi cœptæ, ſed ad earum mentem de publico

etiam

etiam Imperij ſtatu, inter doctores præcipue Academicos, fuit diſputatum. Quæ res cum Pontificis Romani immenſæ ambitioni adverſaretur, ille contra leges à ſe latas aut approbatas (quibus illa unice nititur) doceri fecit ac defendi. Ita de maximi momenti negotijs Imperiique ſummam attingentibus cæptum varias in partes apud Italos tum controverti, hactenuſque inaudita ultro citroque adferri. Quum enim Romani Juris doctores invenirent majeſtatem Juſtiniani Cæſaris admodum auguſtam, potentiamque ejuſdem per Europam, Aſiam, Africam late porrectam; quum viderent multa de libertate ac dignitate Romani populi prædicari, multa quoque de præſidum, judicum, præfectorum, epiſcoporumque officijs juberi: quidam illorum eam demum Imperij Romani faciem juſtam atque legitimam judicantes, eandem majeſtatem ac potentiam convenire Germanicis illis ſui ævi Cæſaribus, eandem competere Romano populo etiam nunc dignitatem, eaque eſſe Ducum ac Comitum quæ præſidum olim ac præfectorum officia, nec majora nunc Epiſcopis quam olim deberi, magna animi contentione docuerunt. Quorum profecto nihil auditum erat, ex quo Germanici populi Cæſareum ſibi nomen vindicaverant. Neque vero inanes tantum hæ voculæ fuerunt, ſed & eruperunt in nervum, magniſque motibus & prætextum dederunt & incitamentum: præſertim quum ex adverſa parte Pontificem extollerent Canonici doctores juris, decretiſque Papalibus adductis Cæſaream majeſtatem opprimerent. Jam ſtatim à viſis illis legibus, anno Chriſtiano poſt mille ac centenos quinto quadrageſimo, in Spirenſibus comitijs, oratores Romanæ plebis jugi Pontificij pertæſæ, hiſce verſiculis Conradum Cæſarem ſunt alloquuti:

Rex valeat, quicquid cupit obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem,

Princeps terrarum ceu fecit Juſtinianus.
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul.

Nec deſierunt illi animorum motus ac bella Italiæ civilia, aliquot per ſecula: evehentibus Cæſaream dignitatem Romani juris doctoribus, Papalem vero Canoniſtis. Loquuntur annales feralia illa diſſidia cum horrore quodam: ea vero Cæſari & Pontifici, utrinque à ſuis, legum ſpecie antiquarum ſunt attributa, quæ nemo doctior ſine ſtupore aut riſu legerit. Verum hæc latius narrare alterius eſt temporis atq; argumenti. Tametſi vero illa ætate conflagraverit pene Italia diſputationibus hiſce, & Imperij noſtri forma ad illam Romanarum legum amuſſim novo exemplo fuerit exacta: Germania nihilominus noſtra quievit, nec tale quicquam audiit ante ſeculum quintum decimum; quo tempore videlicet primum aliquis earumdem legum in tranſalpina hac Imperij parte cæpit uſus eſſe. Ex eo vero ſerpere & apud nos ejuſcemodi ſententiæ, & à nonnullis defendi non ſine detrimento publicæ quietis. A plæriſque tamen contra itum, & quidem ab illis etiam quibus alioquin familiare eſt, nulla non occaſione captata doctrinam hanc juris publici Tribonianeis legibus interpolare.

Refutatio illius erroris.

Atque origo quidem illius moris progreſſuſque hic fere eſt. Operæ autem pretium fortaſſis fuerit ſermone non prolixo oſtendere, quantum ille à recto abeat, & juſtitiæ adverſetur. Intereſt enim pacis ac ſalutis publicæ, vel nihil loqui in vulgus de ſtatu publico, quod Platonis conſilium eſt, vel certe non aliter de illo loqui quam ſeſe res habet. Dubium autem nullum eſt, quin periculoſæ ſint illæ quorumdam ſententiæ: juſtum eſſe ut ſecundum Romanas leges noſtra reſpubl. conformetur. Quum enim noſtra illa longe ſit diverſiſſima maximeq; ab illis remota, injuſtitiæ præſens ſtatus arguitur: quod motibus excitandis nimium profecto

valet.

valet. Neque enim vel Cæſar vel Ordinum aliquis aut Principum ea debeat eſſe qua nunc eſt conditione, ſi iſti homines non fallunt nos aut falluntur. Sed non difficile perſpectu eſt quantum decipiantur. Quod ſi enim Romanis iſtis legibus reſpubl. noſtra tenetur obedire, cauſſa ejus rei fuerit: vel quod leges illæ ejus ſint juſtitiæ ut eas non obſervare omnimodo injuſtum fuerit: vel vero quod ſponte in illas ſine diſcrimine juraverimus & noſtra ætas ultro ſeſe illis ſubmiſerit; vel denique quod iſtæ leges nobis præſcriptæ ſint ab alijs queis refragari ſit nefas.

Romanas leges non obligare nos juſtitiæ quadam neceſſitate.

Atqui nihil non horum aſſertu fortaſſis ridiculum ſit. Quid enim aliud quam riſum mereatur, qui omnes illas leges vel illarum eas quæ publicam Imperij adminiſtrationem concernunt, naturali aut gentium juri velit coæquare? quaſi ſcilicet eas non obſervare fuerit perinde ac ſi æternum illud jus mentibus humanis inſitum violetur. In vulgus quippe innotuit plætaſque illarum legum (ut fieri aſſolet) ex arbitrio profluxiſſe, neque aliam habere vim quam quæ eſt ex conſtituto. Tum vero in univerſum de reipublicæ adminiſtratione natura propemodum nihil ſanxit, ſed humanæ illam prudentiæ & libertati reliquit: certe quando ab univerſaliſſimis pronunciatis abierimus, honeſti inhoneſtique ratio amplius non comparet, eorum locum utili & inutili occupantibus, quemadmodum illud alias oſtenditur. Jam vero ne illud quidem, eam reipubl. formam quæ Juſtiniano Cæſare obtinuit, aut eſſe omnium optimam, aut convenire moribus noſtris atque huic ætati, quod proximum eſt, temere quis civilis prudentiæ conſultus affirmaverit.

In jus publicum Romanum numquam Imperium

Pari vero modo & alterum dictu ridiculum fuerit; omnes promiſcue leges illas, aut vero illas juris publici, ultro ceu reipubl. normam eſſe admiſſas. Principio enim conſtat ne forum quidem ullum in privatis controverſiis finiendis ſolo

Germanicum conſenſiſſe.

ſtare illo jure Romano, ſed ad hoc leges ſæpe plane adverſas conſuetudineſque domeſticas obſervare: tantum abeſt ut omnia illius Tribonianei corporis ulla reſpublica ſine diſcrimine approbaverit. Quo vero tempore Imperium Germano-romanum juravit in jus publicum illud Juſtinianeum? Tacite ne illud factum eſt, an aperte? Si aperte; producatur illud aut ſenatus noſtri conſultum, aut plebiſcitum, aut decretum comitiorum. Si non poteſt produci, ſaltim teſtimonium tam grandis ac ſpiſſi negotij ex monumentis antiquis petatur. Atqui iſta nihil tale memorant. Forte tacito quodam id conſenſu factum. Quando, aut qua occaſione? An quum Romanorum Imperatores Cæſareſque cæperunt dici primo Francorum reges Carolini, mox reges Germanici à magno Ottone? id enim video nonnullos velle. At vero ea tempeſtate ſepultæ erant Tribonianeæ iſtæ leges, quî ergo eas voluerint obſervari? Neque in officio Cæſaris eſt Romani haſce leges probare præ alijs. Fuerit enim ejus Romanas leges defendere; quur ad has præcipue obſtringitur, quarum magna portio florentibus Romanorum rebus fuit ignorata? Fuerit ejus leges iſtas ſtabilire in ſolo Romano; quo jure magna noſtra Germania ſervare illas obligatur, quæ Romano populo numquam olim paruit, & nunc Romanis dat Cæſares non autem accipit? Neque vero Cæſar inquantum Cæſar eſt Germanis imperat, ſed inquantum rex eſt Germanorum: quem cum eligunt Septemviri ſimul etiam Romanis ſuum Imperatorem eligunt. Nec, ſi proprie atque accurate loqui animus eſt, (ut ſane fieri addecet) hæc Germania noſtra pars Romani eſt Imperij, etſi ita à multis temporibus loquamur cum vulgo, quod nunc ſolet etiam Hiſpanico regno illa adſcribere, quæ ſive in Germania ſive in Italia ſive alibi terrarum rex Hiſpaniæ diverſiſſimis longe titulis poſſidet. Forte ne Italia quidem omnis nomen iſthoc

recte

recte meretur. Carolus certe cognomento magnus, ille qui Francorum regum primus Cæſareum nomen indeptus eſt, ſtudioſe diligenterve ea quæ Langobardici regni erant in Italia ab ijs quæ Romani Imperij dicebantur, ſeparavit. Verum hæc alibi rectius clariuſque diſputantur. Id patet: Germaniam noſtram non obſtringi legibus Romanis ullis eo quod regem habeat Cæſarem Romanum, adeoque non tacite ſemet ſubjeciſſe Romano juri, ex quo Cæſares Romano populo dedit. Quid, quod ne in ijs quidem terris quæ proprie Romanæ merentur dici, neceſſum ſit leges illas Triboniani audire? Sive enim populi, ſive Cæſaris, ſive utriuſque fuerit ferendi leges poteſtas, cujus eſt ferre, & abrogare ejuſdem eſt & antiquare. Potuerunt itaque novæ leges condi abrogatis Juſtinianeis, aut reliquis priſcis omnibus. Neque vero alia in ſententia hactenus fuerunt Cæſares Germanici Principeſque. Sive enim Francorum illa priſca tempora, ſive inſequentia ſecula hunc uſque in diem reſpexerimus, apparet profecto clariſſime, numquam vel verbo monitum de republ. ad normam illam Juſtinianei Imperij ordinanda, ſed antiquis moribus & ſervatam illam hactenus, & eſſe ſervandam judicatum. Tum vero leges illæ Juſtiniani non niſi in forum litibus privatis finiendis receptæ ſunt, neque initio quidem tam Cæſarum juſſu, quam privata quorundam voluntate. Vt taceam, quod commentatio de origine juris Germanici probavimus, leges illas intra ducentos circiter annos in Germania cœpiſſe, nec aliquo publico Ordinum aut Cæſaris decreto, ante inſtitutum Spiræ Nemetum judicium, fuiſſe ſtabilitas. Tantum ergo in foro earum uſus eſt; quoniam hactenus tantum ſunt admiſſæ in provincijs Imperij hujus Germanici: qui ad alia itaque & publica quidem illa extendunt eas, vim illi reipublicæ faciunt, certe præter ſententiam agunt omnium Cæſarum aliorumque civitatis hujus Ordinum. Scilicet

non arctius nos illæ adſtringunt quam vel Galliam, vel Hiſpaniam, vel Britanniam, quæ & ipſæ in foris ſuis obſervari eas manaverunt, nihilo mutata reipubl. forma. *Imo ubi Academiæ & profeſſiones Iuris*, (verba recito Joannis Tilij locupletiſſimi Francogallicæ reipubl. ſcriptoris) *in Gallia inſtituta ſunt & ornata privilegiis, nominatim proteſtati ſunt reges, ſe Iura illa non auctoritatis loco ſed rationis tantum accipere*; quod ipſum & I. Bodinus & Petrus Pithæus, & E. Baro alijque præclariſſimi JCti rerumque Gallicarum peritiſſimi affirmant. *Quin etiam* (ait Bodinus) *reges Hiſpanorum capitali pœna vetuerunt Romanorum leges ſui juris teſtes appellare, ut ſcribit Oldradus: ac tametſi nihil eſſet in moribus ac inſtitutis patriis, quod cum legibus Romanorum diſcreparet, ea tamen ejus interdicti vis eſt, ut ab omnibus intelligatur, judices, in cauſſis civium Romano jure non teneri, ac multo minus Principem ipſum, qui judicum religionem legibus peregrinis obligari pernicioſum eſſe judicavit.* Nec vero aliud voluit Stephanus Hiſpanus Caſtulonum rex, quando, Polycrate teſte, Romanorum leges in Hiſpania doceri prohibuit quoniam plebs ſacroſanctas patrijſque inſtitutis juſtiores has eſſe exiſtimaret. Sed quorſum prolabor? Satis eſt ſi probaverimus, (credo autem nos id clariſſime probaſſe) Imperium Germanorum, ſive cis ſive tranſalpinum, numquam aut expreſſo aut tacito conſenſu rempubl. ſuam Romanis illis Juſtiniani conſtitutionibus ſubjeciſſe, etſi earum uſum aliquem voluerit in foro eſſe.

Til. l. 1. c. 1. de republ. Gall.

Bod. l. 1. de repub. c. 8.

Oldrad. conſ. 69.

Pol. l. 8. c. 22.

Superest tertium: nempe non ſponte quidem id unquam eſſe factum, nihilominus ijs Imperium noſtrum obligari quoniam à Romanis ſunt latæ, illis orbis terrarum dominis. At vero non tulere Romani haſce leges Germanis nobis qui trans Rhenum ac Danubium vivimus: non enim Germanici hi populi niſi ad tempus Romanis paruere, contra vero horum potentia omnis à Germanicis eſt gentibus deleta, & provinciæ

Non teneri nos legibus illis eo nomine quod à Romanis ſint latæ.

vinciæ potiores ab iiſdem hodieque regnantur. Ad nos ergo certe leges Romanæ iſthoc titulo non pertinent. Ex illo enim, quod Imperatores antiqui dominos ſe mundi vocaverint, aut quod in ſacro Lucæ Evangelio Romani Imperij orbis οἰκουμένης voce ſit appellatus, credere cùm quibuſdam nihil non terrarum Romanis paruiſſe, non amplius forte error ſed ſtupor eſt. Reliqua tranſalpina Imperij Germanici portio paruit illa quidem Romanis olim Cæſaribus: Juſtiniani tamen ætate jamdudum iſthoc jugum abjecerat. Vnam Italiam fractis Gothorum viribus aſſeruerat ſibi tempeſtate illa Cæſar Juſtinianus: ſed & iſta maximam partem Romanis per Langobardos ſtatim poſt erepta, numquam illis donata iterum, multo minus armis vindicata eſt. Ergo tametſi legibus illis olim paruiſſet, poſteaquam tamen bello victa ceſſit victoribus, nihil amplius in illam juris leges illæ Romanæ habent. Multa enim Imperii illius veteris ut bello quæſita ita bello amiſſa ſunt; alia derelicti occupatione, nonnulla pactionibus ut olim parta Romanis ita poſt aliarum in gentium imperium tranſierunt. Neq; enim alia ratio acquirendæ ſeu amittendæ poſſeſſionis pro Imperio illo antiquo, quam contra illud valet; ſed quibus quondam ſua paravit modis ac juribus, iiſdem illa nunc amiſit.

Cæterum Romanarum legum dignitatem inſectari aut vero operam fortaſſis ludere videor, *Princeps CHRISTIANE LVDOVICE*, & patientia tua abuti, qui tam operoſe oſtendo perperam à nonnullis differi de republ. noſtra ex legibus illis Romanis forenſibus; quum error ille per ſeſe nimis pelluceat, nec detrimenti hinc capere aliquid poſſit fortuna publica. Verum enimvero procul à me eſt, ut in fori negotijs quidquam illis legibus, quibus tamdiu prætoria noſtra ſteterunt, detractum velim: tantum ne cancellis illis exeant videtur prohibendum. Porro cum aliàs qualibet perverſa de [Excuſatio longioris digreſſionis.]

republi-

republ. opinio exitioſa eſt, præſertim ſi auctores habeat aut probatores homines auctoritate inſignes; tum vero multum vereor, ne hic ipſe error plus quam credi aut dici poſſit, damni jam tum dederit. Forte enim nihil facilius fuerit, quam malorum hinc enatorum ſegetem maximam nunc metere. Verum etſi nondum quidquam detrimenti attuliſſet hæc opinio, quis tamen non videt quam in futurum fuerit noxium, ſi improvidæ mentes aut rerum novarum cupidæ hujuſmodi erroribus imbuantur? Sacer ſc. morbus opinio eſt: mundus tamen hic nulla perinde re quam hac ipſa regitur. Itaque & futiles nonnunquam ſententiæ faſcinant animos, & uſque adeo judicij aciem obfuſcant, ut ne claro quidem meridie veritatis ſolem contemplemur. Quamobrem & veniam dabis *Princeps*, operoſius refutanti mihi ſententiam reipubl. ſaluti detrimentoſam: præſertim quum illam non licuerit non tangere, quando inſtitutum meum poſtulat, hiſtoriarum Imperij noſtri ſtudia commendare. Eo enim inprimis nomine laudanda illa veniunt, quod, cum interſit Germaniæ ut quibus reipubl. cura eſt commiſſa quique clavum ejus geruut, penitius ſtatum omnem pernoſcant publicum; quod (inquam) ad hanc accuratam Imperij notitiam majus momentum nullum quam ab hiſtoria noſtrate conferatur. Quam contra illi ſentire quum videantur, qui reipubl. noſtræ naturam ex Romanis legibus diſcendam cenſent, habenda hic fuit ejus ſententiæ ratio, ut hiſtoriæ Germanicæ fructus eo magis pateſcat.

Quid ſit notitia Imperij ſtatus.

Verum haud abs re fortaſſis fuerit paulo clarius monſtrare hunc fructum, rationemque cognoſcendi Imperij hujus Germanoromani diſertius indicare. Sed id agentibus ante omnia conſtare debet quid ſit illud: *ſtatum publicum Imperij noſſe*: neque enim ab omnibus idem hiſce vocabulis intelligitur. An eſt ſcire leges adminiſtrandi Imperij ſaltem publicas,

eas, atque adeo officium Cæſaris & Ordinum non ignorare? At vero fieri poſſit, ut quæ officij ſunt quiſque negligat: & docet uſus, rempubl. lege ἀριστοκρατικὴν exercitio atque reapſe ſæpenumero ὀλιγαρχικὴν eſſe aut popularem. Ergo legum publicarum Imperij ſcientia non omnino idem eſt cum cognitione ſtatus Imperij: cæteroquin enim qui jus ſcit publicum ſciret & conditionem omnem ſtatus Imperialis. An tamen is qui ſtatum penitus pernovit poteſt ignorare jus Imperij publicum? Non ſane. Leges enim illæ anima civitatis ſunt; quis ergo Imperij noverit naturam ignoratis ejus legibus? At vero manifeſtum hinc fit, Juris publici noſtri (ne quid nunc dicam de privato) notitiam partem eſſe ejus cognitionis qua ſtatus Imperij comprehenditur: hæc enim ambitu ſuo, quantum apparet, illam complectitur. Fortaſſis tamen & ad alia ſeſe exporrigit illa Imperij cognitio: ut enim etiam ſupra indicatum eſt, exacte hæc reſpondet illi, qua medici novimus ejus naturam omnem cujus valetudinem habemus nobis concreditam. Ut enim medentis eſt, qui artem ſuam velit facere, ſtatum ex. gr. Socratis noſſe, ita artificis civilis recte Imperio noſtro conſulturi eſt ſtatum Imperij pervidere. Tum vero demum credimur medici naturam omnem noſtri Socratis perſpexiſſe, quum didicimus omne illud, quod in eo eſt ſive ſanum ſive morbidum ſive ambiguæ inter hæc conditionis: id quod eſt, noſſe originem atque cauſas omnium illorum quæ ad valetudinem Socratis quoquo modo pertinent. Neque enim ſatis eſt ſcire, quam ille naturam materno ex utero produxerit, aut quantum ab illa poſt receſſum ſit, quidque priſtino etiamnum ſeſe modo habeat: ſed & cauſas affectuum omnium, ſive illi ſecundum ſive præter naturam ſeſe habeant, oportet notas eſſe: ut pateat quidnam corrigi queat aut reſpuat medelam. Simili prorſus ratione igitur virum rerum Imperij conſultum decuerit, non

ſcire tantum quaſnam in leges illud conſenſerit, (quod penè geminum eſt conditioni nativæ Socratis,) aut vero quantum ijs hodierni mores vel adverſentur vel congruant: ſed & origo occaſioque & legum latarum & eorum quæ contra fiunt, intelligenda eſt.

Notitia Imperii eſt ferè cognitio quædã hiſtorica.

Verum ſi his limitibus definitur atque hac natura abſolvitur ſtatus Imperij notitia, (ut profecto ſeſe res habet) nihil fortaſſis eſt quur velimus alio illam quam hiſtoriæ peritiæ cognomento appellare. Plane enim hocipſum, & nihil pene aliud agere in officio eſt hiſtoriæ Imperij rerum. Hujus enim eſt exponere temporum ſerie obſervata, qua ratione unum in corpus & regnum unum omnis Germania primum mox & Italia magnaque Galliæ pars concreverit, quidve nonnullas ejus corporis partes poſt ſolverit communi illo vinculo; quæ Cæſarum aut fiſci regij potentia & olim fuerit & nunc ſit; quomodo ſemper leges latæ, & quænam latarum olim vel poſt ſint abrogatæ vel etiamnum ſerventur: quæ forma eligendi magiſtratus: quis modus judiciorum: ac ſi quæ his ſunt ſimilia. Quod ſi vero hoc eſt argumentum hiſtoriæ Germanici Imperij, ſique omnia hæc docere munus illius eſt, utique horum ſcientia ſaltim magna ex parte hiſtorica eſt.

Hujuſcemodi hiſtoria rerum Imperii vixreperitur.

Utinam vero, *Princeps* CHRISTIANE LUDOVICE, haberemus res Imperij noſtri à prima uſque origine ita conſignatas ac traditas, ne quid hiſtoriæ legum merito in ijs ſcriptis deſideretur? Multum autem vereor ut hactenus ſimus hanc laudem conſequuti: etſi egregiam à nonnullis eo in negotio operam eſſe collocatam, haud duxerim diffitendum. Multi enim per partes id exequi præclare quidem aggreſſi ſunt, univerſim vero qui tractaverit, ea qua decet aut fide aut prudentia aut eloquentia, fortaſſis vix unus eſt. Plæriſque ſcriptoribus quantum apparet, viſum ſatis eſſe, non mentiri.

Et

Et ſane quis neſcit recte dixiſſe Tullium: *primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis?* Verum hæc tantum fundamenta hiſtoriæ ſunt nota omnibus & facilia: ipſa vero exædificatio longe operoſior eſt ac difficilior. Inciderunt autem prima & potiſſima Imperij Germanici tempora in melioris literaturæ maximam egeſtatem. Præterquam enim quod ſpiſſa barbariæ nubes toti tum Europæ incubuerit, in Germania nemo fere potentiorum vel primas literas calluit, ſed & hæc rudis eruditio intra ſola pene monachorum clauſtra delituit. Hi vero quum vitæ inſtituto ad θεωρητικὰ potiſſimum propenderent, τὰ πραγματικώτερα quur aut neglexerint, aut obiter tantum viderint & quaſi per tranſennam, non eſt mirum. Itaque primo orationis culturam nullam ad hiſtoriæ ſcriptionem adferre potuerunt homines illi: deinde neque res ipſas ſatis aſſequuti ſunt, quod remoti à republica aut vero leviter & plebejo ritu in illa verſati, conſilia, acta, eventus non perviderint. Fuit itaque illis hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio: h. e. uno conſtans alteroque verbo memoria rerum quæ viſæ ſunt illuſtres maxime, per annos ſingulos deducta. Ejus certe, non alius, notæ ſunt monumenta noſtrum omnium pene, qui à Carolo Magno ad Maximilianum uſque, vel potius Carolum id nominis quinctum Cæſarem: rebus Imperij facem conati ſunt allucere. Unus fortaſſis Lambertus Schaffnaburgenſis Hirsfeldenſis cœnobij monachus, & præter hunc ille Magni Caroli, ut vulgo perperam tamen creditur, gener Eginhartus meruit meliorem laudationem. Hic enim ea ſcripſit dictionis puritate atque elegantia, ut alia plane tempeſtate natum jures. De illo vero non dubitavit maximus vir Joſephus Scaliger hæc in verba ſcribere: *Equidem miror in ſeculo tam barbaro tantam hominis & in loquendo puritatem & in tem-* Scal. de emendat. tempor.

porum putatione ſolertiam fuiſſe, ut in chronologis noſtri temporis pudorem exprimere poſſit, ſi aliquem ſenſum harum rerum haberent. Juſtus etiam Lipſius, exquiſiti homo judicij, inter optimæ laudis hiſtoricos & ad civilem prudentiam juvantes hunc numerat, *bonum eſſe*, addens, *quantum potuit in tali ævo.* Et ſane prudentiæ non minus quàm eloquentiæ palmam, (ut ſileam accuratam temporum rationem,) non ſuæ tantum ætatis omnibus, ſed & diſertioris ævi pluribus præripuit. Cæterum unius circiter decennalis hiſtoriæ hoc præconium eſt, qua ſcilicet Henrici IV. Cæſaris res nonnullas ſua ætate geſtas perſequutus: reliqua quæ præcedunt prorſus alia ſunt conditione; ut mirari merito ſubeat, quur tam diſſimilia uno illi placuerit volumine comprehendere. Eginhartum quoque rectius fortaſſis præconem quis dixerit quam hiſtoricum: etſi, ut tempora tum ferebant, haud omnino infelicem ſeſe C. Suetonij Tranquilli imitatorem exhibuerit.

Lipſ. not. ad l. 1. c. 9. Polit.

Sed non eſt propoſitum mihi, in virtutes ac vitia ſcriptorum noſtrorum per partes nunc animadvertere: alterius id fortaſſis aliquando operæ erit. Jam ſolummodo, quaſi in gentis noſtræ contemptum aut ambitioſius dicta, accipi hæc quæ protuli nolim; quum fatear non ingenij crimine illum ſtribliginis ſitum contractum eſſe ſed temporis, in quo tum vivebat Europa omnis. Tum vero haud me fugit, non multo melius Græcos ipſos ac Latinos initio ſcriptitaſſe. *Qualis apud Græcos*, ait Marcus Tullius, *Pherecydes, Hellanicus, Acuſilas fuit, aliiq; permulti: talis noſter Cato, & Pictor, & Piſo, qui neq; tenent quibus rebus ornetur oratio: modo enim iſta ſint importata, & dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant eſſe brevitatem. Non exornatores rerum ſed tantummodo narratores fuerunt.* Idem annalibus maximis (quæ prima ſunt Romanis rerum monumenta) nihil eſſe jejunius alibi pronunciat: ſcriptionis certe faciem haud aliam eſſe quam illam

Pari vitio laborant primæ omnium gentium hiſtoriæ.

Cic. l. 2. de oratore.

Cic. l. 2. de ll.

qua

qua Cato, Pictor & Piſo ſunt uſi: *qui ſine ullis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumq; rerum reliquerunt.* Apud Græcos: *primis ab Herodoto ac Thucydide, (ut ait Theophraſtus) hiſtoria commota eſt, ut auderet uberius quam ſuperiores & ornatius dicere.* Herodotus certe Græcæ hiſtoriæ pater eſt. Erexit vero ſeſe nonnihil & apud nos hiſtoria, ante centum annos & quod excurrit, breviq; magnam de ſeſe ſpem excitavit. Namque haud pauci & in omnes Imperij res prima ab ejus origine magno ſtudio inquiſiverunt, & de obſcuris acute diſputarunt, productis in medium latentibus monumentis. Nonnulli ad hoc & tempora ſuperiora deſcripſere, & ſuæ ætatis geſta partim paterna partim Latina lingua (quæ eruditorum nunc orbi quaſi propria eſt) ita ſunt proſequuti, uti Romanæ Græcæque laudi non ſint impares. Certe, ut duntaxat unum memorem, Joannes Sleidanus noſtras eo judicio, ea fide, ea diligentia, ea etiam fortaſſe dictionis caſtimonia commentarios ſuos de religione & republ. exaravit, ut pleroſque illum Græcorum Latinorumque ſuperaſſe fatendum nobis veniat, niſi extera laudare vulgi more velimus potius quam domeſtica.

Cic. lib. 2. de oratore.

Aſt (quod & ſupra dixi,) alienum eſt ab hoc inſtituto meo vel laude vel vituperio nunc proſequi labores noſtrorum hominum; etſi ſtudium omnium in diſpari etiam ſucceſſu, fortaſſis perinde ſit laudandum: potius viam indicare oportet qua itur ad hiſtoricam illam reipublicæ cujuslibet, inprimis vero Imperij noſtri, peritiam, quam omnem Germanicis rebus recte conſulturum decere, ante probatum eſt. Atque nobis quidem id paucis expeditum dare animus eſt; prius tamen in memoriam revocandum fuerit, ad ejuſmodi aliquam ſcientiam non eventorum duntaxat aut aperte geſtorum ſed & cauſarum latentium notitiam pertinere. Habet videlicet & heic ſuum aliquem locum Ariſtotelis illud: *ſcire eſſe rem*

Quemodo comparari poſſit accurata notitia rerum Imperii.

Requiri huc civilem prudentiam.

per cauſam cognoſcere. Eſt vero horum id diſcrimen, quod res quæ geruntur atque eventa omnibus plerumque pateant, aut certe poſſint non difficulter patere, cauſſæ vero ipſæ lateant ſæpe in occulto. Multa enim doloſe fiunt, & ſub virtutis ſimulacro ſcelera abſconduntur. Tum vero ſæpenumero rerum initia nobis imponunt, ut cauſæ eorum videantur eſſe quibus cum non niſi ex accidente ac forte fortuna conjunguntur. Quis vero iſthæc arcana atque abdita penetraverit, quis tam abſtruſa judicij acie aſſequatur, niſi rerum humanarum gnarus ac probe conſultus? Civilis igitur prudentiæ patet peritum eſſe oportere, qui exactam aliquam & non plebeiam ejuſmodi ſibi cognitionem nititur comparare. Quemadmodum nimirum Socratis valetudinem æſtimare unius medici eſt: ita de ſtatu reipubl. alicujus recte judicare tantum prudens civilium rerum poteſt. Neque vero diſſimili etiam multum indagine ad ſuum quiſque ſcopum obtinendum utitur. Medicus enim primum ad ea reſpicit quæ ſive nunc ſive alias in ſenſus incurrunt; deinde artis præceptis inſtructus multo maxima mentis callida agitatione aſſequitur. Illi vero qui regni alicujus aut alterius reipublicæ, ſive hujus ſive illius, naturam conditionemque ſtudet pervidere, pari plane modo neceſſum eſt, ut quidem rationem ante omnia habeat eorum quæ aperte aut geruntur aut dicuntur, occultiora tamen, quæve in vulgus haud ita patent, ſecundum leges atque monita civilis prudentiæ perſcrutetur. Principio ergo conſtitutum eſto, omnem qui ad notitiam accuratam Imperij noſtri conatur pertingere, civilem artem non tantum remedij ergo ſed & hujus adeo ipſius peritiæ comparandæ cauſa, adferre oportere, h. e. in hiſtorico iſthoc noſtro, quo de agimus, illam merito deſiderari.

Requiri etiam mo-

Præter hanc vero, etiam morum juriſque naturalis prudentiam recte eumdem ob finem requiri, haud difficile judi-

catu

catu eſt. Intelligo autem illam ſcientiam quæ, quemadmodum vitam ſuam homo cum erga ſemetipſum tum erga alios, maxime vero erga Deum (nam & hoc juſtitiæ opus eſt) debeat gerere, exponit; omnia enim hæc artis unius ſunt ſi intra connata menti noſtræ præcepta maneamus, licet hodie varias ſit in partes docentium conſuetudine diſcerpta. Quin imo haud inane fortaſſis fuerit, doctrinæ Chriſtianæ non proletariam ſcientiam, ab illo hiſtorico aut qui ad hanc hiſtoriam affectat viam, poſcere. Quur enim ita ſentiamus, in promptu eſt docere. Quoniam nimirum ſapientia civilis, quod alias probatur, fundamenti loco religionis, juris, morumque omnium prudentiam habet, ſuper quam ſua magnam partem exſtruat atque ædificet; eadem profecto neceſſitate ad hanc addiſcendam aſtringitur hiſtoricæ illius noſtræ affectator ſcientiæ, qua tenetur prudentiam civilem ſibi comparare. Verſantur præterea res maximæ quas ſcire ille deſiderat, circa religionis negotia, circa fœdera pactiones & conditiones populorum, tributa, judicia, pœnas, præmia, rerum acquiſitiones ac derelictiones, omnia denique belli ac pacis jura; quorum ſcientia præſtabilis profecto eſt & tantum non divina. Ac diſci quidem hæc aut unde poſſint, aut qua via quam commodiſſime, alterius eſt inſtituti explicare; nunc ſufficit demonſtraſſe, quemvis civitatis alicujus ſummam naturamque, ut & res ejus, accurate cogniturum, cumprimis hanc quoque doctrinam docere, nec ſatis circumſpecte illos loqui, qui ejuſmodi hiſtorici boni virtutes enumerantes hanc ſolent ſilentio præterire. Multum enim vera illa & non fucata naturalis juris philoſophia à civili abeſt, etſi utramque Joannes etiam Bodinus confuderit; nec minus tamen hæc quam illa ad hiſtoriam neceſſaria eſt.

rum; religionis, & juris naturalis ſcientiam.

Cæterum duo hæc in quovis plane reipubl. alicujus exploratore (qualis ille tandem cunque fuerit) requiruntur: ad notitiam

Requiſi tertio actorum le-

cumque. Imperij ex monumentis petitam cognitionem.

notitiam itaque imperij Germanici poſtulantur quidem, non ad illam tamen ſolam pertinent, quippe quum jure illarum, quarum modo meminimus, non ex noſtræ civitatis conſtituto valeant, ſed inter omnes populos liberos intercedant, qui alioquin non tenentur mutuo civilibus, adeoque nec Romanis Juſtiniani inſtitutis. Tertium vero, quod nunc tangendum, Germanicæ hiſtoriæ proprium atque domeſticum eſt. Eſt autem hoc, ſcire quid actum aut decretum aliquando ſit in reipublicæ noſtræ, adeoque Imperij hujus Romani quod appellamus, negotijs. Hoc enim ipſiſſimum jam opus noſtrum hiſtoricum eſt: etſi accurate fieri nequeat ſine eorum quæ diximus adminiculo, adeoque pretium operæ ſuæ ille demum ſit hoc in campo facturus, qui non niſi iſtis inſtructus alis id negotij aggrediatur. Apparet autem facile, acta decretaque Imperij partim à te præſente, dum ipſis interes rebus, poſſe addiſci, partim vero aliorum ex teſtimonijs eſſe cognoſcenda. Quæ enim ante natos contigerunt qui ſciamus, niſi aliena fide? Conſulendi igitur omnes rerum Germanicarum gnari, monumenta ſcrutanda, excutienda ſcrinia, inſpicienda (quoad fieri licet) omnia, unde rerum Imperij memoriam licet petere.

Monumenta rerum Imperij inter omnium manus verſati.

Atque cum noſtra quidem ætate præclare ſane actum eſt præ omnibus retro temporibus, quod divino typographicæ artis beneficio, ſtudioque inſignium aliquot virorum, eâ copia paſſim verſentur nunc Imperij rerum monumenta, quam nemo unus veterum unquam per tranſennam vidit. Seculum enim (quod & ante diximus) nunc eſt & quod excurrit, quum excitata literarum luce, atque ad præclara ſtudia erectis omnium animis, hoc quoque inter alia negotij ſibi datum ſublimes quædam animæ crediderunt, ut aut ipſimet res patriæ poſteritati traderent, aut vero monumenta antiqua à ſitu & carie vindicarent. Neque vero non reſpondit fortuna

tuna

tuna præclaris conatibus. Haud longo enim temporis ſpacio tot & tam varia è tenebris apertam ſunt in lucem tracta, ut Imperij natura ex eo tantum non in vulgus potuerit innoteſcere: certe ſol quidam rebus noſtris ex eo videtur illuxiſſe. Quicquid enim in abditis cœnobitarum clauſtris hactenus latuit, imo quicquid rerum noſtrarum unquam literis conſignatum, id fere omne, exiguo temporis tractu, operaque paucorum hominum, in medium productum eſt. Nec tantum ea quibus memoriam rerum noſtrarum diverſi diverſis temporibus ſunt perſequuti prodierunt, verũ ipſæ leges antiquiſſimæ noſtræ, ipſa Cæſarum, Ordinumq; decreta aut literæ in omniũ manus devenere. Certatim ſcilicet patriæ illuſtrandæ incubuerunt centum hiſce annis inſignia quædã nomina, nullo profeſſionis diſcrimine: nam etſi alios ſacrorũ curatura, alios forum aut curia, alios ægrorũ valetudo, alios poſtremo diverſa vitæ inſtituta occupaverint, hanc tamen operam patriæ ſuæ præſtare officij ſui cenſuerunt. Et ſane eo factum, ut plæraque comparatũ hodie haud ſint difficilia, unde hiſtoria iſthæc Imperij noſtri haurienda eſt. Primo enim leges omnes, quibus Germanicæ gentes Francorum imperio ſubditæ Caroli Magni tempeſtate & poſt ſunt uſæ, ſive per hanc Germaniam noſtram, ſive per Italiam, ſive denique per Galliam, opera primum Ioannis Baſilij Heroldi, nuper iterum ſingulari diligentia Clariſſimi viri Friderici Lindenbrogij ICtorum accepimus. Pertinent eodem Saxonicarum & Suevicarum legum monumenta, quibus notum eſt Germaniam pene omnem ſeculis aliquam multis floruiſſe: illa vero toties eaque ſunt cura edita ut omnium nunc manibus verſentur. Tametſi vero leges illæ circa privatas magna ex parte controverſias occupentur, ſaltim leviter tamen quæque ſui ævi faciem publicam exponunt. Neque enim difficile factu eſt ex Francicis illis Francorum rempublicam, ex Suevicis & Saxonicis legi-

bus poſt ſecutam Imperij rationem quadamtenus docere; certe multa quæ eo faciunt haud aliunde didiceris. Verum nec deſunt hodie nobis ipſæ de rebus ſummis Imperatorum Ordinumque conſtitutiones. Nam non tantum comitiorum decreta omnia, ab anno uſque poſt mille quadringentos ſecundo quadrageſimo, unum in corpus collecta jamdudum prodierunt: ſed & Cæſarem Fridericum illum tertium antecedentium temporum inſtituta publica plæraque nobis dedit Melchior Goldaſtus Haimensfeldius, vir editis hujuſcemodi monumentis tam bene de patria meritus, ut abſque dubio Athenienſes illum olim in Prytaneo aluiſſent, ſi quidem illud in ævum incidiſſet. Conſimili vero ratione & hiſtoricis majorum ſcriptis ex ſitu & tenebris productis in lucem, nihil nunc vulgarius eſt. Nam & ſingulatim à diverſis varii auctores producti, & conjunctim magno numero aliquot in codices tranſierunt. Immortali ſiquidem nominis laude eam in rem à nonnullis longe optimis viris, opera poſita eſt: quos inter honoris cauſa Simonem Schardium, Marquardum Freherum, Piſtorium, Reuberum & Vrſtiſium, Romanarum pariter ac noſtrarum legum conſuetudinumque conſultiſſimos homines; diſertim mihi hoc loco nominandos cenſeo. Quanquam forte nefas aliquod fuerit, non memorare hîc noſtræ hujus Iuliæ æternum illud decus Reinerum Reineccium; quem præter hoc nihil fere veteris recentiſque omnium gentium hiſtoriæ latuiſſe, eſt manifeſtum.

Monumentorum Imperii commendatio. Iſta atque alia monumenta PRINCEPS CHRISTIANE LVDOVICE, pandunt nobis atque aperiunt omnem Imperij rationem, naturamque: ea, quid legitimum ſit in republica, quibus initijs illa creverit, quomodove ſenſim deminuta atque in miſerum hunc ac turbulentum ſtatum deverterit, exponunt. Hæc conſulenda ſunt, hæc volvenda diligenter ijs qui ad nobilem illam publicarum Imperij noſtri legum ar-

tem, eximiam iſtam partem Imperij Notitiæ, aſpirant: aliunde qui illas petunt & operam ludunt & in diſcrimen rempublicam conjiciunt. Ita enim ſeſe res habet. De vita quidem moribuſque omnis in univerſum humani generis, quatenus illa ſpectant veram propriamque omnibus beatitudinem, multa ſic conſtituit ac ſanxit Opt. Maxim. Deus, ut ipſa mens noſtra iſta quæ contra fiunt iniquitatis ſtatim atque inhoneſti titulo infamet: de civili tamen ſocietate vix paucula eo rigore divinitus inſtituta licet cernere, quod ſcil. illa faciat potiſſimum ad momentaneam & quâ carere poſſis hiſce in terris, felicitatem conſequendam. Hinc permulta, queis ſtat tamen quævis reſpublica, non ad rigidam illam honeſti aut inhoneſti amuſſim queunt exigi, quoniam ſc. alterius ſunt naturæ; ſed uſu duntaxat vel damno civilis fortunæ metienda ſunt. Ergo & eorum quæ ad noſtram pertinent Imperij rempubl. longe maxima pars extra honeſti atque inhoneſti vim eſt ſita, adeoque hujuſcemodi æternis naturæ legibus non aſtringitur, ſed leges atq; jura ſua ab ijs accipit, quos penes ferendi iſta arbitrium ac poteſtas eſt. Habent vero hodie hanc poteſtatem & hoc arbitrium nullæ exteræ gentes, olim Romani non habuerunt; ſed ut olim ita & nunc temporis noſtræ ſpontis Germani ſumus, idque demum in commune quidem penes omnes juſtum eſſe arbitramur, quodcunque una cum Cæſare Ordines expreſſe decreverunt, aut in morem tranſire ſunt paſſi. Vndenam ergo decreta aut conſuetudines Germanici Imperij Ordinum quis diſcat, quam ex ipſis rebus noſtris, earumque monumentis vetuſtis recentibuſque? Scilicet hæc ſunt illa ſcrinia publica leges Imperij continentia; etſi earum utilitas aut inutilitas tantum ex præceptis prudentiæ civilis queat dignoſci.

Verum difficile nimis negotium & ſupra ingenij unius vires poſitum exigere fortaſſis videor, DOMINE, quum nihilomi- *Oſtenditur non ita difficile hoc*

ſtudiūm eſſe, ut videtur.

hilominus Imperij notitiam commendaverim omnibus reipubl. potiſſimis conſultoribus. Quum enim tanta ſit hiſtoricorum ſcriptorum legumque noſtrarum copia, quumque morum illa ac juris philoſophia, ſimulque communior iſthæc prudentia civilis, tam late pateat, haud videtur fieri poſſe ut unus aliquis homo natus tot rebus ediſcendis ſufficiat. Sed non quidem cujuſvis id eſſe, facile conceſſerim: ſicut nec omnes ea naturæ ſumus felicitate, ut idonei ſimus reipubl. adminiſtrandæ. Quin tamen à nonnullis non hæc tantum, verum etiam longe plura haud magno queant negocio addiſci, nullum dubium arbitror: quum vel hæc vita noſtra quotidie monſtret viros ejuſcemodi, in quibus omnigenæ omnino prudentiæ, ſimulque rerum noſtrarum nihil quidquam deſideraveris. Neque vero tantæ difficultatis negotium hoc eſt reapſe, quantæ prima videtur fronte: modo quis ab ingenio ſatis inſtructus rectam ineat ſtudiorum rationem. Illa enim niſi obſervetur, fateor, doctrinam hanc percipere non difficile tantum eſſe, verum & ἀδύνατον: quemadmodum indies cernimus plurimos hac una de cauſa & operam pariter omnem ac tempus perdere. Atque via quidem qua ad civilem aut morum juriſque philoſophiam itur alias monſtratur: illa vera utraque inſtructus ubi monumenta iſthæc legum ac rerum volutaveris, non tantum expeditum eſt ad Imperij notitiam iter ſed & admodum breve. Non enim eſt quur quem deterreat magnitudo voluminum aut copia ſcriptorum. Primo namque illa infra mediocritatem ſubſiſtunt; prout nunc ſtudiorum ſeſe moduli habent, quando quælibet diſciplina numero atque magnitudine ſcriptorum laborat. Deinde plæraque illorum non multam poſtulant mentis agitationem quo intelligantur: contra quam profecto in alijs artibus atque ſcientijs uſu venit. Quod enim nonnulli pretium operæ in lectionem impenſæ non capiant, non ſublimitati rerum, ſed

aut

aut infelici naturæ aut alioquin legentium imperitiæ eſt aſſcribendum. Fuit autem jam ante non ſemel monitum, & ingenij vires, ceu in omnibus, & prudentiam variam ad lectionem hanc adferendas eſſe. Hiſce vero adjutus qui eſt, is quaſi ictu oculi id pervidet circa quod alius cœci inſtar oberrat, & ſubito tranſit in quibus moram abſque fructu trahunt reliqui. Nam ne rudis quidem illa majorum ſcriptio obſtat hujuſcemodi lectori, quo minus in plæriſque eventorum conſilia ſilentio etiam præterita adſequatur. Scilicet ut peritus medicus ex plebeia narratione facile intelligit & illa quæ tacentur, ſupplente defectum narrationis medici peritia; quæ tamen indoctior aliquis ne magno quidem niſu perceperit: Ita & reipublicæ vitæque humanæ prudens lector, ex levibus indicijs cognoſcit non dicta, abditaſque rerum cauſas exponit in apricum, in ſubſidium prudentiæ naturæque viribus advocatis. Demum & hoc addendum eſt, eo citius percurri monumenta noſtra poſſe, quo plura continent ab Imperij illis maximis negotijs aliena: quorum notitiam nunc tamen in primis habemus propoſitam. Sæpe enim in alijs plane verſantur, quæ quidem uſum ſuum habent, non hunc tamen.

Paucis videlicet capitibus conſtat reipublicæ cujuslibet cognitio, præſertim ſi per ſumma tantum rerum placuerit ire, nec deſcendere ad minuta velis. Aurea enim ſunt illa Ariſtotelis noſtri verba: ἔςι δὲ τρία μόρια τῶν πολιτειῶν πασῶν περὶ ὧν δεῖ θεωρεῖν τὸν σπουδαῖον νομοθέτην, ἑκάςῃ τὸ συμφέρον. ὧν ἐχόντων καλῶς ἀνάγκη τὴν πολιτείαν ἔχειν καλῶς, καὶ τὰς πολιτείας ἀλλήλων διαφέρειν, ἐν τῷ διαφέρειν ἕκαστον τούτων· ἔστι δὲ τῶν τριῶν τούτων ἓν μέν τι τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν· δεύτερον δὲ τὸ περὶ τὰς ἀρχάς· τρίτον δέ τι τὸ δικάζον. *omnium rerumpubl. tria ſunt membra, quorum quid cuiq; expediat attendere diligentem legiſlatorem addecet. queis ſcilicet recte ſeſe habentibus neceſſum eſt & reſpubl. recte ſe habere, atq; pro quorum cujuslibet differentia & reſpubl. ipſa inter ſe differunt.*

Summa capita cognoſcenda alicujus reipub. adeoque & noſtra,

Eſt autem trium horum primum, quiduam ſit, quod de publicis communibusq́ rebus conſultat: ſecundum, quod circa magiſtratus verſatur: tertium vero, quid jus dicat. Intra hos cancellos ut aliarum rerumpublicarum, ita etiam Imperij noſtri notitia fere conſtricta eſt: tantum ſi addatur aliquid de terra ipſa, quæve hæc habet ad victum & ad pacis ac belli artes omnes idonea, ut & de ipſis Imperij civibus, adeoque & de eo, quænam terræ ad civitatem noſtram aut pertineant hodie aut olim pertinuerint; quæ tamen quæſtio non tam de republ. eſt ipſa quam de ejus ſubjecto, ut cum ſcholis loquar. Quod ſi enim conſtiterit, quomodo ab initio hunc uſque in diem affecta fuerit, aut quos penes ſteterit poteſtas illa ſumma decernendi aliquid de bello & pace, de ſocietatibus aut fœderibus, de morte aut exſilio civium Imperij noſtri, quos immediatos vulgo vocamus, de bonorum publicatione vel confiſcatione, deque referendis rationibus; (qua in poteſtate τὸ κύριον ſitum eſt reipubl.) tum quemadmodum hæc adminiſtrari ſoleant: Quod ſi porro noverimus omnem naturam magiſtratuum noſtrorum: (hos inter autem & Cæſaris & Ducum & Comitum officia numero,) quot nempe magiſtratuum munia Imperium noſtrum agnoſcat, quibus illa temporibus definierit, quomodove illa conſtituat, h. e. quibuſnam illa committat & per quos & ſortito ne an ſuffragio an certo natalium jure. Quod ſi ad ultimum perſpecta fuerit juriſdictionis noſtræ ratio, circa quæ & quemadmodum verſetur illa, judices vero ex quibus quove modo creentur: His inquam cognitis nihil magni deeſt Imperij notitiæ, & hæc ſola in monumentorum iſtorum lectione obſervaſſe, reliquis fere inſuper habitis, ad noſtrum hunc quidem ſcopum ſatis eſt.

Hæc non eſſe cognitu difficilia. Quam facile vero notari iſthæc poterunt ab homine cujus oculos ars illa civilis & morum juriſque philoſophia illuſtravit? Igneus ſc., ut ita dicam, illi redditus intellectus

eſt; itaque penetrat omnia, conjungit τὰ ὁμογενῆ, aliena ſeparat, & quidem quaſi in momento: id quod ignis in naturalium rerum præſtat coagmentatione. Non tam grave igitur, PRINCEPS OPTIME, hoc negotium eſt, quin & ſine alterius magiſterio expediri id à quovis poſſit, modo aut à natura non fuerit deſtitutus, aut illis quæ diximus adminiculis caruerit. Dubium certe nullum eſt, quin magiſtro docto & ſedulo præeunte, non longo temporis tractu, effectu id facile fit. Nec ſi quis non omnia quiverit perveſtigare, nullum hinc capiat fructum operæ: nam & *eſt quadam prodire tenus*; & ea conditio mortalitatis noſtræ, ut raro unus aliqua ſit in arte modo omni perfectus; dum ſingulorum ignorantiam univerſitas emendat. Certe hac de cauſa multitudinem quamvis rudem in commune conſulendo ſibi optime cernimus providere.

At ſatis multa mihi de Imperij noſtri notitia forte dicta ſunt, PRINCEPS *Illuſtriſſime*. Me ſane ipſum tædere incipit tam prolixi ſermonis, etſi unius publici boni cauſſa illum extorſerit. Non poſſum tamen non attingere etiam præcedentium temporum res noſtras. Octingenti enim præter propter nunc anni ſunt, quum rerum potiente Carolo cui virtus Magni cognomentum peperit, Gallia, Germania & Italia in unum corpus concrevit: Septingenti, quando Galliâ illâ quæ trans Rhodanum & Moſam nobis eſt res ſuas curante, Germania noſtra Italiam gubernandam ſimul cum Auguſto Cæſarum & Romani Imperii titulo, in Ottone id nominis primo Saxone, accepit. Ergo Imperij illius noſtri res octo aut tantum, ſi mavis, ſeptem ſeculorum ambitu continentur: adeoque longe maxima & multa quæ ante hæc geſta ſunt non comprehendunt. Quamvis autem quæ ad Imperium pertinent ſint præ omnibus alijs maxime non digna tantum ſed & neceſſaria cognitu, ut ſupra oſtenſum eſt; videtur tamen

Transg. ad anti. Germ. hiſtoriam

men ne hic quidem ſubſiſtendum libere nato atq; ad eruditionem educato homini, ſed etiam pergendum ultra inque vetuſtiora etiam, quoad licet, inquirendum. Vereor enim ne putidiuſculum ſit, virum qui ſeſe doctum profitetur, gentis ſuæ originem neſcire, atque in alienis quidem ſapere domi vero notore indigere. Certe non Græcorum, non Romanorum doctiores in ſeſe hoc ipſum paſſi ſunt deſiderare; ſed tantum non anxie primordia ipſa ſua ſcrutati ſunt. Quin & Ægyptii Chaldæique vetuſta illa ſuarum rerum memoria admodum ſeſe jactaverunt.

Uſus hiſtoriæ antiquæ Germ. Habet vero & haud exiguum ad res Imperij noſcendas uſum vetuſtiorum illorum accuratior notitia. Si enim ad reipubl. formam reſpexerimus, quomodo illa aut quando cæperit Germanicis gentibus allubeſcere, ex antiquiſſimis demum licet monumentis addiſcere.

1. Ita & multa quæ ad populi libertatem, ad nobilium Principumque ſtatum, ad ſervitutem & alia pertinent, ſicut antequam magnum hoc Imperij corpus coaluit, cœpere, ita & altius ducta origine arceſſenda ſunt.

2. Taceo nunc Germaniam mediam incolere hodie Sarmaticas gentes; quæ unde advenerint aut quî ſeſe noſtras in terras effuderint, in rem haud parum fuerit non neſcire.

3. Illud ſilentio nefas fuerit præterire, non poſſe rectius nobis ingentem Dei erga nos gratiam ac miſericordiam innoteſcere, quam ſi antiquam illam Germaniæ faciem cum hodierna conferamus. Inde enim diſcimus, omnem culturam noſtram, omnem hanc elegantiam, Chriſtianæ religionis profeſſioni ferendam acceptam. Cum hac enim exutam feritatem, ablutas ſordes, correctam ruditatem, moderatam licentiam eſſe: ipſam terram olim informem, ſilvis horridam, paludibus fœdam, cœlo aſperam, triſtem cultu aſpectuque, nunc Chriſtianiſmi interventu ſplendore urbium formoſiſſimam, nemoribus amœnam, paludibus mundam, cœlo mollem, aſpectu

4.

longe jucundiſſimam redditam. Quæ profectò volvere animo magnum pietatis incitamentum ſunt: decet autem nos, niſi fallor, beneficia hæc divina etiam ſæpius recordari, quod raro exemplo præ alijs terris Germania iſtis affecta ſit. Itaque vel hac ſola de cauſa pretium operæ fuerit ad antiqua iſta nonnunquam recurrere, præſertim quum ſevero edicto Deum Opt. Max. ab Hebræis ſuis idem illud certum ſit exegiſſe. Cæterùm & alia multa ſunt quæ id flagitent. Videmus 5.
enim in Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, Germaniaque omni, Romanorum poſt tempora, nova quaſi gentium jura exorta quæ non aliunde quam ex antiquiſſimis Germaniæ inſtitutis profluunt. Quemadmodum enim Itali olim vicinæque gentes Græcorum mores legesque, Dionyſio Halycarnaſſenſi teſte, ſunt ſequutæ, unde jus aliquod gentium improprie ita dictum exortum eſt: ita, (verba ſunt ſummi viri Hugonis Grotij,) *& revera factum videmus, ex quo Germanicæ nationes Europam ferme omnem invaſerunt. Sicut enim olim jura Græca, ita nunc Germanica inſtituta paſſim recepta ſunt, & nunc etiam vigent.* Obſervare autem licet plærorumque illorum in antiquiſſimis etiam monumentis noſtris haud levia indicia: quod ad rectam legum intelligentiam haud parum facit. Silebo nunc regnorum Principatuumque in potiſſima Europæ parte formas conſtitutioneſque ab antiquis Germanorum conſuetudinibus derivari. Solum illud unicum addo, Romani Imperij extrema abſque Germanicarum rerum noticia illa non percipi, eo quod à Germanis Romana illa vis fracta ſit & perdita. Vandali enim Gothi, Gepidæ, Heruli, Rugij, Suevi, Burgundiones, Alemanni, Langobardi, Franci, Saxones, Germanica nomina ſunt, atque ex Germaniæ ſolo provenere, vacua trans Albim Sarmatis Venedis relicta ſede. Sed quid pergo fructus hujus ſcientiæ commendare? quum vel ſola jucunditas, vel ea quam majoribus de-

l. 2. de jure belli c. 8. §. 1.

6. (margin, beside "facit. Silebo nunc regnorum…")

7. (margin, beside "manorum conſuetudinibus derivari. Solum illud unicum")

bemus pietas ac reverentia, veter res illas antiquiſſimas ab oblivione non vindicare? Certe his cauſis motæ præclaræ illæ animæ fuerunt, quæ magno ſtudio hiſce cumptimis proximis centum annis, in primordia noſtra inquirentes, obſcuris lucem, obſoletis nitorem; dubiis fidem, & pereunti memoriæ quaſi animam iterum reddiderunt.

Varia ratio eruendi antiquit. German.

Verum enimvero priſca illa repetentibus, PRINCEPS; origineſque noſtras eruentibus perquam multa ſeſe objicere impedimenta videntur. Nam qui res illas perſequuti ſunt diverſiſſimas longe vias ſunt ſequuti, ut dubitet quis merito quibusnam potius ſit accedendum. Alij enim ſolum exteris Græcorum atque Romanorum narrationibus cenſent hoc in argumento eſſe ſtandum: alij ad patriam ac domeſticam aliquam memoriam provocant: ſunt qui & conjectando ex nominum quadam ſimilitudine & nonnullis hujuſmodi alijs indicijs rem ſeſe magnam præſtitiſſe glorientur. Ita fit, ut dum illi diſſident inter ſeſe, nonnulli modeſtiſſimum reantur eſſe, nullos horum refellere, ſed omne hoc ſtudium, veluti quod comperti nihil, nihil ſinceri habeat, non attingere. Fortaſſis vero res ita ſeſe non habet, & modeſtiæ quidem ſuæ ſatis illi conſulunt non tamen rerum veritati. Etenim, ut de poſtremis quid primo loco afferam, ex ſola quidem affinitate nominum conjicere de gentium rebus, ſi nullum aliud adſit argumentum, audax eſſe & temerarium facinus quis non videt? Quaſi vero quidquam vulgarius ſit, quam ut ſoni quadam cognatione diverſiſſimæ res in diverſis linguis conveniant. Itaque Getas eſſe Gothos, Sacas Saxones, Myſios Miſnenſes, Dacos Danos, Phryges Friſios, Vandalos Venedos, atque in univerſum Carmanos Perſas eſſe nos Germanos, tantum propter hanc ſoni aliquam convenientiam quotquot credunt, neſcio annon riſum potius mereantur quàm refutationem. Certè mirum eſt inventos,

Perperam conjecturam capi ex nomin. ſimil.

ventos & in doctorum ordine, quibus iſthæc placuerunt. Non negaverim, aliquid illi argumento ponderis ineſſe ſi & alia confirment idem: at ex unico illo tot gentium cognationes migrationes atque hiſtorias condere, dedecet profecto gravem veritatis ſectatorem. Quare hæc quidem via calcanda non eſt: quicquid autem paſſim ſcriptoribus noſtris ſolo hoc ex fonte eſt hauſtum, inter fabellas numerandum illud ac germanas gerras.

Cæterum rectius multo videntur illi ire, qui veſtigia monumentorum domeſticorum inſequuntur. Quum enim teſtimonium omne aut domi aut foris petendum ſit, manifeſtum eſt id quod domo adfertur, exquiſitius altero eſſe poſſe, modo domi prudentes ſint fideque digni homines, nec res foris geſta ſit. Sed ut monumentorum noſtratium conditio pateſiat apertius, dividenda illa ſunt in literis prodita & ἄγραφα. Atque illorum quidem quin potior ſit prævaleatque auctoritas, nullum dubium eſt, recte enim T. Livio, magno ſane homini, *literæ ſunt una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum*. Neque vero famæ alicui ſola memoria ſubnixæ quis tuto crediderit, ſi aut intra paucos haud magni pretij homines illa ſtet, (nam quæ omnium conſenſu roboratur aliud habet pondus) aut præter propter ducentos ultra annos retro ſit porrecta. Inde enim (imo & infra illud ſpatium) incipit præ vetuſtate & fingendi licentia, & errandi pronitas, dum nihil eſt quo vel temere lapſi poſſint erigi vel e induſtria mentientes convincantur. Jam vero Cornelij quidem noſtri Taciti ætate, unum apud Germanos annalium genus carmina erant: literarum ſecreta viri pariter fœminæque ignorabant. Nec mirum ſane, quum illo ævo ne vicinis quidem cultioribus gentibus multus literarum uſus fuerit. Acceperant Galli à Maſſilienſibus Græcis literarum characteres; ſed jjs ad epiſtolas quidem & rationes patrio ſermo-

De monumentis domeſticis.

Liv. l.6.

De ſcriptis monumentis domeſticis.

ſermone ſcribendas utebantur, leges tamen & ſacrorum ritus ne J. Cæſaris quidem tempore ijs exprimebant, multo minus geſtas res. In Hiſpania præter colonos Phœnices & Græcos, ſolis, Strabone auctore, Turditanis olim literarum rudis quædam peritia fuit: memoriam tamen illos rerum parce conſignaſſe indicio eſt, quod quæ Trogus, Varro, Plinius de Hiſpania prodiderunt nullis ſcriptorum teſtimonijs confirment. Similiter in Britanniâ nullam rerum memoriam vel Julius Cæſar vel multo poſt C. Cornelius Tacitus invenerunt. Etſi vero in ijs terris, ſequentibus ſeculis, exortum aliquid literaturæ per Romanos ſit: interim tamen Germania literas perrexit ignorare. Non enim erat unde eas ſibi acciperet, quum Romanos odio plus quam Vatiniano proſequeretur. Multo poſt tempore Latinis characteribus Francicum ſermonem exarare conatum, difficultate tamen territum id omiſiſſe Carolum Magnum Cæſarem, teſtis eſt Eginhartus. Nec vero, tametſi unus alterque poſt idem conatus ſit, in morem ſtatum id abiit, ſed vix ante ſeculum Chriſtianum tertium decimum frequentatum. Antiquiſſima certè Imperij conſtitutio quæ noſtratis ſit linguæ Friderico II. Cæſare condita eſt anno CIↃ CC XXXVI: quare ejus rei ut inſolitæ hactenus diſertim meminit Godofredus Agrippinenſis ad S. Pantaleonis monachus. Neque credo memoriam aliquam rerum paterno ſermone ante iſthæc tempora conſignatam uſquam reperiri: hactenus ſane nihil tale editum in lucem eſt. Quæcunque ergo monumenta à noſtris majoribus tradita ſunt literis, ſi illud ævi antecedant, peregrino ſunt ſermone exarata. Nec tamen aliam temere linguam potuerunt adhibere quam Romanam: quum ea ſola inter omnes vicinas olim ſcripta ſit, ea ſola culta. Qui vero aut potuerint aut voluerint quidquam illo ſermone chartis committere, prius qua illa cœperit in pretio eſſe? Licet autem obſer-

Godofr. in Annal.

obſervare, Romani ſermonis uſum aliquem in Germanicis populis demum cum pietate Chriſtiana incœpiſſe: atque ea propter quo citius aut ſerius hac ſunt imbuti, eo etiam vetuſta aut recentia magis illius exordia eſſe. Non dico neminem quemquam Germanorum antehac Romanam linguam calluiſſe: abſurdum enim id dictu fuerit, quum jam à Cæſaris ævo Germani in commilitium ſint à Romanis aſſumpti & vel ex Tacito conſtet Arminium illum Cheruſcum Latine locutum. Tantum in pretio aut magno quodam uſu (ut nunc fit) eam ante religionis noſtræ primordia liberis Germanis gentibus fuiſſe, inficior. Sed quid opus verbis eſt, quando pro ſe teſtimonium res dicit? Etenim, aut quæ Chriſtianiſmum antecedant, aut quæ alio ſint ſermone ſcripta monumenta, nullus Germaniæ populus oſtenderit: quin imo quo quis aut citius aut ſerius nomen Salvatori noſtro dederit, eo magis minuſve antiquam ſuarum rerum memoriam habet. Haud neſcio jactari ab Arctois gentibus rupes Runicis quas appellant literis à remotiſſimis uſque ſeculis loquentes: aſt vero (quod illarum pace liceat proferre) primum, nihil tale habet Balthico mari ſubjecta Germania, quæ & nobiliſſima eſt & Imperij Romani nunc gaudet cognomento; deinde, non multum illæ rupes habent rerum antiquarum; quædam poſtremorum multa ficta narrando fidem omnium vehementer ſuſpectam reddiderunt. Certe longe hoc monumenti genus etiam infra Americanos Quipos videtur collocandum.

Quæ conditio ergo ſit literis traditorum domeſticorum noſtrorum monumentorum, quæve eorum antiquitas, hinc manifeſtum eſt: de ijs quæ literis conſignata non ſunt nunc dicendum. Horum autem duo quaſi genera recenſentur: alia enim numeris ſunt incluſa, alia ſine iſthoc vinculo vulgi ſermonibus ac memoria conſtant. Neque enim hæc po- *De memor. domeſt. non ſcripta.*

tuerunt majoribus noſtris deeſſe, quum natura mortales omnes actorum aliquam memoriam circumferamus. Vt autem de poſterioribus primum verb oaliquid moneam, nemini non apparet quantum illis ſit fidei tribuendum. Notum quippe, majores noſtros ut ingenio non excultos, ita poſteritatis parum curioſos fuiſſe. Neque enim tam gloriæ in longum extendendæ fuerunt ſtudioſi, quam recti conſcientiæ; *optimus quiſq; facere, quam dicere; ſua ab aliis benefacta laudari, quam ipſe aliorum narrare ſolebat.* Porro in quam famam omnes conſenſerunt eam haud de nihilo eſſe fatendum ſane eſt: at quæ paucis conſtat auctoribus parum profecto certi habet. Itaque licet fortaſſis nobis affirmare, nihil eorum temere credendum eſſe quæ traditione hujuſcemodi duntaxat ſubnixa, Chriſtianiſmi initia annis ducentis antecedunt: quoniam hoc cumprimis ſpatio fides talis memoriæ circumſcripta eſt, quemadmodum & ſupra diximus.

Sal. l. de bello Catal.

De majorum priſcis carminib.

Aſt carminum certior forte eſt veritas. Et ſane eſt hoc antiquiſſimum nobis annalium genus. Neque enim tantum uno id loco jam olim C. Cornelius Tacitus aſſeruit, ſed & alibi Arminij geſta majoribus cantata idem affirmavit. Laudat cantilenas Gothorum Anſibus dictas Jornandes Germanicorum ſcriptorum antiquisſimus. Earum in Langobardica hiſtoria meminit & Paulus Warnefridus. Ex iisdem Waſthali hiſtoriam ad Clodovæum uſque per annos Io cccc xxvi continuaſſe memoratur Francus Hunibaldus. Nec raro ijs utitur in Danica ſua hiſtoriâ Saxo Sialandicus, & avorum memoria in annalibus Bajoaricis J. Aventinus, ut alios nunc ſilentio præteream. Sed enim haud pauci & in doctorum ordine, qui non dubitant illorum fidem Græcorum Latinorumque teſtimoniis in ambiguo anteferre. Sed nemo quidem temere illa carmina rejecerit: ſi enim nullo alio ſaltim vetuſtate ſe commendant, & dubio procul non-

nihil

nihilquoque trahunt ex vero. At vim certæ ſententiæ in ijs collocare, neſcio an non fuerit veſtigia in lubrico ponere. Quis enim à Poëtis veram exigat rerum fidem, quorum ars omnis in fictione eſt? Quis veritatem credat ſervatam integram infida paucorum plerumque, partiumque ſtudijs deditorum memoria? Porro laboraſſe jam olim carminum noſtrorum fidem vel ex eo conſtat, quod Taciti tempeſtate, celebrarint Tuiſconem Deum terra editum & filium ejus Mannum, alia adhoc plures Deo ortos, originem gentis noſtræ conditoreſque: quæ falſi damnant ſacri Hebræorum codices, fictionis ob *vetuſtatis licentiam* ipſe Cornelius accuſat. Taceo, illa quæ ex ijs ſive Hunibaldus, ſive Saxo, ſive Aventinus, ſive alij adducunt, aut nullius eſſe momenti, aut ejus notæ ut fidem ijs habere ſit Romanis detrahere. Neque vero hæc ſententia in majorum vergit dedecus: ſimilis enim conditio & aliarum eſt cultiſſimarum gentium. Quippe antiquiſſimæ Græcorum res fabularum tormentis ſunt jactatæ; quare & C. Lactantius *poëtas multo antiquiores* ait, *eſſe, quam hiſtoricos &* Lact. l. 7. *oratores & cætera genera ſcriptorum.* De Britannorum Bardis cap. 22. hunc in modum canit Lucanus:

Vos quoq; qui fortes animas belloq; peremptas
Laudibus in longum vates diffunditis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Quid vero de ijs ut & illis, quos nunc Scoti Seneciones ap- Buch. l. 2. pellant, ſentiendum ſit, perdocte gravis auctor G. Buchana- rer. Scot. nus dudum explicavit. Ferme autem gemini hi fuerunt noſtris illis majorum vatibus: ut idem de utriſque judicium ſit ferendum.

Verum patet hinc in univerſum, quanti facienda ſint quæ aut cæteris ſcriptoribus indicta, aut contra quam illi tradidere, de majorum memoria nonnulli deprompta ſibi profitentur. Nempe aut fabuloſa eſſe ac commmentitia, aut

vero

vero dubia atque incomperta. Proinde, ut ſuarum rerum tempora Græci olim in ἄδηλον, μυθικὸν καὶ ἱστορικὸν diſtinxerunt; ita fortaſſis haud abſurde, ſi inter domeſtica ſit ſtandum, nobis quoque memoriæ hiſtoricæ cognomento ſola illa quæ literis à Chriſtianiſmi initio uſque eſt conſignata, appellanda eſt: carminum aliarumque narrationum ἀγράφων fides fabuloſa, reliqua ſpiſſæ tenebræ æſtimanda.

De monumentis peregrinis. Quod ſi ergo rerum noſtrarum antiquiorum notitiam aliquam certam placuerit comparare, manifeſtum eſt peregrina in primis ſcripta Græcorum Latinorumve (quos penes literarum in Europa olim gloria ſtetit) conſulenda eſſe. Ex Græcis tamen non multum fortaſſe præſidij quis cæperit. Etſi enim illa gens mirandæ fuerit ad extera pariter ac domeſtica cognoſcenda curioſitatis: tamen, multis demum poſt florentiſſimas res Ægyptiorum, Chaldæorum, Hebræorum & Phœnicum ſeculis, excoli literis cœpit. Itaque (ut recte ſcribit Flavius Joſephus) primi *qui hiſtorias apud eos conſcribere tentavere, Cadmus Mileſius & Acuſilaus Argivus, & poſt hunc quicunque alij fuiſſe memorantur, paululum Perſarum contra Græcos expeditionem præceſſere.* Quin conſtat, nullam illis certam temporũ ſeriem ante illa ludicra Iphiti inſtituta fuiſſe obſervatam. Ergo, ſicuti ſuis in antiquitatibus infantes fuere, (quod jure olim exprobratum Soloni ab Ægyptijs eſt,) ita peregrinorum in rebus minus ſapuerunt quam infantes, adeoque fruſtra ab illis primordia rerum noſtrarum exſpectaveris. Deinde, ne tum quidem quando omni doctrinarum genere claruerunt, ea quæ ad ſeptemtriones aut alias paulo remotiora erant, habuere comperta: quod cum res ipſa loquitur, tum vero non dubitavit fateri locupletiſſimus teſtis Strabo Amaſenus. Omnes enim aquilonares atque occidentales populi uno confuſo Scytharum nomine comprehenſi ſumus, donec paulatim diſtinctiora illa Celtarum Iberorumque cognomenta

De Græcis ſcriptis.

Ioſ. lib. 1. contra Apion.

Strabo l. 1. & 11.

menta

menta invaluerunt. Neque enim nos priſcis illis Græcis alio nomine, quam Celtarum aut Schytharum uſurpamur; Germanorum appellatione plane tum ignorata & multo l. I. Meteor. c. XIII. poſt demum reperta. Apud primum Ariſtotelem legimus memoratos Harcynios montes: ne quis laudem hanc cum J. Cæſare Eratoſtheni eat adſcriptum. Poſt hunc, Pythiam Maſſilienſem de ſuccini in Germaniæ littoribus collectione haud multum vero abſimilia prodidiſſe, ex Plinio diſcimus. Plinius l. XXXVI. 2. cap. II. Tametſi enim illum mendacij nugarumque accuſet Strabo, apud illum tamen principem cernere eſt Teutonorum, Guttonumque, Baſiliæ item ſeu (quod Timæus maluit) Balthiæ Strabo l. I. inſulæ memoriam. Præter hæc vix quicquam noſtrarum rerum in antiquis Græcorum ſcriptis reperimus: cum, quod alias ea tempeſtate præ feritate morum raris commercijs humanum genus ſibi invicem fuerit notum: tum vero, quoniam præter ſuccinum & ferarum pelles (horum enim vetuſtiſſima apud nos mercatura eſt) nihil illo tempore habuerit Germania quo alliceret emptorem.

Longe notior Romanis fuit gens noſtra: ideoque con- De mōnum. Latinis. tra plane hic accidit quam quod alibi Strabo dicit, *ubi Græci deficiunt haud multum eſſe quod à Romanis compleatur:* quicquid Strabo l. III. enim de noſtris rebus diſtinctius atque planius in Græcis legimus ſcriptis, id omne Romanorum diligentiæ debetur. His tamen ſatis ſero cœpimus innoteſcere. *Sexcenteſimum* (ait Tacitus) *& quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma.* Ea vero tempeſtate uſque adeo incognita Romanis Germania fuit, ut de Cimbrorum origine portenta mendaciorum paſſa ſit ſibi perſuaderi. Non niſi armis autem famam aliquam Romano in populo majores conſecuti ſunt. Sed cum tempore profecit noſtri cognitio, ſimul ac armorum vis magis magisque mutuo excrevit. Ex quo enim Gallia pulſus à Julio Cæſare

H Arioviſtus

Arioviſtus fuit, neque Romani dubitavere Rheno trajecto nos patrio in ſolo laceſſere, plurimis ſeculis rara nobis cum illis pax, nec niſi ad tempus aut infida, donec illorum potentia omnis per nos fracta concidit. Interea vero primum quidem terræ nationeſque Rhenum inter Danubium atque Albim ſitæ ferro igneque ipſa Auguſti tempeſtate ſunt perluſtratæ: mox & reliqua non potuerunt ignorari, propter mutuas clades aut commercia aut deniq; & commilitium. Certe jam tum Trajano imperante ita aperta bello Germania fuit, Str. l. vii. ut licet Strabo quondam dixiſſet: *quæ trans Albim ad Oceanum ſunt nobis prorſus ſunt ignota:* tunc tamen temporis fuerint etiam ipſæ ſuper Suevicum mare immenſæ peninſulæ exploratæ. Ex horum itaque ſcriptis num quis dubitet optime cognoſci quæ ad res noſtras illorum temporum pertinent? Niſi fortaſſe credideris res cognitas illos mendacijs voluiſſe incruſtare: quod de nemine tamen bono præſumi alias ſolet; de his ſcriptoribus nefas fuerit ſentire & inſanum, utpote quum & hi in alijs fidem doctrinamque ſuam ſatis probaverint, & res noſtræ alioquin integris legionibus per vaſtos temporum tractus fuerint perſpectæ, quale quid non fert mendacium.

Commendatio Romanor. ſcriptor. & in primis Taciti. Equidem illis, qui in defectu domeſticarum literarum, monumentis Græcis & præcipue Romanis, unice exiſtimant inſiſtendum, neminem paulo doctiorem gravioremque calculum ſuum denegaturum eſſe prorſus confido. Tantum optarim ſupereſſe illa omnia quæ olim iſti de gente noſtra prodiderunt. Præter enim illa quæ in commentarijs ſuis C. Jul. Cæſar memoriæ reliquit, aut iſta quæ ſparſim in varijs libris alijs etiamnum invenire eſt, jam olim præclara plurima ſunt conſignata, proprijs etiam hujus ipſius argumenti voluminibus, quæ nobis poſt ævum invidit. Sane T. Livium haud pauca de gente noſtra memoraſſe ex epitomatore ejus conſtat.

conſtat. Scripſerat & Aſinius Quadratus de Germaniâ, Strabone & Agathia teſtibus. C. Plinius bellorum Germaniæ libros xx. confecerat. Vt tamen horum deſiderium æquius feramus, unus libellus C. Cornelij Taciti effecit. Vt enim illis tempore poſterior eſt, ita dubio procul magis comperta Tacitus omnia habuit, adeoque fide ſcripſit certiore. Non in laudes viri digrediar, ut quem conſtat familiam ducere omnes inter hiſtoricos, qua prudentiam, qua ſincerum mentis judicium, qua poſtremo ipſam dictionis gravitatem. At patriæ noſtræ non poſſum non gratulari, quod ipſo in hoſtico hominem hunc dignitate, doctrina, prudentia atque eloquentia plane maximum, ſcriptorem invenerit ac laudatorem. Haud ignoro tantum virum à nonnullis noſtratium fictionis poſtulari: doleo duntaxat tam malam pro optime meritis gratiam referri. Quur credamus ignotam illi Germaniam fuiſſe non eſt, quemadmodum & ante oſtendimus. Et vero quantulum aut Rhenuus aut Danubius obſtabat illo tempore, quo minus nota Romæ Germania fuerit, quum utriuſque amnis littora pluribus legionibus defenderentur, & in media Roma miles Germanus excubaret? Diligentiam autem viri circa res noſtras inquirendas loquuntur ſcripta: utpote quum nemo de nobis plura, nemo certiora prodiderit. Neque vero eſt quur fidem ejus habeamus ſuſpectam, propterea quod ab J. Cæſare, Plinio, Strabone atque alijs diverſa nonnunquam narret. Facile enim probatu eſt pro hujus ſententijs ſequentium ſeculorum monumenta facere. Vt taceam per ſeſe liquere, illis minus comperta fuiſſe noſtra præ novitate; quando dies diem docet. Nec, etſi non Saxonum, non Francorum, non Bajoariorum, non Thuringorum nominatim meminerit, ideo oſcitanter ſcripſiſſe Tacitum æſtimandum eſt. Namque alias multis probavimus, Chaucorum titulo Saxones, Cattorum Francos, Marcomannorum

norum Bajoarios, Cheruſcorum & Hermundurorum Thuringos illi;uſurpatos? quamquam non ijs quibus nunc ſedibus ævo Taciti uſos, quodque ſoli inter Germanos Friſii antiquo adhuc nomine nuncupentur, qui & ipſi tamen pomœria ſua multum dilataverunt, in Oceani littora, à Chaucis & Cimbris forte deſerta, diffuſi. Quid? quod ne poſterorum quiſquam hanc illi palmam fecerit dubiam? Ipſe ille princeps vulgo creditus Geographorum Cl. Ptolemæus, *in Germania ciſrhenana quam turpiter multipliciterq́; ſit lapſus, item tranſrhenanam Germaniam omnem quam miſere turbaverit, noviſſima vetuſtiſſimis, ima ſummis confundens*, à doctiſſimis eſt viris demonſtratum, & quidem ipſis ijs qui ne Peluſio quidem proxima recte ab illo deſcripta annotaverunt. Neque vero alia ratio quam hæc una eſt, quur magno quidam ingenio viri, quum antiquiſſimas res noſtras tantum ex monumentis Græcis Romaniſque petendas recte cenſuiſſent, quicquid multo ſtudio argumenti hujus comportarant, quicquid ut ita loquar tenſis ingenij nervis inquiſierant; id omne ad Tacitum ceu ad cynoſuram atque amuſſim quandam narraverint. Id enim, ut alios ſileam, & Beatus Rhenanus & Andreas Althamerus & Jodocus Willichius præſtitere. Nec ſilum aliud ſecutus nuper Philippus Cluverius princeps Geographorum noſtra tempeſtate: qui tribus Germaniæ antiquæ ſcriptis libris tantum conatus omnium ſuperavit, quantum ingenij viribus & iſtarum literarum uſu mortales plæroſque antecelluit. Ego quoque (ut liceat & hoc addere) libelli illius admirabili & eloquentia & prudentia & ſub brevi ſermonis tegmine incredibili amplitudine fui motus, ut quum juvenes aliquot res noſtras prima ab memoria uſque docere, adeoque reipubl. parare ſuſcepiſſem, pretium me laboris capturum judicaverim, ſi quæ de republ. aut religione aut privatis moribus, item de gentium noſtratum origini-

Cluver.; præfat. in German. antiq.

bus,

bus,ſedibus & geſtis rebus, ad priſcum illud ævum pertinentia, obſervata mihi erant, illa omnia ad hujus adeo libelli explicationem, aut dixiſſem, aut ſuggerente memoria in calamum & chartam dictaviſſem.

Sed quid pergo Taciti illud opuſculum commendare, quod ne invidia quidem ſine rubore contempſerit? Quin potius venia mihi petenda eſt, quod tam multis de omni hiſtoriæ noſtræ ſtudio non dubitaverim coram te, PRINCEPS SERENISSIME, loqui. Et ſane crevit præter ſententiam mihi ſermo, jamque dudum eos quos initio conſtitueram limites egreſſus eſt. Rapuit ſcilicet me quamvis pene invitum cauſſa publicæ rei, ſimulque illa quam patriæ Germaniæ debeo coëgit quaſi pietas, apertius nonnihil monſtrare viam ad illas artes, queis ſine reſpubl. noſtra ſalva eſſe, aut eam quam habet dignitatem tueri, non poteſt. Tum vero ne quid diſſimulem, indignum arbitror facinus, Græciæ gentes & ſuæ nationis & peregrinas reſpubl. omnes poſteritati commendare ſtuduiſſe; nos vero noſtra negligere, ceu haud magni momenti. Et tamen non tantum Imperij ipſum illud corpus, ſed & ejus membra multam prudentiã optimaſq; reip. formas fere non minus quam olim Græcia, exhibent: quippe quum regna in ſingulis Principatibus, oligarchias in Noriberga & Lyneburgo, democratias in multis, ariſtocratias plæriſque in urbium, ſaltim magna ex parte habeamus. Taceo Amphyctionum conſeſſum umbram aliquam, ad Imperium noſtrum ſi conferas, videri, & cum Achaicum tum Ætholicum fœdus, quibus Græcia nihil illuſtrius habuit, abeſſe quam longiſſime à potentia & dignitate Helvetici pariter atque Belgico Germanici fœderis. Quod igitur pluribus illam viam, qua ad Imperij rerumque Germanarum itur notitiam, monſtraverim, ignoſces mihi ſcio, OPTIME PRINCEPS; præſertim quum ipſemet hac etiam tenera ætate hiſtorico ſtudio longe maxi-

me delectetis, jam tum ingente omnibus ſpe excitata, fore ut ubi adoleveris præclaræ illæ artes civiles, quæ nunc temporum injuria tantum non ſunt emortuæ, tuis auſpicijs iterum efflorescant. Certe neque omina deſunt id quæ promittant, ſi qua illorum fides eſt: quando tam multa in felicitatem tuam indies conſpirant. Interea Deum venerabor, ut Celſ. T. per hos vitæ ſcopulos velit ducere, & pace nobis reddita ad tam præclaros conatus præparare. Geſtit ſcilicet animus videre illud tempus, quum, abolito hoc civilis belli monſtro, illæ artes atque illa ſtudia, tuo multum illuſtri exemplo, recuperata priſtina ſua dignitate, rurſus excolentur.

IIX.

Præmiſſa Giphanianæ Politicorum Ariſtotelis interpretationi quæ prodiit Helmſtadij anno 1637. & ſubjuncta operi de Finibus Imperij Germanici anno 1654.

Ad Illuſtriſſimum Principem D. GVILIELMVM Ducem Brunſvicenſium & Lyneburgenſium.

Quicunque Germaniam noſtràm ſpectare hodie ſine gemitu & lacrumis poteſt, ILLUSTRISSIME PRINCEPS, næ ille aut ſtupidus eſt, aut vero tam malus ut præ animi perverſitate non tangatur publica calamitate. Ac ſtupido quidem atque inepto homini nemo facile ſuccenſebit: qui vero eo uſque proceſſerit malitiæ ut tantis malis delectetur potius quam ingemiſcat, illum ſane ex Germanorum numero ejiciendum, imo ex humanæ naturæ finibus exterminandum, neſcio an non quilibet mecum bonus cordatuſque judicaverit. Eo nimirum devenimus miſeriæ, ut vix illi quidquam poſſit

poſſit addi præter longam moram; ſacris profaniſque omnibus pollutis jam imo conculcatis. Neque vero unquam tam infelice fuimus loco, ex quo in unam civitatem Germanici populi coiere, toti autem octingenti ſunt anni, quum Caroli Francorum regis rara felicitate, omnis Germania unum ſceptrum cæpit colere. Etſi enim tam immenſo temporis tractu numquam fere ſua Germaniæ mala defuerint; numquam tamen illa aut tanto cum damno aut tanto cum periculo fuere conjuncta. Neque enim à vicinis quidem habuit olim quod metueret Germania: quoniam in parva atque invalida magnam partem regna tum illi dividerentur, ipſa contra viribus ac magnitudine omnibus longe præſtaret. Nam Galliæ quidem regnum quod trans Rhodanum nobis eſt, ſuos limites ab Henrico quem Aucupem nuncupant, & poſt ejus filio Othone I accepit; quo Sequani, Sclabi, Leuci, Mediomatrices, inque his Lotharingia, Lucemburgenſis, Namurcenſis, aliæque ditiones complures, Germanici juris ſunt facti, & uno ut verbo dicam, omne illud regnum Lotharij quod dicebatur æternis legibus Germaniæ noſtræ Cisrhenanæ conjunctum eſt. Acceſſit poſt Conrado Imperatore Burgundiæ ſive Arelatenſe regnum: quo ſimul Sebuſiani, Viberi, Veragri, magna Helvetiorum pars, Allobroges item, & Galli Provinciales, atque adeo quicquid à Jura monte inter Rhenum & Rhodanum ad mare uſque decurrit, intra limites Germanici Imperij ſunt recepti. Illa ergo tempeſtate profecto non multum valuit Gallia, nec potuiſſet illa tranſgredi hos limites, ſi, ut primum, ita poſt Cæſarum Regumque noſtrorum dignitas manſiſſet ſalva. Eodem tempore nec Polonia adeo late patebat: à ſeptemtrione Æſtyorum gentibus Pruſſis, Livonibus, à meridie Bohemia, Moravia, atque Vngaricis montibus, ab ortu Ruſſis ac Lithuanis, ab occidente denique Marchia Brandenburgenſi incluſa:

incluſa: à Conrado inſuper Saliquo Cæſare & fidem jurare & annuum tributum juſſa pendere quingentarum marcarum auri. Vngaria etiam numquam ſeſe movere eſt auſa, ex quo intra fines ſuos, à Carolo Magno olim Hunnis poſitos, ab Henrico Aucupe & Magno Othone eſt compulſa, quin haud ſemel deliberatum in Ordinum conventu de illa in provinciam redigenda, annitente potiſſimum fortiſſimo Cæſarum Frederico Ahenobarbo. Eadem ferme conditio Daniæ fuit & Succiæ. De Italia vero dicere ineptum fuerit; ut quam paruiſſe nobis ea ætate certum ſit, nunc vero etiam Imperij Germanici leges audiat. In univerſum ergo æſtimanti, unam Germaniam ad Henricum IVtum uſque, non ſingulis tantum vicinis regnis ac populis, ſed & univerſis potuiſſe opponi, non eſt quur debeat videri dubium aut vero abſimile. Poſtilla (fateor) magis magiſque & lapſa Imperij dignitas pariter, & crevit in vicinis nonnullis haud parum potentia. Æternum ſc. eſt illud Livij: *Nulla magna civitas diu quieſcere poteſt: ſi foris hoſtem non habeat, domi invenit.* Erant Germaniæ populi animo feroces, manu prompti, bello læti, aſſueti latrocinijs: neque nova tentaturis hactenus quidquam fere præter occaſionem aut vires defuerant: Henrico vero IV rege neque illa neque hæ amplius deſiderabantur. Nam qui anteceſſerant reges publicorum regni bonorum imprudente profuſione, cum rerum gerendarum nervo vim ſibi auctoritatemque multum jam præſciderant. Eo quippe vitio ab antiquiſſimis uſque temporibus Germanicæ ſemper laboravere reſpubl. ut nulla fiſci atque ærarij facta diſtinctione, omnium æque prodigendi poteſtas regibus permitteretur, hi vero nullum ejus modum ponerent: quo regna interire neceſſum eſt. Acceſſerat jam tum aliud regnis æque exitioſum vitium, nimia quorundam procerum, ſacrorum præcipue, potentia, eaque novo vitio pene hereditaria facta. Namque initio quidem

dem innumeros in Comitatus quos vocant diviſa Germania fuerat: jam tum temporis vero, multis minus circumſpecta regum liberalitate in unum corpus concreſcentibus, quidam formidabiles ſuis opibus erant. Et ſane tales cum alij tum inprimis quidam erant Epiſcoporum; quod majus erat vitium: quippe cum hi præter opes religione etiam armarentur. Aureum ſc. eſt illud Ariſtotelis ſcitum: κοινὴ δὲ φυλακὴ πάσης μοναρχίας, τὸ μηδένα ποιεῖν ἕνα μέγαν· ἀλλ' εἴπερ, πλείους· τηρήσουσι γὰρ ἀλλήλους. ἐὰν δ' ἄρα τινὰ δέῃ ποιῆσαι μέγαν, μή τοι τό γε ἦθος θρασύν· ἐπιθετικώτατον γὰρ τὸ τοιοῦτον ἦθος περὶ πάσας τὰς πράξεις. *communis omnis monarchiæ cuſtodia eſt, neminem unum magnum facere, ſed plures ſi ita videatur. mutuo enim ſeſe obſervabunt. Quod ſi aliquis magnus faciendus fuerit, non is tamen qui eſt ingenio audaci. tale enim ingenium omnibus in rebus eſt turbulentiſſimum.* Tantis autem vitijs laborante regno, quis miretur, rege per ætatem adhuc deſpecto, immutatam tunc reipubl. priſtinam faciem, ac ſoluta regiæ auctoritatis vincula eſſe? Certe occaſionem motibus eius temporis ab immaturis regis annis datam, jam tum Adamo eſt Bremenſi obſervatum. *Gubernaculo,* inquit ille, *regni mulier cum puero magno Imperij præfuit detrimento. Indignantes enim Principes aut muliebri poteſtate conſtringi, aut infantuli ditione regi, primo quidem conjuncti vindicarunt ſe in priſtinam libertatem, ut non ſervirent: deinde contentionem moverunt inter ſe quis eorum videretur eſſe major: poſtremo armis audacter ſumptis regem & dominum ſuum deponere moliti ſunt.* Atque ille quidem jam adultior, qua erat animi magnitudine, recuperare pereuntem dignitatem haud ſegniter profecto laboravit: ſed neque ſatis omnia prudenter fortaſſis egit, & intervenere nonnulla fatali quadam adverſitate, quæ penitus ipſum tandem regno atque omni plane auctoritate exuerunt. Nec vero prudens quis forte laudaverit, quod ab Epiſcopis in ordinem redigen-

dis reparandæ dignitatis initia voluerit facere. Quin nec id forte ſatis caute inceptum, quod quum Saxonicorum Principum potentiam præcipue ſuſpectaret, eamque vellet imminutam; militari licentia irritari ante eos paſſus, mox uno illos impetu ad obſequium cogere conatus ſit: quum tamen nec rebus ſatis eſſet firmis, & prætererea jam tum cum alios Principes tum inprimis Epiſcopos multis offendiſſet injurijs, adeoque in impietatis ac injuſtitiæ opinionem ſe conjeciſſet: queis regiam vim affectanti nihil eſt pernicioſius. Neque vero ita tractandi ſunt, ſi qui ſint feroces, altiuſque excreverint quam regiæ interſit dignitatis. Sapientiſſime ſc. Ariſtoteles jubet: *κἂν τῆς δυνάμεώς τινα δοκῇ καταλύειν, ἐκ προσαγωγῆς τοῦτο δρᾷν, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαιρεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν· ἔτι δὲ πάσης τῆς ὕβρεως εἴργεσθαι*: *Atq; ſi alicujus potentia videatur diſſolvenda, erit hoc ſenſim ac paullatim faciendum, nec univerſa ſimul auferenda. Præterea abſtinendum omni contumelia.* Idem non minus prudenter ſuadet, debere regem, *τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως*: *videri ſemper ea maxime curare quæ ad Deos pertinent.* His itaque rebus quum tandem inauditum hactenus fulmen Pontificium ex Italia accederet, fieri aliter non potuit, quam ut regiæ majeſtatis quod ſupererat magna prorſus parte interiret. Et interiit certe, quando Principatibus alijs jam ante factis pene hereditarijs, Epiſcopatuum etiam atque Abbatiarum collationes quas appellant regio arbitratui ſunt ereptæ. Bene enim Onuphrius Panvinius in vita Gregorij VII ſcribit, eo ipſo *majeſtatem & dignitatem Imperij Romani everſam; dimidium Imperij ab Imperatore ſublatum, imo ea fundamenta jacta, quibus illius poteſtas omnino labefactaretur.* Ita ſc. ſele res habet: tantum quis valet quantum aut pœnis aut largitionibus valet: metu autem ſublato, & ſi nec quod à te ſperetur ſuperſit, ſimul & auctoritas omnis concidat neceſſum eſt. Neque vero poſt multum eſt relictum

Impe-

Imperatoribus,quo animos male ſubditos ſibi conciliarent: itaque & paulatim magis magiſque dignitas eorum imminuta, & regnum varias in partes vix leviter mutuo connexas diſcerptum eſt. Non enim eo ex tempore tam ſerio de reipubl. magno illo & integro corpore conſervando fuit actum, quam quo unusquiſque communi corpori ſeſe ſubduceret, privatimque potentia aliqua parta regiam vim inter ſuos exerceret. Eo ſane factum, ut procedente tempore nonnullæ Imperij veteres portiones in libertatem ſe vindicaverint:nonnullæ opibus in aliorum formidinem creverint, redactis jam illis olim infinitis Comitatibus ad paucos; quod ipſum quidnam minitetur haud latet peritos rerum. Certe cum in locum denique res venere, ut vix quidquam ſuperfuerit amplius quo unitiſſima ante regni membra ad communia conſilia continerentur, præter Turcicæ potentiæ & proſcriptionis metum: donec Friderico III & Maximiliano Cæſaribus de arctius conjungendis Germaniæ Ordinibus magis ſedulo cœpit actitari. Et vero eo conſilio in Circulos, quos vocant, Germania diviſa eſt. Nec illud non merito laudaveris: ſi non & iſthæc diviſio unitati reipubl. nonnihil fortaſſis impedimento ſit. Adeo ſane noxia civitati omnis diſtinctio eſt, ut vel locorum aliqua varietas atque intercapedo ſeditionibus ſufficiat alendis, quod prudentibus notatum. Fatendum tamen omnino eſt, poſt deminutam regiam auctoritatem, huc illuc dilabentibus Imperij membris, non melius remedium aliquot fuiſſe ſeculis adhibitum. Certe abs illo ſi fuiſſet, jamdudum Germania in partes diſſoluta inque ſe mutuo ruens interiiſſet. Taceo & paci publicæ eo conſultum eſſe, & legum auctoritati; quæ ſine cogendi facultate ludibrium uſtitiæ ſunt. Nonnullis ſane leviter mutatis & paucis additis, ſi non ad proferendos limites aut recuperanda amiſſa, ad defendenda tamen quæ ſupererant, inprimis ad libertatem

Ordinum conſervandam illis inſtitutis ſufficere ſibi Germania potuit. Sed vix cœperat illa conſtitutio, quum exorto religionis diſſidio, ita ſtatim Principum populorumque animi ſunt diſtracti quam antehac numquam; enatiſque religionis aut cauſa aut prætextu varijs factionibus effectum eſt, ut optimo inſtituto, quoque uno pene Germania ſtabat, ſuus fructus identidem hactenus defuerit: donec hoc civile bellum, omnium queis Germania unquam laboravit funeſtiſſimum & mole maximum, illam pariter & bonas leges cæteras ſuſtulit ac conculcavit. In eas ſc. anguſtias Germania conjecta eſt hodie diſcordiis noſtris, Illuſtriſſime Princeps, ut antegreſſa mala ludum jocumque præ hiſce merito dixeris. Nocuerunt enim plurimum quidem iſtæ poſt Henricum IV regem innumeræ pene factiones, effeceruntque ut, ſublato noſtri metu, vicini populi primò imperium detrectari, mox & partem Germaniæ decerpi, impune poſſe didicerint: hi tamen & damni minus poterant dare, utpote initio ipſi quoque non multum validi, & minus etiam ſunt auſi memoria antiqui roboris noſtri adhuc durante, neque ita ut nunc ſingulorum attritis viribus, animiſque omnium diſtractis in diverſa. Neque vero aliam ob rem quam propter inteſtinos majorum motus & Polonia & Italia paulatim imperium exuit Germanorum: neque alia fere de cauſa tranſalpinas regni partes invadere Galli, Poloni, alijque ſunt auſi: certe non alia occaſione multi Imperio ſubditi Ordines propria ſibi domi regna cœperunt condere. Hæc quippe omnia Optimatum noſtrorum cum Cæſare Henrico IV bella ſtatim excepere. Quod quoniam de Polonia quidem, ſcriptor ejus ætatis accuratiſſimus, Lambertus Aſchafnaburgenſis, ſapienter memoriæ tradidit, forte haud abs re fuerit illum heic audiri. *Dux Polonorum*, inquit ille ad annum MLXXVII, *qui per multos jam annos regibus Teutonicis tributarius fuerat, cujuſque*

regnum

regnum jam olim Teutonicorum virtute ſubactum atq; in provinciam redactum fuerat, repente in ſuperbiam elatus, propterea quod Principes Teutonicos cerneret domeſticis ſeditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem regiumq; nomen ſibi uſurpavit, diadema impoſuit, atq; ipſo die natalis domini à XV epiſcopis in regem eſt conſecratus. Quâ brevi poſt comperta, Principes Teutonicos, quibus reipubl. dignitas curæ fuit, graviter affecere. Sibiq; invicem ſuccenſebant, quod dum inteſtinis in ſe atq; in ſua viſcera odiis ſævirent & digladiarentur, potentiam opeſq; barbarorum in tantum aluiſſent, ut jam tertio Dux Boëmicus regnum Teutonicum ferro & igne populabundus peragraſſet, & nunc Dux Polonorum in ignominiam regni Teutonici, contra leges ac jura majorum, regium nomen regiumq; diadema impudens affectaſſet. Hæc ille; prolixius forte quam ut omnia ejus verba recitari à me debuiſſent: vere tamen. Queis profecto manifeſtum fit, tum etiam temporis, omnibus in partes sciſſis, damnum civilis diſcordiæ ſeriò nonnullos procerum deploraſſe. Et vero redacta quidem poſt nonnihil in ordinem viciſſim eſt Polonia, ſopitis factionibus; iiſdem tamen recrudeſcentibus in immenſum, Friderico II Cæſare potiſſimum, cumque illo concidentibus majori ex parte regiæ dignitatis reliquijs, illa ad ingenium reverſa non tantum penitus Imperij ſeſe legibus ſubduxit, ſed & Jagellone rege in eandem rempublicam concedentibus Lithuanis, ita crevit, ut nec dubitaverit, præter Maſoviam, Æſtyorum gentes, Pruſſos inquam & Livonos, nobiles profecto Imperij Germanici portiones, ſui juris efficere. Minor fuit Italiæ fortuna, & ipſa quippe factionibus laborante; quantum tamen contra nos poſt funeſta iſta Henrici cum proceribus certamina fuerit auſa, quantumque extulerint nonnullæ Langobardici regni urbes caput ſuum, in quam potentiam curia Romana Germanicis illis motibus ſurrexerit, quomodo denique

nique novum ibi regnum conditum erepta Apuliæ provincia; nemo ignorat niſi rerum ejus temporis imperitus infans. Is vero fuit exitus: ut qui Fridericum II ſequuti ſunt Cæſares, contenti fere jura ſua antiqua per factiones Gibellinicas conſervare, præter auguſtum Imperatorium nomen, umbram potius priſtinæ auctoritatis retinuerint in Italis quàm vim certam imperij. Non alia autem occaſione & Arelatenſe regnum in Galliæ poteſtatem pervenit. Interceptum enim initio illud eſſe Rudolpho rege, ſumme debilitata poſt interregnum publica Cæſarum auctoritate, & componendis turbis occupato Rudolpho, memorant annales. Obtemperabant quidem etiam ante minus quàm par erat regiones illæ: ſed & illud reipublicæ vitio fiebat, quum ſummi ante imperij jure Cæſares noſtri poſt Conradum illis præfuiſſent. Quicquid ſit; certe quod illius regni plæraque hodie Gallici juris habeantur, ſive fiduciarium illud jus ſit ſive pleni dominij, (neque enim id diſputare nunc meum eſt) inteſtinis profecto diſſidiis debet Germania; coactis tandem Cæſaribus quacumque beneficij ſpecie donare quæ ipſis nolentibus tamen poſſiderentur. Jam Mediomatricum urbem, Tullum item ac Virodunum, qua Galli ratione ſuæ ditionis fecerint, quum patrum memoria ſit geſtum, neminem poteſt præterire: ſicuti neq; id temere quempiam fugit, quantum in Italiam aut Carolus VIII ſit auſus aut poſt illum ſucceſſores tentaverint. Interim videlicet dum decrevit regia dignitas apud nos & reſpublica in partes minuta eſt, alibi contra crevere in immenſum civitates, aut productis limitibus, ut apud Polonos, aut vi regnantium aucta, ut in Gallis. Nam Poloniæ quidem regnum vaſtiſſimo hodie ſpacio à nobis in Pontum uſque Euxinum, ab Ungaria item ad Suevicum ſeu Balthicum mare extenditur; quum olim iſtis quos ante ſignificavi terminis coarctaretur. Non multa etiam ſecula effluxere, quum regum auctori-

auctoritas in Gallijs pene precaria magis eſſet quàm ſuæ ſpontis: at poſtquam Ducatus Comitatuſque; quorum & apud illos magnus olim numerus atque regibus æmula potentia erat, non ad optimates ut in Germania ſed in regum devenere poteſtatem, ſimulque pulſis Anglis & emortuâ Burgundicâ domo ceſſerunt formidabiles factiones, auctis opibus additum regibus robur maximum eſt; adeo ut jam ſeculo integro amplius, qui ſua antehac tuebantur ægrè, Europæ univerſæ fortunam non levi nunc ex parte moderentur. Eadem vero conditio eſt & reliquorum ferè regnorum omnium. Ungarorum enim etſi multum ſit labefactatum, tantumque non penitus exciſum, in illum tamen locum accepimus longe potentiſſimam Othomannicam tyrannidem; adeoque nullo hodie latere magis metuere habemus nobis quam illo ipſo, cervicibus noſtris imminente hoſte non minus crudeli ac inhumano quàm valido & feroci. Quæ item memoria (ut in Septemtrionem me convertam) aut ipſa meminit aut audivit ex majoribus, Suecorum auſpicijs in media Germania geſtum bellum, quale noſtra ætas videt maximum? Quæ ſecula tam compoſitam Danorum rempubl. memorant, quàm eſt hodie? Quando omnis Britannia uni paruit? Ne dicam de Ruſſorum imperio, quàm illud vaſtum Tatarorum plurimis ſubactis cæperit eſſe nuper primum. Jam Hiſpania quis ignorat, aut quo terrore totum terrarum orbem compleverit, vel quam recenter demum formidabilis illa eſſe ceperit? Tangere enim iſthæc nunc ſatis eſt; memorare fuerit inane ac ſuperfluum. Sed quum tanta ſit omnium circumcirca regnorum potentia hodie; quumque diſcordiæ noſtræ civiles jam dudum damni tantum potuerint dare, validioribus adhuc rebus noſtris, adverſariorum autem minus valentibus; quum denique jam olim iſtæ deſpectabiles nos reddere potuerint, quæ tamen numquam in hunc modum exarſerant:

rant:

rant: quid ſperare hodie habemus, Sapientiſſime Princeps, quid habemus nobis polliceri? Neque vero inter potentes tuto quieſcas. Ubi dominatus quæritur pax aut tranquillitas tua irritamentum eſt ſervitutis. At vero bellis inteſtinis implicita gens non niſi civilia cogitat, nil metuens niſi civile, de reliquo ſecura, quaſi aut à nemine videreretur aut medios inter amicos ageret. Idemtidem etiam id ſolet fieri, quod alibi ait Titus Livius, ut *pars quæ domeſtico certamine inferior eſt externo potius ſe applicet, quam civi cedat.* Sic odio præſentium videlicet agitantur ſæpe partes, ut ſperent ſalutem ab ijs etiam, quos ſuæ ſaluti inſidiari, aut non ignorant, aut remota paululum affectus nebula ignorare non poſſent. Utinam vero non etiam nobis contingat, quod verè olim de Romanis divinavit Criſpus! *Ego ſic exiſtimo* dicebat ille ad Cæſarem, *quoniam orta omnia intereunt, quâ tempeſtate urbi Romanæ fatum excidij adventarit, cives cum civibus manus conſerturos. Ita defeſſos & exſangues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter, non orbis terrarum, nec cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queant hoc imperium.* Ac certè non etiam noſtrū Imperium vel uniti vicini populi omnes, vel remotiores quiq; laceſſerent impune, ſi concordes ageremus, & idem volentes idem nolentes conſuleremus in commune. Contra quam plane quum à nobis fiat, prohibeat ſaltim Deus id omen, transferatque in hoſtes malum illud, quod prudentia nobis metuendum judicat. Neque tamen externis tantum patet ad ictum civitas ſuis diſſidiis, ſed & ipſis civibus, ipſis amicis ejuſdemque ſacramenti hominibus, maximè ubi veram atque ſine exceptione victoriam qui expreſſerint. Habent quippe illi tum in manu rempubl. inque arbitrio ſuo, quam ut velint in priſtinum reducere ſtatum, vix poſſint tamen, præ acceptæ injuriæ memoria & metu vindictæ. *Omnia ſc.* (ut ſapienter loquitur M. Tullius) *ſunt in bellis civilibus miſera;*

fera: ſed nihil miſerius quàm ipſa victoria. Quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioreſque reddit: ut etſi natura tales non ſunt, neceſſitate eſſe cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio per quos vicit facienda ſunt. Quotus vero quiſque eſt, qui quum poſſit non etiam velit dominari hoſtibus devictis, aut rempubl. illo rurſum loco cupiat eſſe, quo cum eſſet, ipſe non poterat eſſe loco ſuo? Nimis dulce eſt regnare: nihil dulcius certe vulgo æſtimatur, quàm hoſtibus imperare. Sic ſc. ferè res eſt: ut tyrannis ex victoria civilis belli nata non tam vitio vertenda ſit tyranno victori, quam illi qui belli temere auctor fuit: quum movere iſtiusmodi bellum malitiæ plerumque ſit extremæ, tyrannidem armis partam nolle dimittere, communis hominum impotentiæ. Taceo nunc, quanto ſit cum reipubl. periculo conjunctum, non tantum ſi plene alterutra pars vicerit, ſed ſi vel leviter vicerit. Statim utique illa præponderat, trahitque reipubl. ſecum partem aliquam; quod profecto communi libertati per eſt inimicum. Ne illud quidem dicam: quod etſi æquis partibus finiatur contentio, maneat tamen *repoſtum alta mente* inflictum utrinque vulnus, haud rurſus coëunte facile vera amicitia ac firmâ ſocietate, quâ ſine tamen nulla civitas eſt ſalva.

Cœterum, quamobrem iſthæc reipubl. noſtræ mala nunc tango? aut quare pericula, in quæ bello hoc civili conjecti ſumus, nunc clara quaſi in luce propono, quum tamen reipubl. maxime interſit iſthæc ignorari? Equidem fateor, *Illuſtriſſime Princeps*, nihil magis in rem noſtram poſſe fieri, quam ſi mala noſtra omnis vicinia neſciat: utpote cui per iſtorum conſcientiam maximè vileſcamus, adeoque dominatui externo (uti ita loquar) moveamus ſalivam. Sed quî ignorent, qui ungues in noſtris ulceribus habent? aut verò quomodo tegamus quæ in orbis univerſi oculis ita hactenus ſunt

K geſta,

geſta, ut & ipſe in partes ſit raptus, idque vel quo ſuffunderet pro frigida oleum, vel ne damni alieni communione afficeretur. Nec tamen ego ſine cauſa iſthæc ſum apud Te conqueſtus, ſed cùm ne nihil agerem in patriæ incendio, tùm ut de optima notâ commendarem iſtam ſapientiam cujus ego auctorem maximum nunc offero. Etſi enim nemo prudens alijs ſatagentibus cum Diogene dolium volverit, neque rempublicam attingam ego, illorum vero potiſſimum, quibus ejus curam aut naſcendi lex aut ſacramentum injunxit, in officio ſit conſulere in commune: ſilere tamen & quieſcere in utramque aurem, ſi nihil aliud, ſaltim privata quæ ex publico proveniunt mala cotidiana, etiam me & mei ordinis homines, non permittunt. Etenim nos quidem præda tantùm victori ſumus, utque pilas nos agunt excelſi illi terrarum Joves: conqueri tamen, niſi fallor, licet & nobis, quod in prædæ veniamus partem; aut durius allidamur ſolo; fortè vero & acclamare ruentibus in periculum illis magnis Dijs, obligamur. Maxime tamen iſthæc me loqui fecit eruditionis negocium, & cumprimis civilis ſapientiæ: utpote quam ex merito commendare philoſophiam profeſſi ſit, commendare autem non liceat, niſi in ſcenam adductis reipubl. noſtræ ingentibus malis, quæ ex ejus cúmprimis neglectu (niſi valde decipior) magnam partem hactenus profluxere, nunc verò emendari nequeant niſi ex illa ipſa remedijs comparatis. Eſt nimirum (ut bene Tullius loquitur) *ars vivendi Prudentia, ut Medicina valetudinis.* Quemadmodum igitur artem ſuam laudaturi medici intereſt, haud neſciri vim morborum: ita profecto, quo pateat tandem aliquando hominibus noſtris civilis prudentiæ non utilitas dico ſed planè neceſſitas, in rem eſt non tacere quæ rempubl. maneant mala niſi provideatur. Satis enim, imo plùs ſatis, luit hactenus Germania negligentius habitæ prudentiæ culpam: utinam ſolùm tot moniti

damnis

damnis rectius ſapiamus in futurum! Initio enim regia quæ erat maxima auctoritas, & illa ſanè tempeſtate longè feliciſſime evenit patriæ noſtræ, haud aliâ æquè re quàm non obſervatis regnandi legibus, quas civilis hæc doctrina ſciſcit, concuſſa eſt: certè obſervatis illis ſtaret & iſta hodie inviolata, adorarentque etiamnum Germaniæ veſtigia qui nunc illius inſultant cervicibus. Quæ deinde cauſa alia armavit in Principes nonnullos populum ſubditum, quàm eadem regnandi ſive imperitia ſive incuria? Imo verò quâ alia re factum; ut poſt collapſam vim regiam, quum reſpubl. quaſi ſuapte ſponte in *ἀριστοκρατίαν* iret, facile ſanè fuiſſet firmam aliquam ac ſolidam condere non minus quam Veneta eſt, in varias potius illa partes abierit & pro uno reipubl. corpore natæ ſint tantùm non (ſi fas eſt dicere) ſcopæ diſſolutæ? Enimvero ſi ſuus fuiſſet prudentiæ apud nos civili locus, ſaltim non arma iſta induiſſet Germania, quîs *nobilitas cum plebe perit* hodie, & omnis patria in cineres ac favillas diſpergitur, triſte ſervitium neſcio cui tandem præbitura. Ut vero prudentia iſthac neglecta in has præcipue ærumnas incidimus, ita profecto, ſi quæ adhuc ſpes fuerit ſalutis, ab eadem diligentius cultâ unice illa exſpectanda eſt. Et vero undenam collabaſcens aliqua reſpubl. præſentius capiat auxilium ac ruinæ ſuæ fulcimentum, quàm ex illa doctrinâ, quæ ſola novit quid fugiendum publicè quid appetendum ſit, quæ ſola pericula damnaque expendit, quæ denique ſpe metuque utrinque liberatis ſola non ignorat medicinam malorum? Hæc eſt enim, *quæ* (quod ille ait) *præſentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.* Neque enim eſt quur in his negotijs, aut Ammonem conſulamus, aut petamus Delphos, aut inſpiciamus exta, aut aves obſervemus, aut poſtremo Chaldæos noſtros interrogemus; quod nunc etiam tot poſt interdicta divina humanaque multis cernimus eſſe familiare.

Non enim ſunt ij aut arte divini aut ſcientiæ,
ſed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli,
qui ſibi ſemitam non ſapiunt alteri monſtrant viam.

Solus in hiſce prudens ſapit. Soli illi datum imminentia non neſcire. Inquantum ſane futurorum capax eſt humanum genus. Etenim

multa tegit ſacro involucro natura, nec ullis
fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia.

Et verò habet & heic locum illud ex arte medica: *τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου οὔτε τῆς ὑγιείης in morbis acutis non in totum certa ſunt prænunciationes, neq; ſalutis neq; mortis:* quippe quum in illis reipubl. converſionibus non tantùm acutum aliquid ſit, verùm etiam fatale; quod ut à ſolo Deo eſt ita ſolius Dei eſt ſcire. Quæcunque tamen humano in his ſunt ingenio pervia, illa profectò non aſtra, non aves docebunt, ſed prudentiæ oracula.

Corniger hæc nobis non altius inprimet Ammon.

Ab illis etiam promptius remedia malis noſtris impetrabimus, quam Græci olim Delphis. Hæc incorrupti conſiliarij, abſque gratia, abſque timore & ſpe, ut quorum & cauſas ſola habeant procul.

Et vero in ea incidimus tempora, quando non amplius licet hæc negligere inconſulta. Ut enim impetrent veniam ſuæ negligentiæ tempora anteceſſa, hæc certè neſcio quî inveniant. Scilicet ut ſecundo vento aut tranquillo cœlo, inque alto, longè à rupibus, ſine periculo clavus navigij cuivis etiam committitur, inter Syrtes vero aut depreliantibus Aquilonibus ad ſolum tuto nauclerum recurrimus: ſic quieta adhuc republ. fortaſſis licuerit non advocare ſemper prudemtiam civilem in conſilium, & potuerint illam non male moderari vel è trivio homunciones: at nunc quando ſumma imis vertuntur, quumque error quili-

bet habeat quid lethale, profecto moribus illis (niſi totus fallor) vivere & nefas magnum & ſumma dementia fuerit. ὥσπερ γὰρ, (ut ſapientiſſimè loquitur Ariſtoteles noſter) τὰ μὲν σώματα εὖ διακείμενα πρὸς ὑγίειαν, καὶ πλοῖα τὰ πρὸς ναυτιλίαν καλῶς ἔχοντα τοῖς πλωτῆρσιν, ἐπιδέχεται πλείους ἁμαρτίας, ὥστε μὴ φθείρεσθαι δι' αὐτάς· τὰ δὲ νοσερῶς ἔχοντα τῶν σωμάτων, καὶ τὰ τῶν πλοίων ἐκλελυμένα, καὶ πλωτήρων τετυχηκότα φαύλων, οὐδὲ τὰς μικρὰς δύναται φέρειν ἁμαρτίας· οὕτω καὶ τῶν πολιτειῶν αἱ χείρισται πλείστης δέονται φυλακῆς. *Vt corpora bene conſtituta & naves ad navigandam nautis bene inſtructa plura peccata citra interitum recipiunt, morboſa vero corpora & naves fatiſcentes maliſque inſtructa nautis, ne parva quidem incommoda queunt ferre: ita & peſſima quæq; reſpubl. plurimam deſiderat & accuratam cuſtodiam.* Quod ſi vero prudentiæ illius conſilia audire vel nolimus vel nonqueam, quid ſupereſt (æternùm abſit vero illud omen) quàm ut ferale illud clametur, *exequias reipubl. ac libertati Germanicæ quibus commodum ire: hem tempus eſt.* Neque enim cum vulgo ſperemus (quod ille ait) *nihil agentibus in ſinum de cælo devolaturam victoriam* aut proſperam fortunam. Nolle ſapere, hoc ipſum eſt Deum offendere: ut velle, ejus eſt legibus obſequi: certumque eſt divinæ indicium iræ caligo menti offuſa. Quod non ſacris tantùm eſt literis traditum ſed & notum gentiliſmo fuit, dicente Ammiano Marcellino, *manum injicientibus fatis hebetari ſenſus hominum & obtundi.* Quam in ſententiam & de fato loquitur Vellejus Paterculus: *cujuſcunque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Verſus ſimilis argumenti quos recitat Lycurgus ſua contra Leocratem oratione, utut ſint perelegantes, referre hîc non attinet. Nec verò, etſi ſtulta etiam interdum emendet Deus, eſt quur perpetuum ſtultitiæ præſidium quis ſibi polliceatur: rara quippe iſthæc ſunt nec trahenda in exemplum, certè non in ſpem ſecundorum eventuum. Orandum itaque eſt ut in

ſano corpore mens ſana ſit. Quin imò, haud multum abſurde ille apud Criſpum: *non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando agendo proſpere omnia cedunt.* Et certe placata numinis indignatione, quam innumeris hactenus peccatis irritavimus, reſtituetur providendo quaſi poſtliminiò in integrum res etiam, (quantum ſpero) Germanorum, redibitq; priſtinum gentis decus, ita libertate Ordinum temperato Principatu, ut neque in hoc libidinem neque in illis licentiam habeamus metuere, ſed ſacra legum auctoritate cuncta in officio contineantur. Abſit enim ut vel in tenui hac Germaniæ fortunâ deſperemus omnia meliora, aut majorum gloriam extra oculos collocent Optimates. Etenim regnet modo in ſingulorum animis cura integri reipubl. corporis, penituſque omnibus ſit perſuaſum: Ducatus, Comitatus, Epiſcopatus, Abbatias, Vrbes, populoſque omnes Germanici Imperij id quod ſunt vere eſſe, h. e. partes non niſi uno vinculo, unoque ſpiritu ſalvas; & ſingulis licet invalidis, contra ſane tam potentes undique vicinos minus firmis, univerſos tamen & ſuis defendendis & terrendis omnium hoſtium conatibus ſufficere. Enimvero hoc animo atque hac ſententia obtinente, brevi efflorescent ipſi etiam cineres patriæ, ſtabitque æternùm Germania, firmius longe quam Palladio ſuo Troja. Certe contraria opinio Germaniæ evertendæ eſt orta: etſi olim damnoſa minus fuerit quam ſit nunc, præ vicinorum impotentia. Hæc vero ſententia ſi omnium animis inſideret, omnes etiam ad concordiam ſeſe componerent mutuamque amicitiam: qua res quantumvis parvæ in ſui formidinem ſolent creſcere.

Odijs autem detumeſcentibus, remotaque affectuum nebula, forte & religionis negotium ſeſe mitius haberet, quo tamen potiſſimum nunc reſpublica in partes ſcinditur, aliturque diſſidium noſtrum internecinum. Non enim eſt

fortaſſis, quur vel in tantis animorum fluctibus tranquillitatem omnem deſperemus; ſi procul gratia proculq; odio partium judicia collocentur, nec ſuperſtitio faſcinet oculos intellectus. Nam quur ſuperſtitioni non adſcribamus Vatinianum illum inter nonnullos ob religionem animum, vincentem prope furores Judaicorum Zelotarum? Quemadmodum enim his religio fuit,

vel monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,

vel beneficium accipere niſi à ſuis: ita videas & hodie in parte pietatis à nonnullis poni odium hoſtile in diſſentientes, errorum vero nullam gratiam nec veniam ullam. Atque illos quidem non rationali pietate, aut juſta Moſaicæ legis obſervantia iſtam inhumanitatem induiſſe nos docuit Salvator, partim exemplo proprio, à Samaritide fœmina non recuſans & petere aquam & accipere, partim & inſigni parabola de Samaritani nonneminis beneficentia erga viatorem à latronibus prope enecatum. Sed & noſtram inclementiam quis auſit amplius in officio Chriſtiani cultus numerare, poſteaquam & in inimicos extendendam benignitatem, & fide infirmum aſſumendum non ad altercationes diſputationum, ex lege Evangelica intellexerit? *Servum Domini non oportet pugnare*, ait Paulus, *ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario animo ſunt affecti, ſi quando det eis Deus forte reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis.* At ſi tam mitem ſeſe gerere paſtorem decet, quei gregis fuerit latrare ac modere? quei pietas fuerit quod in epiſcopo eſt impium? Idem tamen Apoſtolus hæreticum poſt unam alteramque admonitionem jubet vitandum. Ita eſt, ſed qualem? non alium utiq; quam eum quem noveris deploratæ ſalutis eſſe: inquit enim, *εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος.* Nec tamen, vel ejus hominis omne fortaſſis vitandum

con-

conſortium fuerit, ſaltim non illud quod occaſionem queat objicere corrigendi. Longe vero aliter & ipſe tractavit & tractare nos juſſit eos, qui ab hæreticis decepti ſpem adhuc relinquunt emendationis. Corinthij futuram corporum reviviſcentiam inficiabantur: Galatæ Moſis legem impio vinculo annectebant fidei ut neceſſariam, in aliud plane εὐαγγέλιον traducti. At cum his agens Apoſtolus ipſa manſuetudo eſt. Monet, increpat, docet, ut fratres, ut ſanctos Dei; nihil certe hîc videas durum aut inhumanum. Imo maximus magiſter ipſe, eum qui eccleſiam recuſat audire non alio quam publicani aut ethnici loco nobis vult eſſe; munera humanitatis non tollit, vel caritatis quem limitibus excludit; ut qui ipſemet cum publicanis & peccatoribus ederit biberitque, infirmorum ſanitati conſulens. Quin deſinamus ergo tandem atrocium contentionum; certe ne odia noſtra pluſquam Cadmea ſancto injunctæ pietatis titulo venditemus. Zelus iſte zelus amarus eſt, & carens ſcientia: illa inquam, *quæ primum quidem caſta eſt, deinde pacifica, æqua, obſequens, plena miſericordiæ & fructuum bonorum, abſq; diſceptatione, & minime ſimulata. Veritatem ſectemur, ſed adoleſcamus prorſus cum charitate.* Illa vero *iram cohibet, benigna eſt, non agit perperam, non inflatur, non agit indecore, non quærit quæ ſua ſunt, non exacerbatur, non cogitat malum, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Hac ſanè dulcorandus eſt noſter zelus, *ne mendaces ſimus contra veritatem. Moderatio noſtra innoteſcat omnibus.* Non equidem diſputabo heic, ſitne partium aliqua hæreſeos nomine infamanda, vel in quamnam illarum merito hoc probrum congruat; id certum arbitror, verum hæreticum non tam errore quam errandi pertinacia cenſendum, & poſſe lethales ſententias non peſſimis ingenijs innaſci, adeoque cum hæretica opinione nonnunquam catholicum animum conſiſtere; plane ut age-

re ini-

e iniquum quid etiam minime iniquus poteſt. Quid nos movet vero, quur pejus de nobis invicem ſuſpicemur, quam de Arianis ſanctiſſimus Maſſilienſium olim presbyter Salvianus? *Haeretici ſunt*, dicebat ille, *ſed non ſcientes, deniq; apud nos ſunt haeretici, apud ſe non ſunt: nam in tantum ſe catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo haereticae pravitatis infament. Quod ergo illi nobis ſunt & hoc nos illis.* Paulo poſt ſubjungens: *Errant ergo, ſed bono animo errant: non odio ſed affectu Dei: honorare ſe dominum atq; amare credentes. Quamvis non habeant rectā fidē, illi tamen hoc perfectam Dei aeſtimant caritatem. Et qualiter pro ipſo falſae opinionis errore in die judicij puniendi ſunt nemo poteſt ſcire niſi judex. Interim iccirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etſi non recte credere, affectu tamen piae opinionis errare.* Quid eſt, dico, quur alteri alteris pejus audiamus? quur errorum deteſtatio duriorem de moribus noſtris ſententiam ſtatuit? Sit tamen ita. Sit alterutra pars Arianis longe deterior, neutra tamen, quantum ſpero, ſuperat Manichaeorum blaſphemam impietatem. Manichaei vero erant, quos vir ſanctitate atque doctrina ad miraculum maximus Auguſtinus, in haec eſt verba alloquutus: *Illi ſaeviant in vos, qui neſciunt quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos ſaeviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piae mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſaeviant, qui neſciunt, quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum. Illi in vos ſaeviant, qui neſciunt quibus gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacunq; parte poſſit intelligi Deus. Poſtremo illi in vos ſaeviant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Ego autem ſaevire in vos omnino non poſſum: quos, ſicut me ipſum illo tempore, ita nunc debeo ſuſtinere, & tanta patientia vobiſcum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in veſtro dogmate rabioſus & caecus errarem.* Magna ſcilicet vis eſt in utramque par-

que partem opinionis inolitæ, quæque ceu cum materno lacte immulſa eſt, ſi accedat cumprimis ſectæ ſtudium, morbus, Galeno etiam meo judice, quavis ſcabie inſanabilior, quo laborantes, ſi eidem credimus, cœci atque ſurdi reddi conſuevere. Origenis dictum eſt: εὐχερέστερον γὰρ ἄνθρωπος τὰς περὶ ἄλλα συνηθείας, κἂν δυσαποσπάστως αὐτῶν ἔχῃ, καταλείψαι ἂν, ἢ τὰς περὶ τὰ δόγματα: *Facilius quis alia ſibi conſueta exuat, quantumvis illis affixus ſit, quam ea quæ dogmatum ſunt.* Quæ ſuperbia itaque fuerit & fragilis noſtræ mortalitatis dedignatio, tam atrociter animadvertere in culpam ingenii, & humanitatis obliviſci in peccato humanæ imbecillitatis? Non ego pravæ pervicaciæ ſum patronus, nec veniam peto vere hæretico homini, h. e. quem arrogantia aut nominis amor ſectam facit condere aut fovere, quique factionibus turbat publicam tranquillitatem. Nihil enim tam aſperum excogitari poſſe exiſtimo quo non ille aſpetius mereatur. Ne ſceleris quidem purum omnino dixerim, qui illi aures præbens in ſectæ communionem prolabitur. Tantum ita animadverti in deceptos optaverim, ne non tam interitum illorum curare quam ſalutem videamur quæſiviſſe. Et in hos ergo animadvertatur ſed ſine ſævitia: & hi increpentur ſed cum lenitate: moneantur ſed fraterne; denique ita tractentur, ut & ipſi intelligant, nihil in ſeſe nos habere odio præter hæreticam ſententiam, qua nihilominus cauſa maxime nos doleamus illorum vicem. Sed quo prolabor? Ego vero nihil aliud volo, Illuſtriſſime Princeps, quam periculis in quibus patria verſatur præſentiſſimis, omnes omnino quotquot ſumus ſerio admoneri, ut animos divulſos & factionibus diſtractos omnibus modis reducamus ad concordiam & commune reipubl. ſtudium: nihil vero eſſe, ne religionis quidem queis laboramus controverſias, quur ſaltim à curis concordiæ & pacis civilis cogitationes noſtras ſegregemus:

gemus: quod enim hinc hoſtilia inter cives odia exerceantur, non tam pietatis lege fieri quam inani quadam ſuperſtitione.

Atque me quidem haud latet, quantum ab hac manſuetudine abſint multorum mores; ſcio etiam id eſſe partium ingenium, ut altera vel indigne ferat vel metuat alterius benignitatem; cum tamen & inimicis benefaciendum ſit, nihil dubito & nolentibus & invitis & repugnantibus etiam modeſtiam, lenitatem, caritatemque tam ſevere nobis mandatam obtrudendam eſſe. Certe hanc viam primæ & incorruptæ Eccleſiæ Patres contra ſegreges & errantes inſiſtendam ſibi cenſuerunt. Quale enim hominum genus erant Donatiſtæ? arrogans, impium, hæreticum, in circumcellionibus ſuis etiam ſævum ac crudele. Hi vero ipſi erant, quos cum fratrum titulo fuiſſet dignatus, in hæc nectare quovis dulciora verba prorupit vir ſanctitate eximius Optatus Milevitanus. *Ne quis dicat me inconſiderate eos fratres appellare, qui tales ſunt. Quamvis & illi negent, & omnibus notum ſit quod nos odio habeant, & nolint ſe dici fratres noſtros: tamen nos recedere à timore dei non poſſumus. Quos hortatur Spiritus S. per Eſaiam prophetam dicens: vos qui timetis nomen domini audite nomen domini: ſi qui nos odio habent & execrantur, & nolunt ſe dici fratres noſtros, vos tamen dicite ÿs, fratres noſtri eſtis.* Ætate huic ſuppar Gregor. Nazianzi antiſtes longe piiſſimus dicebat: εἴπωμεν ἀδελφοὶ καὶ τοῖς μισοῦσιν ἡμᾶς, ἂν ἄρα δέχονται. Ante utrumque ſcripſerat B. Cyprianus, *optare ſe & conſulere pariter ac ſuadere, ut, ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, & conſentientis populi corpus unum gremio ſuo mater gaudens includat:* à fraternitatis vinculo ne erroribus infectos quidem excludens. Iſthoc autem ſi fuerimus animo (poſſumus autem & debemus eſſe) non concutietur reſpubl. enatis de religione diſputationibus noſtris, certe non ita ut nunc diſſipabitur:

Imo vero fiet, ut affectuum purus mentis oculus clare perſpiciat caligantem nunc vitio noſtro veritatis ſolem, utque omnes id amplectentes quod vere *καθολικὸν* eſt, h. e. quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus eſt creditum, ſopitis diſſidijs, *impacti ſimus eadem mente, & eadem ſententia.* Nimirum veritatem cernere non poteſt oculus odij ſpiſſo glaucomate ſuffuſus, utut illa clara ſit & ſolem ipſum geſtes manibus. Optimus demum magiſter lenis oratio eſt: irrepit quippe in animum latenter ſua dulcedine, intimas mox ejus fibras expurgatura. Hieronymi aurea ſententia eſt: *Qui modeſte alloquitur proximum gratum accipit reſponſum, & quaſi de uberibus in quibus lac quærebat butyrum exprimit: ſed qui inepto verbo rixam & diſcordiam ex fraterno corde provocat, quaſi neceſſaria ultra modum emungens, ſanguinem elicit.* Et vero, ne deſit exemplum, tali plane orationis genere, Arianos, Apollinariſtas, Macedonianos, Sabellianos atque id genus alia hæreticorum portenta, viciſſe ſeſe & Eccleſiæ Catholicæ corpori rurſus feliciſſime ſociaſſe, ipſemet teſtis eſt ille quem à ſanctitate paulo ante commendabamus, commendari autem numquam ſatis poterit, Nazianzenus Gregorius. Quidni vero audiamus ipſum loquentem, ſeu canentem potius lenis ſermonis ingentem iſtam victoriam? Igitur quum varia ſectarum monſtra enumeraſſet, addidiſſetque neminem adeo fuiſſe immobilem quin à ſeſe ſit flexus; ſubjungit ſtatim aurea illa à doctiſſimo abbate Jacobo Billio non minus eleganter de Græco verſa:

Hos pertrahebat dogmatum ingens firmitas:
Flectebat illos ratio docendi mea.
Nec enim per odium, perq; contumeliam;
Studio at juvandi, verba promebam dolens;
Non vulnus infligens: nec, ut quidam ſolent,
Animos in altum, proſperum ob tempus, ferens,

(*Cum*

(Commune ſceptris nam quid eſt Verbo & Dei?)
Audaciaque inſcitiam velans meam.
Hoc quippe ſcitum eſt, ſepiis ac proprium:
Nigrantem ab imo vomere ſuccum pectore,
Vt tela fugias hoſtis in tenebris tui.
Sed voce blanda commodaque utens, decet
Chriſti ut patronum, mente qui placidiſſimus
Miſeratur agros, neminem & durus ferit.
Ex quo fit illud, cedere ut laudem ferat,
Rurſumque multo pulchrius ſit vincere,
SVASV Tonanti quiſpiam dum acquiritur.

Quid vero, ſi & noſtro tempore iſthuc ſuccederet? Quid, ſi & in nobis dulcis ſermo iſtum fructum pariat? ne videlicet amplius & in nobis ſit Roboam & Jeroboam, Juda & Iſrael, Hieroſolyma & Samaria; ſed intergerino pariete confracto, qui unius ſanguinis uniuſque ſumus reipubl. etiam unius ſimus Chriſti, coaleſcentibus vulneribus quæ ejus corpori diſſidia noſtra inflixerunt, & reparata ejus tunica quam militaris furor olim ſcindere erubuit quidem, nos autem innumeras in partes diviſimus. Faxit id ſane ille qui & ipſemet caritas ac pax nuncupari voluit, caritatem item ac pacem ſymbolum ſuorum juſſit eſſe!

Sed non eſt hujus loci de remedijs diſſidentis eccleſiæ ejusque pace diſſerere; etſi illâ nihil publicè privatimque poſſit eſſe conducibilius atque ad rempubl. erigendam magis neceſſarium, quippe quum anima quaſi reipublicæ ſit eccleſia, adeoque non minus vere dici poſſit rempubl. in eccleſia eſſe quam vere id olim alio ſenſu negavit Optatus Milevitanus. Quod ſi vero tam felix fortuna hoc infeſto virtuti & paci ſeculo non ſit ſperanda terrarum orbi, aut noſtræ Germaniæ peccata non ferant ſortem adeo beatam; utinam ſaltim fiat prius, ut ſi non amemus nos prout par erat, ſaltem

minus nos invicem habeamus odio! Certe & ſic erimus felices ſatis, atque etſi non optime & ex voto, tamen ſic ſatis bene componi iterum tot modis nunc divulſa reſpubl. poterit; nemo profecto non execrabitur civilium bellorum faces etiam antequam ardeant.

Verum fruſtra etiam de ordinanda republ. quid ſperes, quamdiu bello ad hunc modum ardet Germania, ſimulque domi ac foris hoſtis ex hoſte naſcitur. Quid enim inter meram vim & ſcelera, quæ dudum leges omnes ſuam in poteſtatem traduxerunt, & jam radices reipubl. ſubruunt, cogitemus legum robur atque auctoritatem? Scilicet inter arma etiam aliàs juſtitia prolabitur, neque nuper primum militia noſtra cœpit corrumpi; inter civilia autem arma, qualia hactenus magnam partem fuere noſtra, etiam moritur jus: militarem item *diſciplinam* (ut ille ait) *in pace inexorabilem diſcordia civium reſolvunt, paratis utrinq; corruptoribus & perfidia impunita.* Eo vero eò uſque illa redacta eſt, ut quæ flagrante porro bello ſuperſit ſpes emendandi vix appareat: in omne fas ac nefas venalibus urbium noſtrarum purgamentis. Igitur nihil etiam eſt quur vel dicamus de illo meliore ſtatu quidquam, niſi pace ante facta caveatur ut ne ille nullus ſit; penituſque ſit perſuaſum animis illud Homeri:

> ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
> Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.
> *Abſq; cognatis, injuſtus, & ſine domo vagus ille eſt,*
> *Qui delectatur bello civili difficili.*

Tunc vero demum ſuus cum fructu legibus & optimis conſilijs erit locus: tunc ordinari rectius reſpublica poterit: denique tunc & vulnera quibus hactenus laboravimus poterunt ſanari, & ferale illud eccleſiæ bellum, quo inprimis Dei indignationem provocamus, ſopiri forte poterit fraterna caritate. Cæterum iſthæc ut effici aut poſſint aut debeant, & arrogans

rogans ſim ſi me ſcire profitear, & ſi dicerem non ſim ferendus. Neque vero opus etiam eſt, ut præter ea quæ priſcis ſeculis in hujuſcemodi malis ſunt adhibita, novum aliquod nunc excogitemus. Eadem quippe ſemper fabula agitur humanarum rerum, tantum mutantur perſonæ: quæque nunc nos, civitates ſemper multas afflixerunt, quarum aliæ ad optima conſilia, aliæ ad interitum ijs ſunt redactæ. Spero autem nobis uſu eventurum, id quod arboribus qui cuneis divelluntur. Scilicet ut illæ excuſſis cuneis magno impetu unoque momento ad ſeſe redeunt, ita ad concordiam atque unitatem redituros nos omnes, ubi rejecti fuerint qui nos ad libidinem ſuam distrahunt. In quibus omnibus ſatis fortaſſis à conſilijs nobis eſſe poterunt antiqua prudentiæ civilis monumenta; ne denuo Bodinum aliquem quis cenſeat deſiderandum. Namque ille ad ſcribendos ſuos de republ. libros compulſum ſe affirmat Galliæ calamitatibus, quas à civilis artis ignoratione, velut ab errorum omnium fonte derivatas animadverterit. Sed etſi nos eadem imo majora tangant mala quam tum Galliam affecerunt; non tamen vel Bodinum ipſum conſulere eſt neceſſum: imo niſi valde fallor habet vetuſtas conſiliatios Bodino ipſo non paulò prudentiores, certe accuratiores uberioreſque. Ne enim quid de Platone dicam, cujus de republ. & legibus libri neſcias in invidiam priorum temporum exſtent an vero potius in opprobrium tempeſtatis præſentis: Ariſtoteles profecto in nobili etiam illo opere quod habemus, non tantum nihil eorum omiſit quæ ad integrum corpus Imperij faciunt, ſed & illa docuit quæ ad ſingulas Imperij partes requiruntur, quorum pleraque fruſtra quæſieris in Bodino. Neque vero difficile fuerit fortaſſis pronunciare, quæ reipub. forma quam optime conveniat ingenijs Germanicis, ſi ſequare illa quæ ab hoc viro longe præclariſſime tertio libro diſſeruntur. Quem vero fugiat quibus erroribus

reſpubl.

reſpubl. Imperij in hunc locum pervenerit, aut quæ remedia ſint adhibenda, quocunque tandem illa flectenda ſit, in regiam ſc. aut optimatum, aut mixtam ex utraque gubernationem, cui animo penitus infixa hærent quæ ab ipſo de rerumpubl. converſionibus conſervationibuſque diſputata ſunt? Tantum ſane abeſt plura horum Bodinum habere, ut vix diligentiſſimus ille tyrannorum ex Hetruria doctor in ſuo quid argumento poſt Ariſtotelem contulerit. Quid, quod tametſi in tam varias δημοκρατίας, ἀριστοκρατίας, principatus, mixtoſque ſtatus diviſa ſint Germaniæ membra, peræque tamen omnia rationem conſervandæ ſuæ reipubl. ex Ariſtotele poſſint capere, ex Bodino non item? In proclivi eſt ſane hujus periculum facere. Tacebo enim nunc quàm confuſe docuerit Bodinus, quamque minus commode hiſtorias rerumpubl. philoſophiæ civili miſcuerit, quæ ab Ariſtotele prudentiſſime ſunt ſejunctæ & ſuo loco traditæ. Neque enim nunc contendere inter ſeſe viros hoſce animus eſt: quum & oratione illa qua Ariſtotelem laudavimus jam tum ex parte id factum ſit, & aliàs forte diligentius ſimus præſtituri. Tantum nihil cauſſæ credimus eſſe, quur in hiſce noſtris ærumnis alium magnopere conſiliarium deſideremus quam Ariſtotelem. Quanquam etiam haud parum in rem fuerit & aliorum conſenſum vidiſſe, & hiſtoriarum teſtimonijs penitus confirmari. Nam hiſtoria altera magiſtra civilis eſt vitæ: eſtque in illa *hoc præcipue ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri, ut inde tibi tuæq; reipublicæ quod imitere capias, inde fœdum inceptu fœdum exitu quod vites.* Minus tamen apta eſt magiſtra, minuſque fida ipſamet civili philoſophiâ, ex hiſtorijs uſuque rerum magno judicio jam exædificatâ: quod hiſtorici affectibus obnoxium plærumque judicium gerant ſerviantque tempori, nec cujuslibet ſit certam regulam ex ſingularibus eventis ſtruere. Hæ ſane me cauſæ impulerunt.

Princeps

Princeps Illuſtriſſime, ut quum ante biennium lectiſſimos aliquot Academiæ noſtræ juvenes civilem prudentiam docere inſtituerem, non meopte Marte novum aliquid conſcribendum, nec aliquem tempeſtatis noſtræ auctorem ex thymellico forte recoctum ſumendum in manus, duxerim; ſed ſolius Ariſtotelis veſtigia ſumpſerim mihi calcanda. Atteo neceſſitas ſtatim impoſita mihi ſimul fuit, novam operis Ariſtotelici editionem procurandi, quod exempla deeſſent auditoribus; jacente paſſim hac prudentia, certe jacente in hac argumento Ariſtotele, regnantibusque ejus loco, ut fieri ſolet, alijs de trivio & umbra hominibus. Atque illa quidem opera tum ad metam eſt perducta: manſit tamen interea temporis liber ἀκέφαλος, quod typographus exſpectaret promiſſum abs me de Civili prudentia tractatum operis fronti præfigendum, me vero tot inter rerum omnium diſcrimina & perpetuas de fortunæ ſumma ancipites curas, tædium caperet ſtudiorum à vitæ genere tam longe diſſidentium. Nunc tamen, neſcio quî, ad telam iſtam pertexendam importunis flagitationibus iterum adigi me ſum paſſus, quanquam argumento alio aſſumpto. Namque illud quidem de univerſa Civili prudentia in tempora meliora malui rejicere: in ejus tamen vicem fortasſis haud male nunc ſuccedit nova in Ariſtotelis politica Introductio. Non latet vero me quam tenuis ſit ille labor, quamque exiguum pretium operæ fecerim, atque adeo quam indigna hæc mea ſint quæ in conſpectum prodeant & magni &, quod caput eſt, longo rerum uſu multaque doctrina prudentisſimi Principis: qualem T. Celſ. cum prædicant pariter omnes tum admirantur. Niſi tamen omnia fallor, habeo ego cauſſas non leves, quur & Ariſtotelem ipſum & eam ſimul opellam non tantum Illuſtri debeam aliquo loco offerre, ſed etiam quur nulli alij quam T. Celſitudini debeam. Eò ſcilicet redacta eſt hodie Civilis prudentia,

ut vix pauci faciem ejus amplius noſcant; plærique neſcio quid non ejus loco venerentur. Dum enim alij juris philoſophiam, alij judiciariam quandam artem, alij reipubl. noſtræ notitiam, alij verſipellem aſtutiam & artes Sinonias, nonnulli ad ultimum quamvis ſine diſcrimine prudentiam iſthoc titulo venditent in vulgus; effectum hinc eſt, ut quid demum vera civilis philoſophia ſit præ tot mangonijs intelligere per ſit difficile. Quod ſi quibus porro liqueat, nihil non horum falsò ſic uſurpari, eſſeq; perfectum politicum illum demum, qui omnium omnino civilium ſocietatum naturam, affectus, mutationes ac remedia callens, aliquam quidem civitatem, quæ beatiſſimæ vitæ compos fieri poteſt, opibus firmam, copiis locupletem, gloria amplam, virtute honeſtam reddit, reliquas vero ita moderatur ut etſi non optimam minus tamen malam vitam queant agere; à quo ſtudio longe profecto abſunt omnes adulterinæ illæ politicæ artes: illi tamen magnam partem non minus exitiabili errore ſibi alijſque perſuadent, totum hoc aut diſci non poſſe ſed eſſe fortunæ donum, aut tanti non eſſe cui horam impendas modò non ignores alia iſta: levi quippe rerum uſu iſthæc comparari poſſe ab hominibus non omnino bliteis. Quas opiniones maxime quidem vulgares hodie eſſe, res ſane docet: ſiquidem ad honores maximos aſcendere imo rapi videas, qui ne fumum quidem veræ prudentiæ vel eminus unquam conſpexerunt, ſed tantùm genere, vel divitijs, vel illis alijs artibus, (ut taceam inhoneſtos emergendi modos) ſeſe commendant. Quanquam & hoc res doceat; longe majore id cum reipubl. damno conjunctum eſſe, quam ſi quis, ut dicitur, figulinam in dolio diſcat, vel medicinæ experimenta faciat per mortes hominum, cujus tamen non niſi in Care faciendum periculum vetus parœmia occinebat. Veriſſime enim Euthydemo Socrates: εὐηθὴς ἔφη εἶναι τὸ οἴεσθαι, τὰς μὲν ὀλίγου ἀξίας

ἀξίας τέχνας μὴ γίνεσθαι σπουδαίας ἄνευ διδασκάλων ἱκανῶν, τὸ δὲ προεστάναι πόλεως, πάντων ἔργων μέγιστον ὄν, ἀπὸ ταυτομάτου παραγίγνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις. *Stultum eſſe,* inquit, *arbitrari, non poſſe quem præſtare in viliſſimis artibus, ni idoneos ſit magiſtros nactus; gubernandæ vero civitatis notitiam opus omnium maximū, ſponte ſua & ultro hominibus obvenire.* Cæterum hanc vulgi væſaniã, & ſi qui alij de civili philoſophia ejus ſunt errores, non eſt nunc meum vel acri oratione perſtringere vel melioribus rationibus confutare; quod & jam olim non à Socrate tantùm ſed & Platone ac Ariſtotele ſit multis actum, & ad illam operam pertineat, qua civilis philoſophiæ in univerſum eſt natura explicanda. At quum adeo inique ſit hodie cum longe præclariſſima regiaque iſthac doctrina comparatum, nec alia tamen ſpes major poſt Deum afflictæ reipubl. Germanicæ affulgeat, quàm ſi vel reges principeſque vere philoſophentur, vel veri civiles philoſophi ad clavum civitatis ſedeant: nemo ſane dubitaverit, advocandum omnino auxilium cum aliorum Illuſtrium virorum tum T. inprimis Celſitudinis, quo illi doctrinæ ſuus honos ac quem occupare debeat locum reſtituatur. Neque verò temere aut virtutis aut doctrinæ ſtudium plebi perſuadeas, niſi accedente regum principumque exemplo atque auctoritate: neque in noſtri temporis ſemideis illis & aureo iſthoc genere eſt, qui Tua Celſitudine rectius intelligat, non *quid diſtent æra lupinis*, ſed quantum à vera civili philoſophia abſint illi plebeji fuci, qui citius πολιτικωτάτους ſe factos opinantur quam coquantur aſparagi; certe non minus cito hodie naſcuntur aut frequenter, quam muſcæ, quando, ut ille ait, caletur maxime. Præterquam enim quod regiam plane indolem natura rerum T. Celſit[ni] tribuiſſet, acceſſit in juventute inſtitutio genere digna, uti non tam diſceres τὰ κόμψ' ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ: qualia ſe doceri volebat ille apud Euripidem. Conſilio ſcilicet iſthac in te uſus es cum aliorum

tum inprimis Joannis Caſelij, quem dubium eſt Socratem ne rectius an Chironem Saxonicum appellaveris. Fuit enim in eo viro plane Socraticum & Chironium quid: certe ille in paucis primus hiſce in Germaniæ oris veræ πολιτικῆς naturam recte animo concepit, primus etiã docuit. Illo itaq; magiſtro non mirum ſane eſt, ſi T. Celſitudo ſeorſim à vulgo cœperit hac de doctrina multoq; ſublimius ſentire. Confirmaverunt eandem mentem multæ illæ & diuturnæ peregrinationes, per Europæ nobiliſſimas provincias, inprimis omnia ſeptentrionis regna, raro exemplo inſtitutæ. Quo nomine magnum illum longeque callidiſſimum Vlyſſem olim prædicavit poëta incomparabilis Homerus: nam quum ſapientiæ exemplar & canonem quaſi vellet exhibere, Muſam ſibi dicere rogat virum, qui πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω. Jam vero nec domum reverſam aliæ magis curæ habuerunt Celſitudinem Tuam quam illæ civiles, & ſacræ. Adeo ut & calamo ſumpto de principatu recte moderando per otium non dubitaveris commentarium ſcribere, mirificè ab omnibus commendatum quibus illum inſpiciendi facultas fuit. Igitur ſi T. Celſitudo non queat exemplo atque auctoritate ſua ad meliorem mentem revocare vulgi ſtudia, & ſuam iterum dignitatem veræ ac non fucatæ illi civili ſapientiæ reſtituere, actum profecto de illa eſt, ſimulque actum etiam de republica, ut quæ nexu indiſſolubili cohæreant. Sed T. Celſitud. annitente non forte ſive de hac, ſive de illa, ſive de utraque deſperandum eſt. Ego certe haud aliud majus præſidium novi: ut graviſſime peccarem, ſi in procul remotis patrocinium Ariſtotelicæ huic prudentiæ quærerem, qui domi habeam in Celſ. T. & optimum longe & forte in paucis unum. Ita loquor, quod quum hæreditate Academia hæc Julia ad T. etiam Celſitud. pervenerit, neque dubitaverit illa primo inter agnatos loco anno ſuperiore Rectorem noſtrum agere, domeſticum

omnino

omnino arbitrer eſſe quod malo urgente numquam non eſt præſens. Ea ſane fiducia offero nunc T. Celſitudini Ariſtotelem meum & quæ adjeci. Etſi enim meus hoc in libro tenuis admodum ſit ac vilis labor: quod tamen aliunde patronum ſapientiæ Ariſtotelicæ non debuerim arceſſere, meæ me tenuitati veniam facile impetraturum exiſtimo. Neque enim aliud mea hac inſcriptione ago quàm philoſophiæ illius longe nobiliſſimæ negotium. Quod ut agam, non ſolùm veritatis ſtudio cui ſacramentum dedi, ſed & cumprimis amore Germanicæ rei h. e. communis patriæ compellor. Namque nōn potui diſſimulare in ea me ſententia eſſe: potisſimum malorum noſtrorum remedium in prudentia eſſe collocatum, multumque adeo illos falli, qui numquam magis præſens divinum auxilium ſibi ſpondent, quàm cum per imprudentiam cuncta in præcipiti ſunt collocata, tantummodo aliquem exſpectantes quaſi ſemper ex machina Deum. Nec vero aliâ cauſâ quam ipſo illo amore publici boni impulſus longiore nunc Celſ. Tuam ſermone diſtuli. Enimvero ſi tibi probatum illum inſuper intellexero, non ego aliorum judicia aut exquiram aut extimeſcam: ſatis certus videlicet ejus teſtimonio, quem & eruditio & longus rerum uſus & illa extra partes poſita vivendi ratio non potuerunt non efficere perſpicacisſimum. Incredibile enim eſt, quantum etiam ad rectum de republ. judicium valeat, medium eſſe & neutrius partis. Scilicet quod T. Pomponium Atticum exiſtimaſſe, refert Cornelius Nepos: *eos qui ſe civilibus fluctibus dediſſent, non magis in poteſtate ſua eſſe, quam qui maritimis jactarentur*: id profecto vero verius eſſe, optimâ rerum magiſtrâ; experientiâ inquam hujus quoque tempeſtatis, plus quam ſatis eſt intelligere. Vale Celſisſime Princeps bono publico, ac conatibus fave; quo pernoſcam ecquid ſpei ſit reliquum, quæque paro de ſtatu reipubl. Germanicæ omni-

umque illius mutationum cauſſis ac remedijs, edendane aliquando ſint, an in herba, quod ajunt, opprimenda. Ex Acad. Julia cIɔ Iɔ c xxxvII, Kal. Majis.

IX.

Pars Epiſtolæ ad V. Cl. DANIELEM SENNERTVM, *ſcriptæ 24. Iunij anno 1637. quo tempore VVittebergæ graſſabatur lues peſtilens, quæ XXI Iulij, adeoq paulo poſt de Arte Medica præclare meritum ſenem confecit: addita Paralipomenis editis VVittebergæ anno 42.*

NUnc unum tantummodò per ſalutem Artis noſtræ Te etiam atque rogatum volo, ne alijs diligentius inſerviendo anticipes tuummet fatum, ſed hanc etiam vegetam Tuam ſenectutem bono publico, quoad fieri ejus licuerit, conſerves. Neque vero ægre feres, me iſtud rogare. Scio enim, eo jam rediiſſe Artem noſtram, ut nunquam ferè aliquot jam ſeculis minus inſtructa fuerit præclaris viris ἀρχιτεκτονικοῖς quam adeo nunc. In Germania certè præter Te & Caſparum Hofmannum, unumque forte & alterum alium, Apollines perquam pauci reperiuntur. Ut profecto urgeat me publicum commodum, de Tuâ valetudine unicè ſollicitum eſſe.

X.

Præmiſſa Exercitationibus de Fermentatione ad A. G. Billichij Anatomen Fermentationis Platonicæ, editis Francofurti, anno 43 & Lugduni Batavorum anno 46.

Clariſſ. Viro, WILHELMO ERNESTO SCHEFFERO Medico Francofurtenſi, amico ſuo, S. P. D.

MAgnum ingenium erat in Billichio noſtro, judicium acerrimum, ſtudium veritatis maximum. Quo enim cunque

cunque verteret animum, illic omnia occupabat; non ut peregrinus aliquis, ſed ut gnarus omnium inquilinus. Verterat autem illum neutiquam ad linguas ſolùm, quibus aut elegantiores hodie vulgò in vita communi, aut eruditi in ſcribendo utuntur, verùm ad omnem quoque & literaturam amœniorem & divinam naturalemque philoſophiam & medicam denique artem noſtram. Igitur cum alijs linguis promptisſime loquebatur, tum Latine ſive verſam ſive ſolutam orationem ea ſcribebat elegantia, ut ex priſco illum ævo & Romæ natum dixiſſes. Neque vero illum temere fugiebat quicquam vel fabularum vel hiſtoriarum veterum: quas uſu poſcente etiam aliud agens expedite promebat, quaſi in uno illo totus viveret. Et tamen ægrorum plurimorum morbi operam ejus quotidie flagitabant: nec ille non eam præſtabat rogantibus; cum cura ſemper, cum eximia quadam felicitate plerumque. Debebat autem hanc partim mentis illi nativo acumini, quo morborum naturam cauſaſque ſtatim pervidebat, quod primum in medendo eſt, partim artis peritiæ ſolidæ & remediorum. Enimvero non ille ex numero iſto erat, quorum omnis peritia ambitioſe jactatis panacæis, & neſcio quibus arcanis remedijs Hermeticis, abſolvitur. Et tamen omnia quoque illa myſteria penetravit; ut parandorum illorum artificio, quo ſeſe multi nunc maxime efferunt, non tantùm nemini concederet, ſed & plærosque ſuperaret. Inciderat ille adoleſcens in Angelum Salam Italum, me judice, Jatrochemicorum, quos appellant, principem, quique unus ejus ordinis deſiit mentiri: ab eo regiâ per omnes novas & veras vegetabilium mineralium atque animalium Chemicas præparationes ductus, in intimum ejus artis ſacrarium devenit. Eadem bene ætate in Juliâ hac ſcholâ noſtrâ philoſophiam Ariſtotelicam, & Hippocraticam Galenicamque medicinam, addidicit;

didicit; ab optimis magiſtris, cum alijs, tum præſertim Cornelio Martino Henningo Arniſæo & Joanne Wolfio inſtitutus. Quo effectum, ut feliciſſime & accuratiſſime, non tantùm de Chemicorum illis præparationibus, verùm etiam de recto ita paratorum uſu, imo de omnibus reliquis partibus Paracelſicæ doctrinæ, potuerit judicare. Scilicet pleriſque noſtra ætate rem medicam tractantibus alterutrum fuit negatum. Nam qui Hippocratica ac Galenica amplexantur, artificium plerique chemicum ignorant; qui vero hoc callent, vetere ac ſolida doctrina deſtituti, magnam partem in Paracelſicum ſolent Labyrinthum incidere. Verùm Billichius noſter quantos jam tum adoleſcens in omnibus hiſce fecerit progreſſus, oſtendit elegantiſſimus libellus: *De natura Spagyrices emendata*: ut & alter *De tribus Chemicorum principiis*: quorum prior omne artificium Chemicum breviter perſpicue & ſine fuco ac fallacia exponit; poſterior ſophiſmata Quercetani Beguini & aliorum, in defendendis ineptis illis principijs adhibita, claræ luci & ſenſibus objicit. Edidit autem illa intra annum ætatis viceſimum quintum. Majus ingenii & doctrinæ ſpecimen exhibent nobis *Obſervationes & Paradoxa Chemica*. Quorum editionem ipſe ego Lugduni in Batavis ante hos undecim annos curavi; ſimile autē quidquam, in eo quidem argumento, nihil hactenus viſum. Quis non laudaverit quoque ejus *Theſſalum Chymicum* & *Anatomen Fermentationis Platonicæ*, ut alia nunc ſilentio prætercam? Neque enim omnia vel numerare quidem volo, ne amico nimium faviſſe credar: tum vero ſola illa pauca ſatis produnt ingenium viri acerrimum, peritiam rei Chemicæ & veræ ſolidæq; medicinæ incomparabilem, ſcribendi aptitudinem eximiam, candorem animi prorſus niveum. Et tamen etiam illa omnia inter plurimas occupationes, curas, & adverſantis fortunæ vulnera elaboravit, nondum quadragenarius: maximus profecto

profecto futurus, ſi ad tantas dotes confirmatior ætas & firmior valetudo acceſſiſſet. Sed illum eripuit nobis pene ante biennium viceſimus tertius Maij dies, anno ætatis ſecundo poſt quadrageſimum. Quo ipſo res literaria damnum profecto ingens paſſa eſt. Ipſe ego ſentio me orbatum amico ſummo, ac perſpectæ fidei, qualemque temere alium haud invenero. Neque enim inter nos vulgaris quædam amicitia coïerat, ſed, in diſpari licet ætate, plane intima: eoque alter alterum ope & conſilio juvabat, alter alterum docebat, nemine erubeſcente diſcere quod ignorabat: qualis amicitia, ni fallor, decet literas profeſſos. Ea fiducia ille, à me invitatus, de abſtruſo & difficili Fermentationis negotio ante decem prope annos libellum ſuum conſcripſit meo nomini conſecratum: ego viciſſim, quamvis multùm illo junior, quadriennio poſt, ab ipſo plurimis ſollicitatus, quid placeret in libello, quid diſpliceret, quidque ipſe ſentirem de toto illo impedito argumento, candide & procul affectu ſignificavi. Nec ille ægre tulit meum diſſenſum, quin & mutare nonnulla voluit: ſed haud multo pòſt, neſcio quî, & ipſi ſcriptum meum periit, nec ego niſi unum illud mea manu, ſubitaneâ operâ (quod & alias ſoleo) exaraveram. Ita tandem prodiit in lucem libellus illius, fere haud aliter atque ante decennium mihi erat tranſmiſſus; quod meis iſtis animadverſionibus ille deſtitueretur, nec mihi vacaret actum agere. Incidit tamen in manus exemplum libelli mei, quod me neſcio deſcribi ſibi curaverat amicus noſter ὁ νῦν ἐν ἁγίοις Martinus Heintzius, ſed mendoſum admodum ac lacerum. Itaque flagitaverunt amici, ut & ipſemet illud ederem; id enim intereſſe veritatis, nec amicitiæ quidquam eo derogari, quin exemplum fore quod merito omnes ſequantur, in colenda non minus veritate quam amicitia; quæ vulgo, peſſimo certe more, multum diſſident, ita plæriſque

ſuæ ſententiæ addictis, ut diſſenſus quantumvis optimi amici divortium amicitiæ faciat. Ægrè quidem, perſuaderi tamen mihi paſſus ſum; invitante me cumprimis publici boni ſtudio; quum videam nihil eſſe fermentationis negocio frequentius, & nihil tamen forte minus cognitum, magno in publicum damno. Verùm perluſtranti mihi ſcriptum illud meum, multa viſa ſunt deeſſe, multa obſcurius, nonnulla & perperam tradita: itaque coactus ſum alia addere alia clarius, alia rectius exponere. Quæ omnia nunc mitto, Clariſſime Scheffere, poteſtatem tibi faciens aut edendi illa aut ſupprimendi. Scilicet tibi etiam cum Billichio noſtro arcta quondam amicitia interceſſit, & ſimul flagras veritatis ſtudio: eoque optime judicaveris, cum quid amicitiæ debeam, tum quid res poſcat literaria, cui quicquid eſt in nobis ingenij conſecratum eſt. Quod ſi credas in alterutram me partem peccaſſe, ne edas peto: Si vero, te judice & amicitiæ eſt ſatisfactum, & ſimul meæ meditationes illæ juvare nonnihil poſſunt communem uſum, prodeant, per me licet, in publicum. Enimvero eſt quidem aureum ſcitum Ariſtotelis noſtri, adverſus magiſtri ſui Platonis ideas diſputaturi, veritatem amicitiæ anteferendam: malim tamen utrâq; culpâ carere, ſi liceat. Quod num liceat, tui ſit judicij. Vale, mi Scheffere, & plurimum ſalve. Helmeſtadio, ex Academia Julia. VI. Cal. Martij CIↃ IↃ C XLII.

XI.

Præfixa opuſculo Rolandi Capelluti de Peſte me curante edito Francofurti anno 43. & Helmeſtadij cum Obſervationibus Salmuthi anno 49.

BENEVOLO LECTORI S. P. D.

COmmentariolum tibi edimus, Lector benevole, exiguum

guum quidem mole, atque à paucis laudatum, niſi tamen admodum fallor uſu perinſignem ut cum aliorum magnis ejus argumenti ſcriptis queat contendere. Auctor ſane illius uſque eſt adeo inter paucos cognitus; ut etiam illi qui Medicorum Scriptorum nomenclatores ſumma adhibita diligentia ediderunt nominis affinitate decepti, hunc eum eſſe Rolandum Parmenſem crediderint, cujus exſtant quatuor Chirurgici libelli ex Rogerio cumprimis transſcripti. Eum enim errorem cum erraſſet magnus vir Conradus Geſnerus, in ſua eundem ſcripta tranſtulerunt Paſchalis Gallus, Johannes Schenckius, alij. Verum ille quidem Rogerij ſectator initio ſeculi poſt natum Servatorem tertij decimi vixit; quod facile ex Guidone de Cauliaco eſt intelligere: noſter autem ad quintum decimum ſeculum pertinet. *Ejus* erroris haud aliam equidem comminiſci cauſam potero, quam libelli raritatem. Quâ factum, uti in paucorum notitiam pervenerit: nemino laudante, quod in vulgus ignorabatur. Ipſum tamen libellum, ut ejus auctor ignotus, ut ſermo ſit barbarus, ut parvitate deſpectus ſit, longe digniſſimum eſſe, qui à multis legatur, quilibet paulò doctior & rerum medicarum peritior, credo, mecum judicabit. Multa certè habentur in eo ἱστορικά: quæ cum ad notitiam peſtilentium affectuum, tum ad eorum rectam curandi rationem, faciunt unice. Enimverò ſi ullo alio in morbo in his profecto maxime deficiunt nos hiſtoriæ medicæ. Quo fit, ut dum plerique eandem in omnibus illiuſmodi affectibus ſequimur curandi rationem, quaſi eâdem omnes naturâ ſint, non niſi pauciſſimi ſanentur. Ex varijs autem obſervationibus atque hiſtorijs demum rectius aliquid dabitur concludere. Eſt autem in illis recenſendis noſter pene totus occupatus. Non eſt meum nunc laudare vel corrigere, quæ benè quæ male ab ipſo ſunt ſcripta. Id, Lector, tuo ſit judicio

commiſſum. Ego etiam ea religione in edendo ſum uſus, ut tametſi nonnulla occurrerint, quæ ſenſum commodum non exhibeant, multa item admodum barbare dicta: nihil tamen horum voluerim mutare; ſatius arbitrans, uti veniam vel ab ætate, in qua vixit, vel ab imperitia primi editoris auctor impetret, quam ut à me immutetur: præſertim, quum omnis ejus laus in rerum docta narratione collocetur non vero in ſermonis elegantia. In uno explicatione indiget, ne in calumniam trahatur: quod nempe arſenicum commendet carbunculo peſtilenti inungendo: Poſſit enim videri laudaſſe illud album facticium quod κατ' ἐξοχὴν nunc arſenicum audit. Verum ille vel auripigmentum indicare voluit, quod ſolum Græcis veteribus eſt ἀρσενικὸν, vel ſandaracham, quæ hodieque officinis eſt arſenicum rubrum. Hanc certè & Avicennæ & Meſuei interpres ſæpenumerò ſimpliciter Arſenicum videtur appellaſſe. Qui enim fiat veriſimile, ab illis in aſthmatis & icteri curâ propinatum arſenicum album eſſe, aut in phthiſi paratum ſuffitum ex illo albo? Sandaracham autem in carbunculo non abſurde, arbitror, uſurpavit noſter Rolandus. Cæterum hoc obiter eſto in excuſationem ejus dictum. Tu vero, Lector, vale ac fave.

XII.

Præmiſſa libro de Sanguinis Generatione & Motu Naturali edito Helmeſtadij anno 1643. & Lugd. Batavor. anno 1646.

BENEVOLO LECTORI S. P.

QUum ante hos tres annos de Vitijs Nutritionis ipſaque Nutritione multa à popularibus ſententijs diffidentia apud auditores in diatribis diſſeruiſſem, eaque illi, ut ex do-

centis

centis ore acceperant, edere inſtituerant; hoc equidem non potui non vetare, veritus ne vel minus recte percepta, vel non ſatis dextre munita turbas potius darent, quam uſui publico prodeſſent. Officij tamen mei eſſe animadverti, omnia illa, per otium majore cum cura elaborata, pluribus communicare. Nempe id mihi jamdudum eſt perſuaſum, etſi nullam poſſis gratiam referre, imo ſubeundæ etiam calumniæ ſint, perſpectam tamen veritatem diſſimulare, illiberale eſſe, imo grande crimen: multo autem minus id licere, ſi in uſum humani generis redundare hinc quidquam poſſit. Viſus autem mihi ſum permulta deprehendiſſe, vel perperam vulgo credi, vel prorſus ignorari, quæ tamen non tantum jucunda ſunt ſcitu, ſed etiam ad ſanitatem hominum & quæ collapſa eſt reſtituendam & quæ integra conſervandam, longe utiliſſima. Tum verò ſicubi fortaſſis à veritate aberrem, aliorum reprehenſionibus, quæ, ſi quid in publicum feras non benè ſubducta ratione, ſubſequi nunquam non aſſolent, in viam me reductum iri exiſtimabam. Neque enim tanti faciendam nominis (ſi quod eſt) jacturam, ut cum hoc commodo debeat aut jure poſſit à quopiam commutari. Itaque inivi conſilium, initio quidem ea quæ de Nutritione hominis meditata & jam multos annos quaſi conſtituta mihi ſunt, in chartam & publicam lucem transferendi; quo expeditius mox liceat doctrinam de Nutritionis vitijs, tamquam jactis jam probe fundamentis, ex eadem mea ſententia ſuperſtruere. Nec ſegnius procedere jam cæperant typographicæ operæ, cum nonnihil mutandi inſtitutum hoc, & negotia multa, & operis quám præſentiebam prolixitas, neceſſitatem quaſi imponerent. Proinde ſatius duxi, temporis otijque ratione habitâ ex diffuſo illo argumento eam duntaxat partem, quæ cum omnium ſit difficilima maxime erroribus urgetur (hæc autem circa ſangui-

nis generationem & naturalem motum verſatur) ceu ex medio ſumptam, in anteceſſum præmittere. Et vero ſi in hiſce erravero, quid opus ſit alijs illis chartam maculare? Si haud perdidiſſe me operam intellexero, nihil facilius fuerit quam & reliqua de Nutritione ſubtexere, & inde ad vitia ejus progredi. Hoc conſilio ergo anni abhinc alterius extremo telam hanc exorſus ſum; per partes ſingula, quo juventutis noſtræ uſibus rectius conſulerem, publico ſcholæ examini ſubjiciens; & ſucciſivis horis tantum profeci ut ſequente vere potuiſſet abſolvi opus, niſi immanes bellicæ turbæ & me domo, & omnem prope ſtudiorum curam animo meo expuliſſent. Adeo certè ab his quidem meditationibus factus ſum alienus, ut multorum flagitationibus ac pene convitijs, dudum Laribus ac mihi ipſi jam redditus, vix potuerim adduci (fatendum mihi hoc eſt) quo ante paucos menſes abruptam telam per otium nonnunquam redordirer. Ad finem tamen ſuum denique labor pervenit: experturus impoſterum æquam cenſuram tuam, benevole Lector, qua vel damnetur vel approbetur. Neque vero ego quidquam hactenus video quod mutatum velim, præter id quod cap. 5. adfero, de ſimultaneo omnis chyli ex ventriculo egreſſu: id enim à vero eſſe alienum mihi jam tum eſt deprehenſum. Nec tamen ideo retracto quæ de lienis uſu diſputavi. Utut enim illa hypotheſis ſit falſa, multa tamen alia à me adducta ſunt, quæ firmiter probent, potulenti chyli majorem partem ex ipſo mox ventriculo à liene attrahi. In reliquis igitur non equidem liberrimum cujuſdam judicium refugio, qui pari libertate hic in veterum recentiorumque ſententijs examinandis uſus ſum.

Ea tamen in re tria cumprimis dari mihi poſtulo; quæ niſi admodum fallor ſummo jure mihi debentur. *Primum* eſt: ne quis ipſam tractationem ad alias quam Experientiæ &

Ἀποδεικτικῆς leges examinet; juxta quas, tanquam certam & unicam veritatis normam, & ego omnia conatus ſum inſtituere & φιλοσόφημα omnia jure ſunt exigenda. Quæ ergo à me proferuntur tanquam ſenſu & multis experimentis cognita, utut nova videri poſſint & à fide aliena, ne quis temere rejiciat, niſi in conſilium ante ſenſibus ſuis & propriâ vel aliorum fide dignâ experientiâ, adhibitis. Utrum vero ex hiſce & id genus alijs, quæ unica ſunt ſcientiæ hujus vera & certa principia, recte ſim ratiocinatus, numve eorum, quorum τὸ ὅτι per experientiam nunc demum innotuit, cauſas etiam bene ſim aſſequutus, non itidem judicetur, inconſultis ijs, quæ cum ab Ariſtotele noſtro, tum ab alijs ad ſcientiam accuratam facere obſervata ſunt. Scilicet quod hodie vulgo fit, id ego maximè cavendum mihi duxi; necubi ſcilicet ullius, utut maximi ſcriptoris, nuda placita pro argumento venditem, ſed ſolis utar vel ſenſu perceptis vel alibi demonſtratis. *Alterum* eſt: ne quis meas veterum ſententiarum expoſitiones, & cumprimis Hippocraticarum, eo ſtatim nomine rejiciat, quod vel ab alijs, vel à Galeno etiam, in diverſo nonnihil ſenſu accipi ſoleant. Eſſe profecto immobiles & quaſi æternas ut ſciendi ita & interpretandi leges, etſi hactenus illæ in artem non ſint redactæ, certiſſimum eſt. Has autem ab alijs omnibus, & quidem ab ipſo Galeno, obſervatas ſemper eſſe, non diſſimulo mihi haud perſuaſum eſſe. Et vero quò ille novitatis crimen à ſeſe amoliretur, multa à Galeno noſtro in Hippocratem auctorem quaſi per vim eſſe translata, nemo æquus atque in utriuſque ſcriptis verſatus arbiter negaverit. Multis ſane ſeculis poſt Hippocratem vixit Galenus noſter, eadem Hippocratis ſcripta, quæ olim, hodieque in medio ſunt: itaque obſervatis interpretandi legibus, non hodie minus atque olim in promptu eſt ſenſum Hippocratis intelligere; ut adeo unius

alicujus

alicujus interpretatio non debeat meritò præjudicium cuiquam parere. *Tertium* quod rogem eſt: ne me quiſquam vel arrogantiæ vel ingratitudinis accuſet, quod libere adeo non veterum minus quam recentiorum ſcripta ſub cenſuram revocem. Certe exemplo ſuo ipſi optimi quique veterum, Hippocrates, Ariſtoteles, Galenus præiverunt: quos ab illis vitijs fuiſſe alienos quiſque bonus atque intelligens hactenus exiſtimavit. Utque nullo exemplo poſſim excuſari, ipſum veritatis negotium veniam mihi impetrabit. Neque enim illud patitur, veterum placita vel negligere penitus vel admittere citra cenſuram; quoniam illud ſupini eſt contemptus, hoc ſtolidæ credulitatis, utrumque errorum efficax dum aut prætermittitur quod te forte poſſet docere, vel temere creditur quod eſt erroneum. Et vero qui poſſim arrogantiæ merito poſtulari, quum omnia exigi & petam & jubeam ad experientiæ, ad apodictices ad interpretationis æternam & infallibilem amuſſim? Imo cum non erubeſcam últrò fateri illud quod quaſi fundamenti loco circa lienis uſum habere videor, chylum non niſi omni finita coctione ventriculi inferiori orificio excidere, non eſſe vero conſentaneum. Tantum vero ab ingratitudine abſum, ut ne hic quidem dubitem profiteri, triumviris præcipue illis neminem de accuratiore philoſophia aut medicina vel hactenus melius meritum, vel inpoſterum meriturum. Nec ſane ego ineptus adeo ſum, ut propter unum alterumque errorem animadverſum omnem bene meriti hominis exiſtimationem criminer, aut reliqua beneficia omnia ſuſque deque habeam; utut multis id eſſe perfamiliare haud negem. Ariſtotelem ſane nemo me prolixius commendavit, ſcio: ut in cujus laudem longæ duæ orationes à me editæ ſint. In Hippocratis & Galeni gloriam minus quidem hactenus verborum feci, paria pene tamen illis à me tribui, ſancte hic profiteor.

Utin

Ut in illorum verba jurem, ab ipſis illis ſum prohibitus. Nec id qui hodie faciunt, magis vel Hippocraticorum vel Ariſtotelicorum vel Galenicorum nomina, licet affectent, promerentur, quam qui Ciceroniani ſibi audiunt ſolam Ciceronis dictionem, commata, cola, exprimentes reliquarum ejuſdem dicendi virtutum imperiti. Primos ſane Ariſtotelis & optimos diſcipulos, magiſtri ſententias neque argumenti loco umquam proponere videas, neq; ſemper approbare. Quorum utique potius imitandus eſt generoſus animus, ut maximorum Philoſophorum & germanorum Ariſtotelis diſcipulorum, quàm anxia & ſuperſtitioſa ſemidoctorum turbæ religio & obſervantia.

His vero tribus impetratis, equidem nullius ego judicium refugio aut pertimeſco. Si enim erro, reducar in viam: ſi verum ſum aſſequutus indubie operæ ſequetur pretium. Hoc ut ſperem, etiam id facit, quod de motu ſanguinis in orbem juxta mecum Guilielmo Harveio aſſentiri jam intelligam viros ingenio & judicio inſignes, quos inter honoris & amicitiæ cauſa nomino, Paulum Marquartum Schlegelium & Joannem Walæum, illum in Jenenſi, hunc in Leidenſi Academia Artis Medicæ Profeſſores clariſſimos: quorum hujus de argumento illo elegantiſſimæ duæ epiſtolæ cum Caſparis Bartholini Anatomicis Inſtitutionibus editæ, nuper admodum in manus meas pervenerunt. Cumprimis vero confidentiam parit utilitas, quam in facienda medicina quotidie ex hypotheſibus illis capio plurimam. Nunc enim demum videor mihi multorum affectuum naturam, cauſas, addo & medendi rationem, ſæpe hactenus experientiâ potius quam ratione ſuffultam, intimius perſpicere. Verum has obſervationes ac meditationes meas, ut & alia quæ ſuperſunt de omni hominis nutritione dicenda, dabo proxime, ubi in hiſce non luſam abs me operam intellexero.

tellexero. Interim vale, benevole lector, ac fave labori in uſum publicum exacto; erranti quoque comiter monſtra viam, humanæ ſortis memor. cIɔ Iɔc xLII, menſe Decembr.

XIII.

Præfixa libro de Sanguinis generatione & motu naturali, edito Helmeſtadij anno 1643. & Lugd. Batavor. anno 46.

Sereniſſimæ & Celſiſſimæ Principi ANNÆ SOPHIÆ Natæ ex Electorali Stemmate Marchionum Brandeburgenſium, Duciſſæ Brunſvicenſ. & Lyneburgenſium, viduæ.

SEreniſſima Princeps, Domina clementiſſima. Quotiescunque animo occurrunt (non poſſunt autem non pene perpetuò obverſari) ingentia illa mala, quibus Germania omnis & nominatim hæc vicinia, per complures jam annos tantum non in ſolitudinem & cineres redigitur, equidem ut par eſt, vehementer doleo. Simul tamen occulto quodam gaudio perfundor, dum ſingulari felicitate tot inter rerum diſcrimina ſervatam Academiam noſtram, eamque etiamnum & Doctoribus ſuis & amplo ſtudioſæ juventutis ſeminario inſtructam eſſe, cogito. Enimvero vivimus loco contra vim paulo majorem nullis præſidijs tuto; nec ſemel, ſed frequentiſſime, & legiones aliquot & immanes hoſtium exercitus, aut oppidum ipſum inſederunt, aut proxima quæque depopulati ſunt. Ex tantis tamen malis hactenus ita emerſit Academia; ut de fortuna poſſit cum multis munitiſſimis Germaniæ locis contendere, haud pauca etiam ſuperare. Quod miraculi ſimile eſſe, fatendum profecto eſt. Indubie vero hoc quicquid eſt felicitatis divini numinis paternæ

ternæ curæ ac benignitati debetur. Eccui enim alij ſalutem hanc noſtram feramus acceptam? Deus, Deus nobis inter hos tumultus & has miſerias fecit hæc otia: varijs modis in noſtri favorem flexis omnium partium animis. Quam in rem cumprimis frequenti nobis uſui fuit Tua, Princeps ſereniſſima, interceſſio. Quum enim etiam Ipſa, raro cœli beneficio, extra partes quaſi fortunam habeas collocatam, & tanquam medijs in fluctibus vivas ſic ſatis tranquilla, & ſcriptis manu Tua plurimis literis & coram ore, omnibus potentioribus nos noſtraque ſedulo ſemper commendaſti: ſemper felici cum ſucceſſu, quæ Tua eſt, Sereniſſima Princeps, apud partes omnes auctoritas, & cum Heroici generis tum eximiæ virtutis prudentiæque cauſsâ, exiſtimatio. Tantum profecto vel iſthoc uno nomine poſt Opt. Max. Deum debet Tibi Academia Julia, ut cum gratiæ habendæ longe ſit impar, quod ſupereſt, ſoli præconio beneficiorum Tuorum ſtudeat, quo illorum perennis memoria poſteritati conſecretur. Fiet illud impoſterum majore cum cura: ego in ejus monumentum hoc quicquid eſt libri Sereniſſimo nomini Tuo inſcribo nunc ac dedico. Quanquam enim & proſapia Tua regia, & prudentia qua ſexum egrederis, & pietas ſingularis, & clemens ille quo me ſeorſim proſequeris affectus, merito etiam imperent, ad aram Celſitudinis Tuæ labores meos offerre: nunc tamen præcipue, fateor, in animo mihi eſt, hoc monumento publico memoriam multorum abs Te in Academiam collatorum beneficiorum pro virili conſervare. Deum veneror, Sereniſſima Princeps, uti pro Tuis iſtis in nos meritis æternam Tibi reddat felicitatem; præcipue hunc annum fauſtum eſſe velit, jubeat: quo nobis etiam porro detur ſub nominis Tui umbra conquieſcere. Ex Academ. Julia Helmeſtadio Ibid. Januar. cIↄ Iↄc XLIII.

XIV.

Præfixa editioni primæ libri De Origine Iuris Germanici quæ prodiit Helmeſtadij anno 1643.

Magnificis Nobiliſſimis Ampliſſimis & Conſultisſimis Viris ANTONIO APFELMANNO, JOANNI Schwartzkopff/ JUSTO KIPIO & JACOBO LAMPADIO, JCtis, & Sereniſſimorum Ducum Brunſvicenſium & Lyneburgenſium D. FRIDERICI, D. AVGVSTI & D. CHRISTIANI LUDOVICI, Cancellarijs & Procancellarijs S.P.D.

ANni quaſi novem ſunt, quum in uſum adoleſcentum quorundam, nullâ adjutus prævia ſcriptione, tantum productâ ex adverſarijs meis variorum, quæ hinc inde collegeram, teſtimoniorum congerie, Germanici juris hiſtoriam, ut illam extemporaneâ operâ mente concipiebam, ad calamum dictarem. Is libellus, me inſcio, in multa mox exemplaria, ſed admodum mendoſe eſt diffuſus: ſive novitas argumenti ſcriptores pellexerit, ſive quod nonnihil contineret opuſculum non perinde in vulgus cognitum. Deſcribi enim illud curaverunt, ut deprehendo; viri etiam præclarè docti nec infimæ dignitatis. Quanquam vero haud leviter timuerim, ne deſultoria, & ut ita dicam, temeraria ac cruda opella, accedentibus, exſcriptorum vitio, plurimis mendis, tandem maculam aliquam nomini inureret, ſubinde editionem multi flagitaverint; hactenus tamen adduci non potui, ſaltim ut recenſerem. Illo enim reipublicæ noſtræ collapſæ tædio afficior, ut patriæ antiquitatibus eruendis, quod

quod ſtudium juvenem me ſæpe detinuit, vel ſubciſivam aliquam horam pigeat amplius impendere. Neque vero vel nunc mutaſſem ſententiam, niſi atrociſſimæ injuriæ quibus, more ſuo, incomparabilem virum & maximum Theologum Georg. Calixtum, quem magiſtrum à multis annis ſum veneratus, collegam nunc atque amicum ſummum habeo, Bartoldus Nihuſius, edito nuper *Irnerio* ſuo, affecit, graviter me commoviſſent, illaſque injurias cùm magiſtri & amici optimi cauſa, tum communis ſententiæ ergo, ad me quoque pertinere exiſtimarem. Scilicet, quod Calixtus noſter aureo libello *de Morali Theologia* adſtruxit, Juſtinianeas leges non eſſe, abrogatis alijs, Lotharij Cæſaris juſſu in forum reductas; idem jamdudum etiam ego fortiſſimis viri rationibus perſuaſus & in Commentarium de jure Germanico tranſtuli, & publicis ſcriptis aſſerere hactenus non dubitavi. Hoc vero dum refellere Nihuſius, & ſuopte Marte & per alios conatur, integros convitiorum montes in Calixtum congeſſit; de ſententiâ noſtrâ tanquam victâ jam & proſtratâ *glorioſos triumphos* chartis divulgatis jactat; quaſi nihil ſuperſit, quàm ut, qui cum Calixto facimus, vinctis manibus ſuperbi victoris clementiam ſupplices adoremus. Quæ inſolentia ut ſine exemplo, ita ſanè intolerabilis eſt. Utque vanum hominem contemnas, quod tamen multos complices, & applauſores non infimi gregis laudet, & quidem non falsò forte laudet, id vero ferendum non eſt. Enimvero nihil ille non egit hactenus, ut quam fortè ex ſacris controverſiis relaturum ſe deſperat victoriam, illam Calixto, cujus ſeſe inimiciſſimum hoſtem profitetur, ſaltim hâc in re exprimeret; quo tandem apud ſtolidam plebeculam, ſi illa ſileat, ipſemet accinere ſibi poſſit ſuave illud, *Iô triumphe!* Nec ille unus tamen ſummo niſu proſternere Calixtum noſtrum hac parte laboravit, ſed tanta conantem haud pauci ejuſdem ſodalitij

& incitarunt, quemadmodum videtur, & quo potuere ſubſidio, inſtruxerunt. Unde hominis confidentia mirum, quantum per gradus intumuerit. Prima pugna *in Corollario ad Apologeticum*, adductis in medium paucis rem nihil juvantibus Sigonij, Balduini, Forſteri, aliorum teſtimonijs, intra ſuperba conviria ſtetit & ſcurrilia maledicta. Itum inde *ad Juriſconſultos & hiſtoricos erudiriſſimos* (ita gloriatur Nihuſius) *non catholicos tantum ſed alios quoque*; cumprimis ad Collegium Juridicum Lovanienſe; quod nemo forte hactenus de quæſtione aliquâ facti, & ad priſcam hiſtoriam pertinente, conſuluerat. Reſponderunt illi quidem pro Nihuſio: at faſſi ſunt: niti ſeſe *præcipuè Forſteri fide*. Hanc confeſſionem invitis, puto, auribus accepit ſacerdos Bartoldus: divulgavit tamen Reſponſum. Dixiſſes cum aliorum chartas non judicaverit dignas quæ ederentur, datum id honori Lovanienſium. Quid enim ab ejuſmodi ſchedulâ magni exſpectes? Nihuſius verò nondum quidem triumphos ſibi tum decrevit, ingentes tamen hinc animos ſumens, monere edito libello (*Faculam* appellavit) non dubitavit Calixtum: uti ille, cognito Lovanienſum hoc judicio, *errorem ſuum nimis indignum eo qui Profeſſor Academiæ Helmſtadenſis primarius conſalutari amat* (quo nihil eſt falſius) *quantocius fateatur ingenuè depreceturq́, ſcripto publico antequam confundatur ab aliis adhuc amplius*. Riſimus nos hominis ineptias: quod exiſtimaret, nudis & pridie natis aſſertionibus ſententiam antiquis monumentis & tacito ſeculorum conſenſui innitentem convulſam eſſe. Nihuſius verò, ut ex hâc arena plenam victoriam reportaret, perrexit ad Bononienſes, & quidem ad ipſos *Illuſtriſſimos* & *Excellentiſſimos dominos Priores & Doctores Collegiorum Juris Pontificij & Cæſarei.* Quo felicius procederet negotium acceſſit interceſſio, & commendatio *Illuſtriſſimi D. Fabij Chiſii* (quanti viri!) *Epiſcopi Neritonenſis pro S. ſede Apoſtolica ac ſanctiſſ. D.*

N. Co-

N. Coloniæ Nuncij. Impetravit quod petierat Nihuſius tanto interceſſore ſuffultus: ac Collegia illa quatuor ex ordine ſuo dilectis Doctoribus *injungunt onus diligenter conquirendi ex ſuperextantibus* (ita Latiniſſant Bononienſes illi) *antiquitatum iſtius patriæ monumentis, quæ de Irnerio erant poſita. Illi omnibus patriæ monumentis curioſè perluſtratis, omnibus veterum Iuris interpretum ſcriptis atque editis aſſidue evolutis, ipſo tandem ſolo Italicorum annalium ac ſerie* (verba illorum retineo) *vomere laboris inverſo*, antiquum quidem nihil, nihil elegans prompſere; tantùm Caroli Sigonij, Nicolai Alidoſii, & Joannis Bonifacij nupera teſtimonia barbaro ſermone oſtentantes; quod tamen pronunciaverint pro Nihuſio, id vero ſatis cauſæ creditum, cur de Calixto *totus ille triumpharet*. Editum mox in publicum Reſponſum illud, ipſo frontiſpicio loquente *Nihuſium hic de Calixto totum triumphare*. Reſponſum ipſum quantis (hem!) laudibus evectum? *Exquiſitè nobile, ſolidiſſimum, cedro digniſſimum, abſolutiſſimum, theſaurus pretioſus.* Quid verò Calixtus? *Andabata, vertumnus, homo ſummæ levitatis, cujus promiſſis nihil vanius, puerilis, fatuus, ſycophanta, putidiſſimus Andabata, qui ne quidem Germanicam linguam callet*, ut taceam plurima convitia alia. Ipſe Nihuſius *Bononienſibus quidem illis, quod uſq; adeo cumulatè ſatisfecerint ſibi, ut verbis exprimere nequeat, nedum extollere dignis præconiis, ſummas gratias agit venerabundus*: de cœtero *totus triumphat, publicè triumphat, canit triumphum quam ſolenniſſimè coram toto mundo, & quidem glorioſiſſimum.* Hæc profecto exemplo carent. Eſto enim (quo tamen nihil falſius) Calixtus erraverit. An *pueriliter*, an *impudenter* errat, an *errorem profeſſore* & viro docto *indignum* errat, qui id negat factum quod antiquorum fide monumentorum deſtituitur? An qui ita forte erravit, *ſcripto publico culpam deprecari* debet? An error neque fidei, neque bonis moribus, neque huma-

humanæ vitæ noxius, meretur putidis adeò convitiis proſcindi? Quis vidit, quis audivit errorem, & quidem hiſtoricum, publicè in triumphum duci? Quis alius chartas ejuſmodi triumphales huc illuc paſſim locorum per aulas & Academias ſparſit? Ipſe Nihuſius quantò ſaniùs & rectius alibi in ſuo *Corollario ad Apologeticum* loquitur! *In diſputatione legitimâ & honeſta non quæritur victoria, ſed ſolum in contentioſâ, ubi conſcientia crebrò non magna ratio habetur. An enim, quum unus docere, & alius diſcere quærit, ibi iſti duo vincere ſe invicem, propriè loquendo intendunt?* Benè, me Deus. Qualis verò eſt triumphus Nihuſii, ſi in diſputatione honeſtâ ne victoria quidem obtinetur? Si diſputavit honeſtè, ne vicit quidem, adeoque ſine victoriâ triumphat; quo nihil inſanius: ſi contentioſè, improbus eſt & decoxit conſcientiam. Utrum verius, haud facilè dixeris. Prius ut malim credere, facit Chriſtiana caritas, & confirmant tot alia Nihuſii dogmata & facta, qualia ab homine ſani capitis temerè profecta non ſunt. Id certum, hanc controverſiam ad Nihuſium nihil pertinere: ne quis exiſtimet litem hanc homini illi à Calixto noſtro motam. Etiam id quod ſcribere Nihuſius non erubuit; *ſui occaſione* hæc cæpta, tam procul à verò eſt quàm ille à ſano cerebro. In medio eſt Calixti de *Theologiâ morali* labor, quem ille ineptis ſuis novis Artibus interrupit, auctore, quum nihil minùs quàm de Bartoldi Artibus cogitaret, per vim à doctrina de Legibus ad alia protracto. Quid ergo hominem adegit triumphos ex hac potius hiſtoricâ, quàm aliâ arenâ, in quam ipſe nec deſcenderat ante, nec à Calixto provocatus eſt, petere, niſi improbum odium aut veſana jactandi ſeſe libido? Conatur, ſcio, Nihuſius *epilogo ad Irnerium* haud paulò alias cauſſas adducere. *Dicat amplius quid,* (inquit in Irnerii illo epilogo) *unde pateſcat, quorſum de Irnerio illud urgeam ego tantopere, quod alioqui minùs ad me pertinere videri queat?*

Quid

Quid verò illud? *Probationes, quibus Calixtus in Fidei ac religionis negotio aut impugnat ſolùm noſtra, aut ſtabilitum ſimul it ſua, eædem planè ſive principiis iiſdem nixa ſunt cum illis, quibus à parte unâ rejicere conatus fuit vulgatam de Irnerio ſententiam, & ab alterâ confirmare pariter novellam ſuam. At verò de his triumphamus: ergo nec minùs triumphabimus de illis.* Hæc ille. Si rectè aſſequor hominem, vult videri glorioſè adeò nunc triumphare, ut hoc præjudicio captus quiſque judicet, Calixti contra Pontificios conatum non minus fore irritum atque eſt ille de Lothario. At, ſi de futuro ex eo quod anteceſſit certam liceat ſpem concipere, eſt profectò cur benè ominemur noſtris partibus earumque patrono. Non intelligo autem, cur adeò certos triumphos polliceri Nihuſius audeat Pontificijs ſuis, eo nomine quòd Calixtus (largiamur enim hoc nunc triumphatori, quo aliquantulum ſe titillet) victus ſit in cauſsâ Lotharij. An qui ſemel cadit ſuccumbit perpetuò? Scimus verò, jamque in proverbium abjit, victis etiam interdum redire in præcordia virtutem, & captum eſſe captorem. *At iisdem principiis nituntur Calixti probationes in Religionis illis & his Lotharij negotiis.* Haud multum negamus, ſi de principiis remotioribus ſermo ſit. Ergo, *ut in his eſt victus ita & in illis ſuperabitur.* Hujus ego conſequentiæ vim non ſatis percipio, niſi dixeris, principia ipſa Calixti falſa & veritati eruendæ inidonea eſſe. Certè ſi tantùm ipſa ex principijs deductio in vitio eſt, vana eſt illa novi triumphi promiſſio: neque enim eo quòd ſemel rem quis geſſerit malè, perpetuam licet hoſti victoriam ſperare. Sanè blandioribus fortunæ initijs ineſcati multi funeſtum poſtremò ludibrium victori debuerunt. Sed ipſa fortè principia laborant. Quin producamus ergo illa in medium. Sunt illa potiſſimum hæc tria. Primum. *Quicquid de rebus humanis antiquis, neque illius ætatis quâ ſunt geſta, neque proxi-*

morum aliquot ſeculorum fide dignis monumentis traditum eſt, illud fidem non meretur, utut heri & nudius tertius vulgò credi cœperit. Alterum: *Quicquid auctores fide digni reique geſta proximi memorant, id potius credendum quàm quòd nuperi quidam nullis antiquis monumentis ſubnixi aſſerunt.* Tertium: *Res vetus humana, cujus in nullis antiquis hactenus vulgatis monumentis ulla memoria exſtat, quamque nec in manuſcriptis invenere illi qui ſummâ induſtriâ omnia ſcrinia, omnes pluteos excuſſerunt, illa ad noſtram notitiam nullo fide digno teſtimonio pervenit.* His ſanè principiis communioribus ac remotioribus, & in hac Lotharij cauſsâ & quadamtenus in Fidei negotijs utitur Calixtus noſter. An de ipſis his principijs proſtratis triumphat Nihuſius? certè alia nova adfert, ipſe alijs utitur. Si facit, quid niſi dementiam prodit? triumphans ſcil. non tantùm ante victoriam ſed etiam ante pugnam: neque enim horum certitudinem directè oppugnavit. Quin nec poſſunt illa impugnari ab homine cui mens conſtat: pro fundamento quippe habent ipſam humanæ intellectionis naturam; quod utique immobile eſt, niſi divinitus quid contingat ſupra aut præter naturæ illum ordinem.

Quur verò non utamur hiſce principijs, etiam in Fidei noſtræ controverſiis? Nempe illa quæ nunc dividunt horribilem in modum Chriſti Eccleſiam, ecquid aliud ſunt quàm facti veteris quæſtiones? an ſcilicet Servator hoc, illud, credendum, agendum, ſive vetuerit, ſive juſſerit, ſive permiſerit, ſive denique ſvaſerit. Quidni itaque & hîc tum ipſa antiquiſſima Apoſtolorum eorumque auditorum, tum his proxima primitivæ Eccleſiæ monumenta conſulamus? quum ſolo horum adminiculo ad nos uſque integra veritas potuerit pervenire. Certè de quo altum per integra quatuor priora ſecula aut ultra ſilentium fuit, hodie tamen præfractè pro Apoſtolico venditatur, novitium εὕρημα eſt. Quod vel

ipſis Apoſtolicis literis traditur, vel in Apoſtolos doctores primæ illius ætatis fide dignis teſtimonijs refertur, id verè eſt Apoſtolicum; ut ut hodie etiam longè plurimi contraria placita Apoſtolis adſcribant. Cujus denique doctrinæ nullum veſtigium in ullis hodieque ſuperſtitibus vel ipſorum Apoſtolorum, vel primorum aliquot ſeculorum monumentis reperitur, illa & Apoſtolis & primæ Eccleſiæ fuit ignota, adeoque non eſt Apoſtolica. Hæc principia, ſive univerſalius ut ante prolata, ſive ad rem Eccleſiæ reſtricta deſtruat ſi poteſt aut velit, vel ipſemet Nihuſius vel ejus factionis alius. Vbi id fecerint, per nos licet, *glorioſè triumphent:* quin ſponte nos ſequemur quadrigam non amplius vanè triumphantium ſed verè victorum. Si ante, vel ille vel alij triumphare perrexerint, nos quidem illorum triumphos non alio poſſumus loco habere, quàm quo Caji Caligulæ de Germanis & Oceano triumphus à prudentiore quoque olim habitus eſt. Quamvis hoc etiam triumphandi genere delectari Nihuſium videas. Neque enim ille contentus, triumphum egiſſe de Calixto, quaſi malè pugnante, nuperrimè de eodem, quod hoſtis provocatus non prodiret in aciem, non præliante, chartas triumphales per omnem paſſim Germaniam diſpertiit. Quam inſaniam ſoli Nihuſio dixeris propriam, niſi credere homini malis, triumphum hunc multis illius ſectæ ſolennem eſſe: quod tamen vetat me credere plurimorum & prudentia, & probitas, & eruditio. Quis enim prudens ovaſſe quem legit, qui non tantùm non vicerit, ſed etiam provocatus pugnam declinaverit, de hoſte ultrò provocante & expectante prælium? Nemo profectò ſanus ejuſmodi triumphum vel popoſcit ſibi. Atqui (ſi fas eſt bellicis vocabulis cum Nihuſio uti, de amicâ diſputatione Chriſtianæ pacis & boni publici ergò inſtituendâ) Calixtus eſt qui provocavit Colonienſes ad prælium, hactenuſque eos eſt

præſtolatus: Colonienſes verò huc quidem uſque nullam pugnandi copiam fecerunt. Quod hoſte nuſpiam comparente non cum larvis luctatus ſit Calixtus, id verò jam Nihuſius triumphat ſcilicet.

Sed indulgeamus nos Nihuſio (ſoli tamen) ejuſmodi triumphos; quum immani adeò ovandi libidine teneatur: neque enim nos latet Chijs (itidem tamen ſolis) datum olim in Senatu Attico vomendi licentiam; modo ne per ejus ineptias ipſa veritatis eruendæ & rectè ratiocinandi principia capiant quidquam detrimenti. Verùm ille non tantùm videtur triumphare velle de principijs paulo ante allatis, ſed etiam nova & quidem planè contraria conſtituere. Non dicam nunc quòd in Fidei rebus, hodiernæ, non univerſalis, ſed ſolius Romano Pontifici addictæ Eccleſiæ, ſententias pro infallibili ac primo principio Chriſtianæ ac catholicæ fidei habeat: etſi enim illud perquam ſit remotum ab omni veriſimilitudine, tamen excuſari fortè poteſt idem ſtatuentium magno numero. Illud verò & novum & nimis abſurdum eſt dictu, in quæſtione de Lothario, h. e. in quæſtione facti veteris, *ſufficere* ad fidem conſenſum doctorum noſtri forte temporis. Obſcurius paulò hoc ipſum dicit Nihuſius in Irnetij ſui epilogo; aliter tamen accipere ejus verba vix licet. *Sufficit nobis* (inquit) *teſtimonium vivum Eccleſiæ noſtræ, quæ juxta noſtram ſententiam & accepit ea dogmata primitus à Chriſto & Apoſtolis, & fideliter hucuſque conſervavit. Nec refert quòd Lutherani teſtimonium illud noſtramque iſtam ſententiam ſpernant: perinde atque ſufficit hominum doctorum hucuſq; conſenſus, à Bononienſibus jam quoque comprobatus, nec refert, quòd Calixtus conſenſum eum reſpuat.* Hæc Nihuſius. Quod ergò in rebus Fidei valet ea quæ hodie eſt Romana Eccleſia, id in Lotharij causâ ac ſimilibus, hominum doctorum recentiorum

tiorum conſenſio. Utrumq; ſcil. ſufficit ad certam fidem faciendam. Quo pronunciato nihil ſanè ineptius: niſi ineptius ſit quod in epiſtolâ Bononienſium, quam famoſo ſuo Suſcitabulo inſeruit Nihuſius, legitur: *Nihuſii ſingularem eruditionem, ipſius adeò Lipſii auctoritate fultam, haberi potuiſſe pro lege apud Calixtum,* in quæſtione ſcilicet noſtra de Lothario. Haud negamus quidem, probabilem conſenſu illo reddi quamcunque ſententiam, at certam hinc fidem naſci, niſi ex ætate rei geſtæ proximiore acceſſerint teſtimonia, ecquis crediderit? Ipſe Nihuſius longe rectiùs in corollario, ad Apologeticum *n.9.* illâ conſenſione communi moveri profitetur, *ne à vulgari opinione temerè ſibi ſit diſcedendum, donec aliter fuerit convictus.* Sed fortaſſis nondum ſatis apud ſe conſtituit Bartoldus, quanti vulgata noſtri temporis fama valere debeat aut poſſit in quæſtionibus facti antiquioris.

Valde vereor autem ne in ſequiora ſit etiam hîc pronior, quum in adeo multis alijs fundamenta docendi ac diſputandi luxaverit. Ejus certè generis eſt, *quod* nobis, qui Romani Pontificis tyrannidi colla ſubduximus, ab ejus aſſeclis nullam dogmatum probationem deberi ſtatuat: *quod*, leges diſputationum quæ inter Reſpondentem atque Opponentem ſive γυμνασίας ſive τῆς πείρας cauſsâ inſtituuntur, velit communes eſſe omni quæ veritatis eruendæ gratiâ vel inter duos inſtituitur collationi, vel ab uno conſcribitur tractatui: *quod* denique, (ut nunc alia præteream) Opponentem unico ſyllogiſmo, cujus præmiſſas omni ex parte adverſarius Reſpondens concedat, velit defungi vel arenâ cedere. Quæ omnia & vehementer ſtolida ſunt & nemini prudentiorum hactenus temerè viſa, ſubruunt autem ipſa docendi diſputandique à rectâ ratione conſtituta fundamenta. Et verò ut de *priore* (quod ille ex fœtidis Franciſci Veronij aliorumve quorundam Jeſuitarum lacunis hauſit) nonnihil prius dicam;

Aut omnia Pontificiorum placita ſunt ejuſmodi ut credi poſſint citra omnem demonſtrationem : quomodo ſcientiarum principia vel vi terminorum ſuorum vel inductione fidem inveniunt; Aut verò opus eſt probatione, ut illa firmiter & citra falſi periculum credas, non verò ſolùm vanâ opinione tibi perſuadeas. Prioris ordinis eſſe, vel Pontificis vel ipſi additæ Eccleſiæ infallibilitatem, ſubtractionem calicis eucharistici, indulgentias, ignem purgatorium, aliaque id genus, ecquis ſanus dixerit? Si ergo ſimpliciter neceſſum eſt, ut certa quidem illorum fides alijs argumentis concilietur, utique nec nos nudè prolata illa poſſumus credere. Igitur etſi probationem horum fortaſſis Pontificij non debeant nobis, ſibi ipſis certè debent. Cæterùm ſi nobis eam non debent, hoc fit aut quia nos credere illa placita non teneamur, aut quia ipſi non teneantur nos docere. Si prius eſt verum, iniquè profectò hæreſeos poſtulamur, iniquè tot in nos anathematum fulmina jaciuntur, ob ſententiarum diſſidium. Ex adverſo ut pro ſe quiſque comiter erranti monſtret viam, utque alter alterum inſtruat & doceat, hoc verò & humanitatis jus omnium mentibus inſitum, & lex divina ſeverè juſſit. Doceri autem nil poteſt, niſi ſuis rem quamque rationibus probes. Si docere ergo nos tenentur Pontificij, etiam docenda tenentur probare. Perſuadenda ſcilicet Fides eſt, non jubenda. *Sed* (dixeris) *Pontificij in ſuorum dogmatum ſunt poſſeſſione & longâ temporis præſcriptione gaudent, adeoq; probare nihil tenentur.* Verùm hic quidem prætextus eſt veſanus: jam enim antè dictum, dogmata illa, ut omnia alia quæ ſunt extra primorum principiorum cenſum, credi, vel (ſi libeat translatis uti vocibus) ab intellectu humano ritè poſſideri non poſſe, niſi vi aliorum principiorum: quæ ſimulac memoriâ excidunt, etiam conſequentium dogmatum ſcientia perit. Contrà quam ſeſe res aliæ habent; quæ

propriè

propriè poſſideri queunt interdum malâ fide, interdum bonâ quidem, ut tamen ignores primum poſſidendi titulum. Nulla ergo ſcientiæ poſſeſſio permittit ſcire quidquam citra probationem: nulla quoque poſſeſſio tua eximit te ab illâ naturæ & Chriſti lege, quâ teneris docere errantem. Par ratio eſt ejus præſcriptionis quam longum tempus parit. Neque verò diuturnum tempus demonſtrationis indigam ſententiam facit demonſtratione ne egeat: quin antiqua ſententia ſæpe antiquus error eſt.] Multo minus, ne doceas alium, neve tua probes, ab æternâ naturæ & Chriſti lege, præſcriptione quadam liberaris. Eſt autem par ſi non major ſtoliditas *alterius* illius Nihuſiani, (an Veroniani?) placiti, de attendendis gymnaſticis diſputationum inſtitutis in ſermonibus *διδασκαλικοῖς*, iiſque collationibus omnibus, quæ veritatis ergò utrique inter duos pluresſque ineuntur. Huç ſanè tendunt quæ paſſim ad ravim uſque urget de Reſpondentis & Opponentis officio in ſacris controverſiis, inque illo Lotharij negotio obſervando. Quis verò in homine Logices peritiam & quidem ſingularem jactitante toleret, ignorari diſcrimen inter dialectica exercitia & demonſtrativas aut *διδασκαλικὰς* tractationes? Certè Ariſtoteles, doctrinam quidem de inventione probabilium argumentorum philoſopho inſervire poſſe, totum autem illud quod ad reſpondentem & interrogantem pertinet, nullum illi uſum præſtare diſertè profitetur *c. 1. l. 8. Topicorum.* Et verò quid ab omni ratione eſt alienius, quàm veritatem ſectanti ac docenti ſatis eſſe quidvis citra omnem probationem pro libitu ponere, idque ab inſultibus adverſarij ita tueri, ne quid ille hinc abſurdi elicere, aut te ad confeſſionem ejus quod theſi tuæ adverſatur, ſive palam ſive clancularijs artibus, poſſit adigere? Atqui in hoc uno omne dialectici adeoque veri Reſpondentis munus

nus ſitum eſt. Quis dixerit irretire & circumvenire Reſpondentem aut eum qui aliquid propoſuit, (quod Opponentis artificium eſt) ſufficere ad ſolidam falſi oſtenſionem ac probationem? Ne quidem, ſi duo pluresque veritatis inquirendæ ergo inter ſe diſputent, leges illæ dialecticæ γυμνασίας reſpondendi opponendique, exactè ſervari poſſunt. Longè ſiquidem aliud eſt velle θέσιν φυλάττειν, aliud velle verum quærere. Tantum abeſt, dialectica illa diſputandi præcepta ſimpliciter convenire τῷ λόγῳ διδασκαλικῷ. Quem errorem omnium ineptiarum Nihuſii Artium πρῶτον ψεῦδος jure dixeris. Enimvero Apoſtolos non theſes reſpondentium more gentilibus proponere, ſed *docere* juſſit Servator. In hunc Nihuſii modum adverſus hæreticas ſententias nemo veterum, nemo penè recentiorum pugnavit. Ita in Fidei ſerijs negotijs procedere, diſertè vetuit Apoſtolus. τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει, inquit, προσλαμβάνεσθε μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Neque verò, διαλογισμῶν voce collationes placidas doctrinæ gratiâ inſtitutas ſignificavit: (hæ enim per ſunt utiles imò neceſſariæ inſtruendis imperitioribus:) ſed concertationes ἐριστικάς, aut γυμναστικάς, aut πειραστικάς, aut ſi quo alio nomine velis appellare diſputationum id genus, ubi Reſpondentis unicum inſtitutum eſt τὴν θέσιν φυλάττειν, Opponentis incautiorem adverſarium convincere. Non eſt inſtituti mei multis hîc de diſcrimine docendi, ac διαλεκτικῶς (utor voce ex more Lycei) diſputandi agere; fiet illud ipſum aliàs commodiùs. Indicare nunc ſatis habeo, quomodo Nihuſius ipſa docendi diſputandique fundamenta verterit. Et verò eas quoque reſpondendi opponendique novas leges tulit, quibus ipſæmet exercitationes γυμναστικαὶ non minùs funditus evertuntur, quàm everſa ab illo eſt omnis διδασκαλία, quod *tertio* loco antè notabamus. Ita vult Reſpondentem nunquam prorſus teneri rationem negationis ſuæ reddere: contrà

contrà quàm & Ariſtoteles olim in Topicis docuit & ab optimis quibuſque dialectices noſtri ævi ſcriptoribus (quos inter ſolum Fonſecam nominatim nunc laudo) prod tum eſt. Fac verò improbatam à Reſpondente inducti nem Opponentis, aut formam ſyllogiſticam argui; ſi Opponens inducendo per omnia ſingularia eat, ſyllogiſmum etiam ſuum ad leges formæ ſyllogiſticæ ubi examinavit, proteſtetur nihil ſe invenire vitij; an æquum fuerit perſiſtere tum Reſpondentem in negando? Certè id ſi fecerit, boni viri nomen haud tuebitur, omniſque illa diſputatio fuerit vana inanis & plena ineptiarum. Opponentem porrò aſtringere vult Nihuſius, ne utatur ullâ aliquâ præmiſſarum aut conſequentia quadam, niſi ante cognitum habeat, nihil horum à Reſpondente negatum iri. Quod ut hactenus nuſquam auditum ita ſanè ſtultiſſimum eſt.. Quis enim certò ſciat, quidnam is quîcum controverſia eſt, ſive per imperitiam ſive per proterviam fortè ſit negaturus? Vt enim præſcias, quid negari meritò poſſit aut debeat, aut quid negare hactenus adverſarius ſoleat; ſemper tamen, quid ille ſit conceſſurus necne, præſciri non poteſt, quoniam neque de peritiâ neque de candore omnium poteſt cuiquam certò conſtare. Si ergò ſolis illis, quæ Reſpondentem non rejecturum certò prænoſcuntur, licet uti, quis mentis ſanæ Opponentis partes velit ſuſtinere? imò quis hominum poterit ſine vitio id præſtare, ſi opponendi munus adjunctam habeat conditionem ingenij humani captum longè excedentem? Fac verò hac lege diſputent inter ſe duo: quis diſputationis illius erit uſus? Quod ſi enim συλλογισμῷ nullus fuerit locus, Opponens ſanè neque exercere ſe poterit cum Reſpondente, neque ejus doctrinam explorare, multo minus veritatem inquirere. Nunquam enim non victor abibit Reſpondens, ſi Opponenti ad quamvis adverſarij negationem ſtatim

ſit obmuteſcendum. Quin ergò omnis diſputatio è medio tollatur, aut ſatius ſit impoſterum audire quid Nihuſius aut alius aliquis non dubiæ ſanitatis Reſpondens deliret. At Bartoldus his legibus expetit Reſpondentis munere perpetuò fungi. Si quid ſapit, hac unâ in re dixeris illum non omnino deſipere: crediderim autem hoc votum illi cum alijs commune eſſe, qui ex impudentiæ & inſcitiæ prælijs inanes triumphos captant. Neſcio an ab omni Opponente id exigat idem ille quod à Calixto noſtro poſtulavit, cui ſeſe Reſpondentem novis illis inſanis legibus ſtitit. Illud eſt, ut Calixtus aut unum aliquod argumentum proponat, cujus præmiſſæ undequaq; placeant palato Nihuſiano; aut ex multis à Calixto propoſitis Nihuſio ſit optio unicum eligendi, ſed eâ conditione, (verba ejus recito ex Triumpho) *ut ſi fuerit vel minimo id nixum inconceſſo (*h. e. ſi Nihuſius ad alterutram præmiſſarum ſuum *nego* proferre velit*) non hoc tantummodo ſed & reliqua ipſius argumenta omnia, utut necdum audita nihili ſint habenda.* Neſcio, inquam, an omni Reſpondenti concedat, facultatem non niſi durâ hac conditione Opponentem admittendi. Si concedit, habemus novum inſaniæ genus. Sin; magnâ profectò injuriâ Calixto libertatem Opponentibus omnibus communem vult præreptam. Quur enim etiam illi haud liceat aliâ aggredi viâ, quod unâ forte effici non potuit? Dices, tamen Nihuſium pari modo ſpopondiſſe, ſeſe, ubi unico argumento conceſſis omnimodò præmiſſis conſtante victus fuerit, confeſtim in omnibus Fidei controverſiis cum Calixto facturum, imò in omnibus etiam alijs illi aſſenſurum. Audio. Verum enimvero non ſponſio minus, quàm poſtulatum inſanit. Scilicet non eſt ſimpliciter in noſtrâ ſitum poteſtate, credere quidvis aut non credere, aſſentiri vel non aſſentiri: aſſenſio omnis à vi rationum eſt ſive

verâ ſive apparente. Itaque nec ſi unâ aliquâ in re fueris convictus te erraſſe, tui arbitrij eſt omnia alia hactenus fortè credita animo delere. Ni ſanè omnia uni fuerint fundamento ſuperſtructa, idque everſum fortè ſit, fieri non poteſt, ut ob unam ſententiam confutatam in omnibus alijs mentem commutes. Atqui non de principijs vel Chriſtianæ Fidei, vel omnis intellectionis, argumentum aliquod à Calixto noſtro exigit Nihuſius, ſed promiſcuè de aliquo placito noſtro religioſo. Sed fortaſſis, quemadmodum Sabini quicquid volunt ſomniant, ita Nihuſius quicquid vult credit, aut non credit, alios autem ex ingenio ſuo æſtimat. Fac verò, omnia illa quæ de Reſpondentis privilegijs & miſeriâ Opponentis iſte perſuadere nobis voluit, ita ſeſe habere; an credis triumphaturum unquam Nihuſium, ſi quis eorum, quos Lutheranos vocat, iiſdem legibus reſpondendi provinciam ſibi ſumat? *Sed illis Reſpondentibus eſſe per Nihuſium non licet.* Quare verò? quia ſuſceperunt Romanæ Eccleſiæ placita convellere, adeoque opponendi partes ſibi ſumpſerunt. *En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!* Verùm quid prohibet quo minus qui nunc vicem Opponentis fungitur, non interdum Reſpondentem agat? Quis hæc munera ita diſtinxit ut eadem ſemper ab iiſdem exerceantur, nec jure poſſint viciſſim permutari? Vnus Nihuſius. Scilicet ne quid ſani amplius ſuperſit in omni docendi diſputandique ratione, etiam hoc addendum fuit. Et tamen illas hominis chartas quibus hæc inventa ſua mirificè jactat, non puduit, inſignium ſcholarum Colonienſis & Lovanienſis Doctores duos, alterum *apodictici libri*, alterum *facilis & ſolidæ methodi* titulo inſignire. Quin ſi Nihuſio credimus, plurimi alij intelligentes, novis illis artibus applaudunt. Sed fortaſſis etiam hæc inanis gloriatio eſt. Si qui tamen ſunt, ſive triumphatores ſive triumphantium acclamatores, illi profectò cum intel-

ligentiâ & ratione inſaniunt. Me & Nihuſii & laudatorum ejus (ſi qui modò ſunt) ex animo miſeret; adeò illos à rectâ ratione prolapſos, ut tam ſtolida & omni retro antiquitati, omnibus omnium partium paulo doctioribus, neque viſa neque audita hactenus, pro regulâ habeant docendi ac diſputandi. Nec tamen dubito, ſolum ſectæ ardens ſtudium hanc caliginem imò ſtuporem animis hominum induxiſſe. Nempe ſurdos & cœcos reddi, qui ſectas amplexantur, jam olim, etiam Galeno meo, notatum eſt. Nihuſium vero quis non videt, ut ſuæ partis cœco amore ita diſſidentium omnium acerbiſſimo odio flagrare? Alios multos ejuſdem ſectæ pari animo eſſe, utinam non ſit verum! Sanè nonnullos, eò quod caritatem exuant, adeò ſeverè nobis mandatam, arcano Dei conſilio tradi εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, non eſt fortè quod dubitemus. Equidem ſanctum illud numen veneror, ut per Spiritum ſuum zelotarum omnium corda caritate rurſum Chriſtianâ inbuat; quo, remotâ odij amoriſque ſpiſsâ illa nube, claram veritatis lucem liceat illis perſpicere.

Sed quô me trahunt Nihuſianæ & injuriæ & ineptiæ? Id tantum initiò ſignificatum volui, ad argumentum hoc de Origine Juris Germanici tractandum permotum me indignis illis & contumelioſis triumphis, queis & famam maximi Georgii Calixti noſtri, publicè perſtringere, & veritatem ab illo proditam convellere, homo ille eſt conatus. Et ſane hac unâ de cauſsâ, ad opuſculum ante hos novem annos à me dictatum accuratiùs elimandum adductus ſum. Neque enim mihi à rei medicæ operibus niſi exiguum admodum otij ſupereſt: & in quovis alio argumento malim ſi quid horæ vacuum eſt impendere, quàm in hoc, quod laboris multum delectationis parum habet. Neque is eſt Nihuſius qui cum, ſi libeat, poſſis non ſine fructu vel in hoc campo con-

tendere, effrenem videns hominis maledicentiam; quin merito ſemper animo obverſetur illud: CAVE CANEM. Itaque & prudentius fortaſsè fuerit, non irritaſſe crabronem, ſed jubere illum potius vel minutos verſiculos tornare, vel caligas ruſticanas cantillare, quod nuper inſtituit otioſus presbyter. Verumtamen, quod ab initio dixi, adeò vehementer me commovit injuria præceptori & amico illata, ut impium duxerim, relinquere illum intentum melioribus, hac parte indefenſum; & veritatem à contumelia non vindicare. Tum verò haud parùm metui, ne inolitus error novo illo Bononienſium paxillo ſuſpenſus, apud eos quorum animos antehac occupavit, aut quibus curæ non eſt hoc expendere, veri aliquam ſpeciem recuperet. Sanè non mihi Nihuſianas calumnias (quas prævideo non defuturas) adeo vitandas cenſeo, ut propterea vel amicum in bona causâ, vel veritatem deſeram: præſertim, cum uno contemptu liceat famam benè ſibi conſciam ab improbis convitijs tueri.

Cæterùm opuſculum meum excutienti mihi plurima vel antehac non ſatis cognita vel negligentius tradita occurrerunt: itaque novis acceſſionibus pene novum opus edolandum fuit. Et vero crevit illud ſub manu in eam magnitudinem, quam animo non conceperam, fateor, aut ſperaveram. Ita urceolum inſtituenti ferè amphora exiit. Proindeque vereor, ne quæ hoc nomine calumniæ ſuſtinendæ ſint. Auſim tamen veniam mihi ab intelligentibus & æquis lectoribus promittere, quoniam de alieno nihil molis adjeci, uno meo argumento contentus; nec licuit hiſtoriam legum, à gentis noſtræ primâ memoriâ deductam, breviore fortaſſis gyro conſtringere. Enimverò non ultima tantùm perſequi viſum: ſed ab ovo quaſi deducere tam nobilis rei ſeriem, operæ pretium judicavi. Scilicet leges, etiam forenſes, dimidium animæ, ut ita dixerim, civitatibus præſtant: nec reipubl.

 naturam

naturam integre perſpexeris niſi per omne ejus ſatum animo diffuſo: adeoque nec Germaniæ noſtræ rempublicam plenè liceat exponere, (quod mihi aliquando conſilium fuit) niſi legum noſtrarum originem, ſtatum, progreſſum per omnia tempora fueris perſequutus. Eſt autem apprimè etiam utile ſcitu, quibus moribus, legibus, atque inſtitutis res Germanica vel floruerit olim vel in diſcrimen devenerit. Quanquam enim ego leges cum legibus, inſtituta cum inſtitutis, mores cum moribus, non contenderim, imò à commodis atque incommodis eorum omnium indicandis conſultò abſtinuerim, quod mihi quidem nimis id arduum viſum ſit; non dubito tamen, eos quibus & major eſt cum juris tum gerendæ reipublicæ prudentia, otiumque, mihi nunc negatum, ſuppetit in res omnes Imperij noſtri accuratius animadvertendi, haut difficulter bona malaque Germanicarum legum magno cum fructu ſuo percepturos. Et tamen etiam hanc rem, ſpero, ſaltem adjuvare poſſe meum hunc commentarium: quum utique non liceat decernere, quænam leges omni tempore expedierint Germaniæ, niſi ante noveris quænam ſemper obtinuerint. Poſterius autem, niſi vehementer fallor, luculente exponit ille remotis fabulis; quæ omnem prope veri ſenſum vulgò hactenus eripuerunt. Enimvero in hoc argumento mihi cum fabulis, pene ut cum hydra Herculi, fuit perpetuò colluctandum. Nec tamen ipſemet ego veritatem fortaſſe ſemper ſum aſſequutus: adeò omnibus impeditis, nec à quoquam alio ante me viâ iſthac calcatâ. Quamtumvis autem fortè & à me nonnulla ſint commiſſa, plurima omiſſa; haud dubito tamen Juris Germanici noſtri, totiuſque adeo reipubl. penitus cognoſcendæ, facem ſat illuſtrem à me accenſam eſſe. Si & in eo fallor opinione, ſaltim alibrum qui & me doctiores ſunt & in rebus noſtris exercitatiores; quibuſque hoc agendi

gendi facultas major eſt, operam ſtudiumque ad inveſtigandum verum hoc meo labore excitatum iri, confido. Qui ſi erroribus meis caſtigandis ita fuerint deditī, ut voluntatem ipſam benè de publico merendi haud infeſto animo perſequantur, optimè mecum agi exiſtimabo. Si ne hoc quidem impetravero ab omnibus, contentus ero integrâ boni ſtudij conſcientiâ & paucorum æquitate. Verùm non eſt fortaſſis cur aliorum cenſuras pertimeſcam, ſi librum meum vobis, *Magnifici Nobiliſſimi Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri*, approbavero. Ea enim eſtis & juris omnis & Imperij Germanici peritia, eaque judicij acrimonia, ut verum à falſo heic diſtinguere nemo vobis queat rectiùs. Unum tamen vereor, ne quæ cum omnibus penè jam multos annos mihi amicitia intercedit, atque illa qua me ſemper complexi eſtis benevolentia, deflectat nonnihil judicij aciem in partes mitiores. Ut enim odium, ita nec amor ſuam judicio libertatem relinquit. Quanquam verò mihi hoc vehementer ſit metuendum, quum tamen alios noverim nullos qui exactiore trutinâ ponderare hæc poſſint, liceat à vobis contendere, ut ſepoſito nonnihil amore, in ea quæ à me diſputata heic ſunt, iſthac qua valetis mentis acie, animadvertatis. Sane vobis maximè omnem hunc commentarium offero. A quibus ſi probabitur, poterit etiam fortaſſis ille ad poſteritatem eſſe meæ erga vos obſervantiæ qualecunque monumentum. Valete, viri optimi, in reipublicæ noſtræ commodum maximum. Helmeſtadio ex Acad. Julia Kalend. Martijs Anno CIↃ IↃ C XLIII.

XV. Pra-

XV.

Præfixa libro de Germanorum Imperio Romano, publicato Helmeſtadii Anno 1643.

Sereniſſimo Celſiſſimoque Principi ac Domino D. AUGUSTO Duci Brunſvicenſ. & Lyneburgenſium, Principi & Domino meo clementiſſimo.

OFfero Celſit. Tuæ, Sereniſſime Princeps, librum mole quidem exiguum at argumenti neutiquam proletarij. Agit quippe de illo nomine illiſque juribus Germaniæ noſtræ, quibus maximè illa jam aliquot ſeculis præ alijs Europæ rebuſpubl. fuit conſpicua & illuſtris: licet eorum ratio obſcurior ſit & erroribus vulgi obnoxia. Neque verò, ut nomina illa in vulgus ſunt cognita, ita perinde etiam quid ſibi velint omnibus notum eſt: ſed multùm id hodie quidem videtur obſcurum, exortis paſſim ſententijs: quæ Germanicæ libertati ac dignitati queant aliquando per eſſe noxiæ, imò jam tum haud leve dederunt detrimentum. Enimvero ex quo perſpicere hæc penitius aliquanto incepi, optavi identidem ut quis, tenebris omnibus diſcuſſis, ſolem veritatis etiam hîc ſpectandum iterum exhiberet. Verùm dum aliorum operam circumſpicio & deſidero, ipſemet ego, neſcio quî, adigor invitus ad ſuſcipiendum laborem illum, ut à vitæ genere ita ab animo alienum. Neque enim declinare licuit hoc negotium, neque non invitus potui id agere quod ab artis medicæ ſtudiis, quibus me & vitæ ratio & munus Academicum adſtringit, toto penè, quod ajunt, cœlo remotum eſt. Fateor tamen, minùs me neceſſitatis legi obluctatum eſſe; quod exiſtimaverim, horas illas ſucciſivas, quas hoc proximo tempore huic rei impendere debui, non malè

malè me collocaturum; quoniam quicquid hoc eſt libelli poſſit aliquando nimis, (heu!) afflictæ Germaniæ non inutile eſſe, vel ſaltem alios ad illuſtrandam veritatem incitare. Namque & noſtris hominibus arbitror ſuccurrendum, ne nominis illius Imperij Romani, quo nunc paſſim audit Germania, ancipite ſenſu decepti, ſequius de majeſtate patriæ ſuæ ſuſpicentur: & Romanorum Pontificum inſolentiam retundendam, qui ut poſſeſſionem urbis Romæ ita & jura omnia poſſidendi populo Germaniæ eripere allaborant. Quamquam enim ea ſit hodie Germaniæ miſeria, ut vix ſeſe domi ſuæ tueatur, imò tota ferè abeat in ſolitudinem, tantum abeſt ut de recuperandis alibi amiſſis poſſit hodiè cogitare: etiam tamen nunc operæ eſt pretium, illa vetera animo repetere, ne paulatim per hæc mala illorum memoria oblitteretur; fortaſſis etiam brevi ærumnis hiſce finem dabit clementiſſimum numen, & ad priſcam gloriam Germania reſurget. Quemcunque verò tandem uſum adferre hic meus labor poſſit, Tuæ illum Celſitudini, Sereniſſime Princeps, dedico conſecroque: non quod dignus ſit qui in tam illuſtrem conſpectum prodeat, ſed quod propter argumenti indolem haud alij quàm magno alicui Germaniæ Principi, quique non ſtudeat tantùm dignitati priſtinæ Imperij, ſed & jura ejus calleat, videatur offerendus. Et verò Celſitudinem Tuam dignitate inter primos eſſe Germaniæ Principes, ſtudio autem publici boni ut & eruditione ac prudentiâ nulli eorum ſecundum, nemo eſt qui ignoret. Ego ſanè nullus dubito, neminem Germaniæ Principum accuratiore cenſurâ, quæ à me dicta ſunt, poſſe dijudicare. Sed veritus haud parum quoque fui, ne, cum mei ordinis omnes dominis ac nutritijs noſtris potiſſimum noſtra debeamus, dum exſpecto donec grande aliquod opus, Celſitudine Tuâ non indignum, ex Artis meæ ſacrarijs depromam, nimis longa mora ſuſpe-

ctum me faciat neglecti officij. Sed & audaciorem fecit me illa benignitas, quâ non tam id quod offertur quàm offerentis animum ſoles ſpectare. Meum verò, in Celſitudinis Tuæ cultu, poſſum equidem nullo alio inferiorem polliceri. Deum veneror, Sereniſſime Princeps, ut quàm feliciter recuperatâ regiâ Tuâ Lycopoli annus hic Celſitudini Tuæ defluxit, ita proximus toti Germaniæ vel ſaltem hiſce terris integram ſuam reddat tranquillitatem. Ex Academiâ Julia x. Cal. Jan. Anno CIↃ IↃ C XLIII.

XVI.

Præmiſſa libro de Germanorum Imperio Romano.

BENEVOLO LECTORI

S. P.

Quem nunc edo libellum, benevole lector, ad eum conſcribendum invitum me & præter animi ſententiam compulſum eſſe, non diſſimulabo. Artis enim medicæ negotijs occupato mihi parum profectò ſupereſt temporis adeo diverſa ut curem. Sed & ea eſt hodie Germaniæ miſeria, ut de illius priſcis inſtitutis ac juribus cogitare (quod, fateor, ſummam aliquando voluptatem mihi attulit,) non poſſim ſine ingenti animi mœrore. Hic autem affectus cum & aliàs perpetuò ferè quemvis bonum Germaniæ civem affligat, refugit profectò mens omne illud, quo ſibi duplicatum iri dolorem præſentit. Cæterùm ex ſententia vivere non licuit mihi hoc tempore, & otio tantum medico frui, per injuriam inſignem; quæ tamen neſcio vel quo auctore vel ubi illata ſit. Biennium ſcilicet eſt & quod excurrit, quum nobiliſſimus adoleſcens quidam libellũ theſium de Imperatore Romano-Germanico Academiæ hujus examini ſubmitteret, me præſide, ut loquuntur, defendendum. Profeſſus ille apertè

erat ſemetipſum autorem ſcripti, nonnulla tantum meis diſſertationibus deberi, reliqua aliunde eſſe deſumpta. Adjecerat corollaria, partim ad dignitatem Germaniæ facientia, partim ſapientia philoſophiam. Nihilo tamen minus inventus eſt ſuperiore anno qui libellum iſtum meo nomine evulgaret, titulo præſcripto perquam inſolente, *Diſcurſus novi de Imperatore*; credo quo pelliceret emptorem, quove hedera ſuſpenderetur vino aliàs minus vendibili. Utq; lateret fucus, & ſuum & loci ſui nomen diſſimulavit typographus, corollarijs alijſque præfectis. Id ſcriptum cum ante hos ſex menſes in manus meas incideret, obſtupui ſanè eo rediiſſe mores, ut quis tantum facinus fuerit auſus me vivo. Maximè dolui, quòd ſuum locique ſui nomen ſubticente typographo, libellus raram adeo præ ſe ferens frontem, hac tempeſtate ſequiorem facilè ſuſpicionem movere, & notam famæ meæ poſſit inurere. Graviter profectò momordit me hæc injuria; præſertim quum exemplo fortè careat, nec pro merito queat vindicari. Neque verò ego aliud reſtituendæ in integrum exiſtimationi meæ (ullam enim læſam crudo iſto ac ſuppoſititio fœtu non poſſum non credere) remedium potui excogitare, quàm ſi ipſemet argumentum illud ſumerem pertractandum. Ita ego coactus ſum horas, quas proximis hiſce ſeptimanis potui ordinario labori ſuffurari, alienis illis ſtudijs impendere. Neceſſitati igitur obſecundans hunc libellum conſcripſi: ſimulque ut adoleſcentiæ ſcholaſticæ, cui ſanos de republica etiam noſtra ſenſus à teneris inſtillare hercules oportet, eò rectius inſervirem, per partes bis produxi in palæſtram Academicam. Utinam verò tibi, lector, adeò accepta fuerit libri lectio, atque mihi moleſta fuit ejus ſcriptio. Certè, ſi quid hinc utilitatis ſperes aliquando in Germaniam noſtram redundaturum, & minus me pœnitebit hujus operæ, & injuriam illam æquiore animo tolerabo. Vale Lector & Fave.

XVII.

Præmiſſa libro de Germanicorum corporum habitu antiquo & novo, Helmeſtadij anno 1645 & 52.

Illuſtriſſimo Comiti ac Domino ULRICO Comiti ac Domino Friſiæ Orientalis, Domino Eſenæ Stedeſdorpij & Witmundæ.

S. P. D.

NEſcio pene quo ſit Genio factum, ſi ita loqui fas eſt, *Illuſtriſſime Comes*, ut cum aliarum gentium omnium veterum recentiorumque hiſtoria multum me ſemper delectaverit, nulla tamen affecerit perinde, atque memoria eorum quæ in Germania aut Germanicis populis omni tempore contigerunt. Neque enim hæc noſtra alijs illis omnibus præferenda exiſtimo: cum nonnullis Germanorum facta ne contendere quidem auſim: monumenta etiam plæraque noſtra ſordes & quiſquilias dixerim præ illis, quibus Romanorum Græcorumque res ſunt comprehenſæ; & tamen ſingulari me voluptate noſtra iſthæc potius ad ſe pertraxere volvenda pernoſcendaque. Ea ſane occulta ratione identidem hodieque adigor, ut quas horas à negotiis ſtudiiſque ſeverioribus vacuas nanciſcor, quales tamen oppido raræ mihi obtingunt, rerum noſtrarum ſtatui & fortunæ inveſtigandæ magna animi delectatione impendam. Neque enim ſufficere arbitror, in ijs quæ à ſcriptoribus noſtris ſunt annotata, acquieſcere, ſed in cauſſis quoque rationibuſque eorum quos illi memorant eventuum inquirendis, (quod illi aut non ſatis intellexerunt, aut habuerunt inſuper) præcipuam curam cenſeo mihi collocandam. Eapropter certe permotus quoque ſum, ut corporum Germanicorum habitum, & qualis ille eſt ab antiquis memoratus, & qualis

nunc

nunc ſupereſt, diligentius non tantum annotarim, ſed & quid utramque illam conditionem effecerit, ſumpſerim exponendum. Fuit autem hoc quidem eo jucundius, quo ſpeculatio iſthæc in intimiora naturalis philoſophiæ & medicæ artis, queis præcipue vitam addixi, pęnetralia me quaſi manu duxit. Non tamen vel haſce meditationes meas publicare facile inſtituiſſem, niſi mihi perſuaderem, fore ut ex earum lectione nonnihil utilitatis in commune ſit redundaturum. Enimvero, niſi admodum fallor, luculente à me, & quidem domeſtico noſtro perilluſtri exemplo eſt oſtenſum, quantum in omnem partem ad corporà mutanda victus valeat & ratio vivendi: cumprimis vero naturæ congruentisſimam eſſe ſimplicem illam, quæque hodie ruſtica cenſetur & barbara vita: hac conſervari ſanitatem, hac vires ali, hac formæ decus parari; ex adverſo ſumptuoſi illius & luxurioſi victus elegantiam hominum potius opinione quam veritate conſtare, quin & vires & ſtaturam eo corripi, nec niſi morborum aliquod ſeminarium & amplisſimam ſegetem hinc præberi medicinæ, nihil tamen vel parum proficientis in corruptela illa perpetua. Plena ſunt doctrinæ hujus cum aliorum tum medicorum ſcripta: & præter nos alij etiam vicini populi (ut veteres nunc taceam) idem nobiſcum ex ſimili vita corporum ſuorum detrimentum patiuntur; fortaſſis tamen noſtros proprium potius gentis damnum in meliorem ſententiam perduxerit, quam vel tot præcepta, vel mala aliorum. Nec tamen ego vel ſperare auſim, perſuaderi omnibus noſtris poſſe, ut ſuam hanc, elegantem ſcilicet vitam, cum ſimplice majorum commutent: nec id quo obtinerem hæc diſſerui. Adeo enim rediiſſe mores dudum intelligo, ut plærique nec vitia nec vitiorum remedia toleremus. Ne maximis quidem propoſitis pœnis aut præmijs Cæſar ipſe Principeſq; vel Germanicum vulgus, cui quidem aliquid in

bonis ſupereſt, illuc adegerint; ut quod malit non vivere quam non luxurioſe vivere. Saltim aliquos tamen & bonos & intelligentes frugi fore majus damnum veritos exiſtimo. Si & illa ſpes decollet, & boni viri & boni medici officio tamen functus ſum: qui ſtuduerim pro virili recte monendo antevertere morbos, & corpora ad pacis & belli artes idonea præparare: de reliquo bonum factum ratus, ſi pro conditione temporum & morum fecerim medicinam, quamvis non laudatam, carentem tamen mea culpa. Enimvero non in medicorum ſed aliorum potius uſum totum hocà me ſcriptum eſt: eoque & orationem adhibui auribus populi magis quam ſcholæ attemperatam, & in ſolemni Academiæ panegyri, quum ante hos octo menſes magiſtratus mihi crederetur, priorem partem coram juventute noſtra virtutis & ſapientiæ ſtudiis conſecrata recitavi, reliqua jam tum eodem loco additurus, ſi ſtato tempore abire provincia licuiſſet. In tuum vero nomen, *Illuſtriſſime Comes*, quicquid hoc eſt edo: tantum ut leve aliquod ad poſteritatem exſtet mei erga eum, quem naſcendi lex Principem mihi dedit, devoti animi monumentum. Etſi enim puer annis abhinc viginti quatuor amplius ſtudiorum gratia huc miſſus, ex eo numquam pene non extra patriam vixerim, quin ex Batavia præter ſpem huc revocatus, jam tredecim annos, munere profeſſorio ſuſcepto, Lares heic fixerim, adeoque poſſim à natali ſolo fere alienus videri; non tamen vel patriæ amor, vel Principis mei nativi cultus, tanta temporum locorumque intercapedine quidquam eſt in me deminutus, ut non jure cum quovis aliorum, qui magnis à patria bonis præ me ſunt ornati, pia mentis gratitudine etiamnum queam contendere. Nec vero in nullo beneficio colloco, quod terra iſthæc maternam familiam ab omni memoria aluerit, jam à centum amplius annis avum paternum.

Drentia ac Tranſiſalania civili bello pulſum benigne exceperit, patri (cujus grandævi ſenis ante hoſce quatuor menſes pie defuncti mortem nunc lugeo) non ſolum naſcenti primam auram ſed etiam ultra nonaginta vitæ annos cum domicilium tum dignitatem publicam conceſſerit, cognationem denique meam pene omnem hodieque vel mortuam teneat, vel vivam ſinu ſuo quaſi foveat. Omnes certe, *Illuſtriſſime Comes*, Tibi inprimis tuiſque conſilijs debemus, quod ſic ſatis feliciter & tranquille vitam degere licuerit. Quæ cuncta niſi mente grata recolam, impius equidem fuero. Vale *Illuſtriſſ. Comes* in plurimos annos patriæ bono: & ſi hoc addere fas eſt, me utut peregrino loco poſitum inter cives tuos numerare ne deſine. Helmeſtadij in Academiâ Juliâ II Kalend. Mart. CIϽ IϽC XLV.

XIIX.

Præmiſſa libro de Calido innato ſive Igne animali, edito Helmeſtadij anno 1647.

MARCO AURELIO SEVERINO Philoſopho ac Medico celeberrimo, & in regio gymnaſio Neapolitano Anatomes & Chirurgiæ Profeſſori.

QUantum ad amicitiam parandam ingeniorum valeat & ſtudiorum ſimilitudo, clariſſime Severine, ſi non abunde jam aliàs nobis conſtaret, doceremur profectò ſolo ipſomet exemplo noſtro. Natus tu es in extremis magnæ Græciæ oris ad Crathidem amnem, vetere Thuriorum coloniâ; ego in ultimo Oceani littore Friſico propè Amaſum. Nec tu Italiâ, nec ego Germaniâ pedem extulimus: tantùm abeſt ut alter alterum coràm viderit. Simulac tamen aureum opus tuum de reconditâ abſceſſuum naturâ legere datum fuit,

mirum quàm in amorem & cultum tui exarſerim. Te viciſſim non multo pòſt meorum de Fermentatione & Sanguine librorum ſtrenuum laudatorem nactus ſum: quo tempore nullæ tamen adhuc inter nos literæ commeabant. Ubi hunc mutuum affectum utrique ſignificaſſet communis amicus noſter Guilhelmus Schefferus vir clariſſimus, illico arctiſſima coiit animorum neceſſitudo. Ego ſanè non tantum nihil in te potui ex eo deſiderare eorum quæ amici ſolent, ſed etiam muneribus amicitiæ prope ſum victus. Neque enim prædicare ſatis poſſunt Bodij fratres, lectiſſimum ſanè & præſtantiſſimum par juvenum, benevolentiam quâ illos peregrè adventantes, tantùm quod à me laudati venirent, excepiſti. Adhoc multùm laboraſti, in doctiſſimorum hominum cùm aliorum tùm præcipuè Petri Caſtelli Philoſophi & Medici Meſſanenſis excellentiſſimi, & de republ. literariâ optimè meriti ſcriptoris, amicitia mihi comparandâ. Quo nomine profectò plurimum tibi debeo; ut qui virtutis & doctrinæ laude præſtantium hominum amorem in maximo fortunæ beneficio collocem. Acceſſit in cumulum opuſculi elegantiſſimi in nomen meum editio; cum ob honorem mihi habitum grata, tum gratiſſima quod volueris eo ipſo Caſtellum τὸν πάνυ perpetuo mihi vinculo conjungere. Enimvero Severine, vox illa Friſiorum in Pompeji theatro Neronis ævo audita, *nullos mortalium fide ante Germanos eſſe*, quantum ſperaverim hodieque vera eſt, ego certè haud patiar temerè amicitiæ me officijs ſuperari; non queo tamen diffiteri in ære me tuo eſſe poſitum. Ne dubites autem bona fide expunctum iri quod contractum eſt nominis, hunc vadem tibi publicum ſiſto, meum de Calido Innato fœtum. Quamvis enim haud dubitem meliore illum apud te loco fore, quâ tu es benignitate & ergà me affectu; tamen ego duntaxat cupio nunc, haberi illum amoris mei fidejuſſorem.

Utinam

Utinam verò ita etiam ille ſit ornatus, ut ſine rubore in conſpectum tuum poſſit prodire! Quæ etenim à te proficiſcuntur omnia, in admirationem quemvis rapiunt, & non chirurgicæ tantùm artis te facile principem probant, ſed omni etiam philoſophiâ medicinaque excultiſſimum: mea autem ſuæ ſibi ſunt tenuitatis conſcia, eòque limatiſſimum judicium tuum meritò reformidant. Ne quid tamen diffitear, multum in benevolentia tua ſpei mihi poſitum eſt: ut aliorum potius debeam linguam ac nares extimeſcere, quibuſcum nullum mihi ejuſmodi vinculum intercedit. Et ſanè rem omnium quidem ore pervulgatam, ſcrupuloſam tamen atque oppidò impeditam aggreſſus, more minimè pervulgato ita tractavi, & contra receptas opiniones eâ diſputavi libertate, ut in varias cenſuras non poſſim non incurrere. Neque verò quod Ariſtotelem ducem ſequar, aut quod in illa de ignea calidi animalis natura jam à viginti annis (nam & adoleſcens id defendi) nihil ipſe erroris deprehenderim, benigna omnium judicia auſim mihi polliceri. Sordet enim multis ipſum Ariſtotelis nomen: imò quoniam ab illo eſt jam contemnitur, ijs præſertim qui Galeni in verba quaſi juraverunt. Verùm hoc quidem genus hominum non ejus eſt notæ ut ab illorum judicijs pendeas: alij ſivè docti & rerum gnari ſive indocti quid ſint exiſtimaturi experiundum eſt. Si operæ feci pretium aſſecuta veritate, ponam in lucro: ſin minus, ſaltim tibi, optime ſenex, amicum animum probavero. Vale decus patriæ tuæ & Conringio favere perge. Helmeſtadij Saxonum, ex Academia Juliâ Ducum Brunſvico-Lüneburgenſium, quorum Sereniſſima familia ante hos ducentos ſexaginta amplius annos regno Neapolitano & Tarentinæ provinciæ tuæ dedit Ottonem regem & principem fortiſſimum, Joannæ Calabricæ maritum. CIƆ IƆ C XLVII. x. Kal. April.

HUnc ego, in abſtruſis latebris multâ arte Prometheus
Et denſis ſeptum tenebris quem clauſerat IGNEM,
Mille petitum oculis, tua tantùm ſigna ſecutus,
Magne Stagirites, produxi in luminis auras.
Accipe nil quicquam veritus, doctiſſime Marce,
Prende manu intrepida. molli illum Pallas olivo
Nutriit, & tenero formavit pollice Phœbus:
Aſpera dum diros tibi morbos flamma cremavit,
Atq; Machaonio graſſata eſt dextera ferro.
Fallor? an hunc etiam, te laudatore, fovebit
Parthenope, divûm genetrix, opulenta virûm vi?
Hunc etiam ſerò dicent; Campania felix,
Et Crathis & Sybaris, Veſuviq; incendia montis,
Meſſanæq; dabunt anguſti clauſtra Pelori?
Salve Grajugenum quondam nutricula tellus.
Salvete ô docti manes; Acheruſia ſeu vos
Lympha tenet, calidam ſeu conceſſiſtis in Ætnam.
Non ego purpureas violas, non lilia porto:
Gratum opus hoc, fateor, ſolis ſed mollibus umbris.
Chartaceum doctis donum fero: qualé ſed inter
Ærumnas, dum tota perit Germania bello,
Friſia ab Oceani extremâ ſubmittit arenâ.
In grandi tenuis fuit hic labor. Optima rerum,
O utinam, niveâ rurſum circumdata pallâ
Pax redeat! Pietaſq; ſuis comitata miniſtris,
Qualis erat primo fluerent cum ſecla metallo,
Inviſas repetens terras, ſua munera reddat!

Tunc ego, Palladiâ frontem redimitus olivâ,
Fortè manu graviore feram, Samiaſq́ Locraſq́
Atq Agrigentinas olim quod mulceat umbras.

XIX.

Præfixa Leonis III Papæ Epiſtolis ad Carolum Magnum, editis Helmeſtadij anno 1647.

Viro Generoſo FRIDERICO Schenck à Winterſtedt/ Sereniſſimi Ducis Brunſvic. & Lyneburgenſis CHR. LUDOVICI Produci & ſummo Conſiliario, Satrapæ in Borchtorff ac hæreditario in Schwachhauſen &c.

S. P. D.

NUnquam bene adeo comparatum quidem fuit, ut in Eccleſiæ clero deeſſent, qui vel dignitate ſua vel oblatis piorum bonis abuſi, nonnihil interdum inſoleſcerent: tria tamen Eccleſiæ prima ſecula ſanctè fluxiſſe merito dixeris. Intra modicum enim ſtabant tum oblationes: nec unius Epiſcopi erat omnium adminiſtratio, ſed in partem curæ apud ſingulas eccleſias presbyteri veniebant: nec populo nullus locus erat in ferendis legibus, in electione cleri, in judicijs eccleſiaſticis: eoque multum ſane tum aberat ut Epiſcopi eccleſiis ſuis μοναρχικῶς dominarentur. Accedebat numquam pene non imminens Chriſtianorum capitibus commune periculum, à potentiſſimis perſecutoribus & quidem Cæſaribus ipſis; quo non poterat non coërceri quicquid vitiorum lætius alioquin adoleviſſet, præſertim quod Epiſcopi ipſi præ alijs, ut cœtuum capita, ad ſupplicium traherentur. *Poſtquam Eccleſia ad Chriſtianos principes venit*, (verba

ſunt S. Hieronymi in vita Malchi) *potentia quidem & divitiis major ſed virtutibus minor facta eſt.* Nimirum non tantum ſecuritas ex eo tempore conceſſa, ſed & immunitatibus multis evectus eſt clerus magis magiſque, in ſacrum uſum præcipue collata ſunt ampliſſima & longe pinguiſſima patrimonia. Quam inſolentem liberalitatem neſcio num uni pietati fas ſit referre acceptam: ſuperſtitionis nonnihil fuiſſe admiſtum, alios vitæ ſuæ quantumvis vitijs immerſæ per donaria iſthæc cœleſtem veniam exſpectaſſe, manifeſtius videtur quam ut egeat res probatione. Exceperunt autem paſſim hanc potentiam & has divitias ea quæ ſolent ſubſequi res ſecundas: in clero omni videlicet (penes hos enim bonorum ſemper adminiſtratio fuit) luxus, ambitio, & divini muneris ſui negligentia. Quam maxime tamen Epiſcopos vitijs hiſce contaminatos dixeris, & quidem eo magis, quo præ reliquis majore fuerunt in dignitate atque exiſtimatione. Ne enim alia nunc tangam; id operam videntur multi dediſſe, ut translata in ſolos ſeſe omnium Eccleſiæ opum poteſtate, haberent unde & ipſi viverent lautiſſime & cognati ac familiares diteſcerent. Quo nihil ab Apoſtolorum exemplo alienius eſt: ut qui in id diaconos inſtituerint, quo omni iſthac cura ſoluti liberius ipſi munere docendi defungerentur. Vereor tamen ne Epiſcopos ſuos ſuſpectos jam tum hoc nomine habuerint illi, qui notantur concilij Gangrenſis canone VII: quod oblationes ſuas non per Epiſcopos fecerint diſtribui. Certum eſt, haut multo poſt, malos mores quorundam orientalis diœceſeos Epiſcoporum, graviſſimum illum canonem Antiocheni concilij ultimum expreſſiſſe, quem in occidentalis Eccleſiæ uſum ita vertit Dionyſius Exiguus: *Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ad diſpenſandum erga omnes qui indigent, cum ſumma reverentia & timore Dei. Participet autem & ipſe quibus indiget: ſi ta-*

ſi tamen indiget: tam ſuis, quam fratrum, qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occaſione fraudentur. Juxta ſanctum apoſtolum ſic dicentem: habentes victum & tegumentum, his contenti ſumus. Quod ſi contentus iſtis minime fuerit, convertat autem res eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos, & ejus commoda vel agrorum fructus non cum presbyterorum conſcientia diaconorumq; pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis aut propinquis aut fratribus filiiſq; committat, ut per hujuſmodi perſonas occulte ceteræ lædantur eccleſiæ; ſynodo provinciæ pœnas iſte perſolvat. Si autem & aliter accuſetur epiſcopus, aut presbyteri qui cum ipſo ſunt: quod ea quæ pertinent ad eccleſiam, vel ex agris vel ex alia qualibet eccleſiaſtica facultate ſibimet uſurpent, ita ut ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi vero & blaſphemiis tam ſermo prædicationis, quam hi qui diſpenſant taliter exponantur; & hos oportet corrigi ſancta ſynodo id quod condecet approbante. Quamvis vero Patres illi hoc ita ſanxiſſent, Epiſcopos tamen aliquos non tantum clam presbyteris ſuis & diaconis, ſed & abſque omni œconomo, contra quam vulgo ſolere vel ex canone laudato Gangrenſis ſynodi planum eſt, bona Eccleſiæ adminiſtraſſe, indicat canon Chalcedonenſis œcumenici concilij XXVI: *Quoniam in quibuſdam eccleſiis, ut rumore comperimus, citra œconomos epiſcopi facultates eccleſiaſticas tractant: placuit omnem eccleſiam habentem epiſcopum, habere œconomum de clero proprio, qui diſpenſet res eccleſiaſticas ſecundum ſententiam epiſcopi proprii, ita ut eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimonium non ſit, & ex hoc diſpergantur eccleſiaſticæ facultates, & ſacerdotio maledictionis derogatio procuretur. Quod ſi hoc minime fecerit, divinis conſtitutionibus ſubjaceat.* Nec tamen vel hoc fuerunt contenti illi, qui *propter turpia lucra conductores alienarum poſſeſſionum ſunt facti; & ſecularia negocia ſub cura ſua ſuſceperunt, Dei quidem miniſterium parvipendentes ſecularium vero diſcurrentes*

rentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum ſollicitudines ſumentes: eoque permoverunt eoſdem Chalcedonenſes Patres, ut canone III omnem ſecularis negotij curam Epiſcopis & clero ſevere interdixerint. Eadem ſane de cauſſa conditus eſt circa hæc tempora & canon, Apoſtolorum qui dicitur, VII: *Epiſcopus aut presbyter aut diaconus nequaquam ſeculares curas adſumat; ſin aliter, dejiciatur.* Nec alteri fini repetitum deinceps illud canone XXCI: *Diximus quod non oporteat Epiſcopum aut presbyterum publicis ſe adminiſtrationibus immiſcere, ſed vacare & commodum ſe exhibere uſibus Eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire juxta dominicum præceptum.* Adeo varios, adeo ſeveros canones merebantur jam illa ætate Epiſcopi, nec tamen effluxerat ſeculum Chriſtianum ſextum.

Haud dubie tanto in numero nuſquam terrarum defuere, qui officij memores avaritiam & faſtum ſanctiſſimo Eccleſiæ ſtudio poſthabuerunt; ejuſmodi enim omnino cum alios tum illos piiſſimarum legum conditores fuiſſe ecquis negaverit? Vereor tamen ut major pars vel tum fuerit extra hanc culpam. Non fuit ſane, ſi credimus ijs quæ Gregorius Nazianzenus, Severus Sulpitius, & poſt alios multos Salvianus quatuor libris de Eccleſia conqueſtus eſt. Non fuiſſe, indicio ipſe fuit populus. *Præter pauciſſimos quoſdam* (dixit idem Salvianus *l. 3. de gubern.*) *qui mala fugiunt, quid eſt aliud omnis cœtus Chriſtianorum quam ſentina vitiorum?* Adeo verum ſcilicet eſt illud Severi Sulpitij: *auro non ſtrui Eccleſiam ſed deſtrui.* Neque vero aliunde morum illam in Epiſcopis à prima pietate mutationem licet arceſſere. Intimius ſane omnia perſpicientibus apparet haud difficulter, nuſquam licentius graſſata eſſe vitia quam ubi auri vis prævaluit. Valuit autem quam maxime procul dubio in opulen-

opulentiſſimis urbium : quales tum fuere Roma vetus pari-
ter ac nova, Alexandria porro & Antiochia. Enimvero
luxum illum prius Romæ quam in provincijs cæpiſſe, vel ex
Ammiano Marcellino intelligere eſt. Ubi enim ille de Da-
maſi & Urſicini funeſtis certaminibus pudenda nonnulla
diſſeruiſſet, hæc ſubjungit: *Neque ego abnuo, oſtentationem*
rerum conſiderans Urbanarum, hujus rei cupidos ob impetran-
dum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere:
cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus ma-
tronarum, procedantque vehiculis conſidentes, circumſpecte veſti-
ti, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia regales ſupe-
rent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine
urbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſti-
tum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi
bibendique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia
humi ſpectantia, perpetuo numini veriſque ejus cultoribus ut puros
commendant & verecundos. Non minorem vero tum luxum
obtinuiſſe Conſtantinopoli, ſatis indicat Gregorius Nazian-
zenus, illa oratione qua dimiſſionem petit illius urbis tum
archiepiſcopus. Exprobratum enim ſibi conqueritur,
quod nec menſa lauta & opipara nec veſte magnifica ſit uſus, nec
ſplendide in publicum prodierit, nec ad eos à quibus conveniebatur
gravitatem & faſtum adhibuerit. Mitto de alijs ſimilia adfer-
re. Nec enim vel dominandi libidinem ſpecioſo creſcentem
prætextu nunc tangam, qua tamen ipſe Cœleſtinus Papa me-
ruit olim ab Africanis Patribus audire: *nolite concedere, ne fu-*
moſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis
& humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur
inducere: qua item Antiochenus Patriarcha effecit, ut Oe-
cumenicum Epheſinum concilium monuerit, cavendum:
ne ſanctorum patrum canones prætereantur, neque ſub ſpecie
adminiſtrationis rerum ſacrarum potentiæ ſecularis typhus irre-
pat,

pat, ſenſimq́ imprudentes libertatem eam amittamus, quam nobis proprio ſanguine dominus noſter Jeſus Chriſtus, omnium hominum liberator, largitus eſt. Hæc inquam & alia nunc haud attingam, ceu ab inſtituto aliena. Cæterum quo tempore Gregorius & Ammianus iſthæc ſcribebant, currebat adhuc ſeculum quartum. Poſthæc vero in provincias quoque ſerpſiſſe tanti exempli vitia, luxum ajo & avaritiam, non eſt quod miremur. Nec vero diſſimulavit Deus populi ſui gravia iſthæc peccata: eoque tanquam in vindictam, ex Germaniæ & Scythiæ remotiſſimis quibuſque angulis evocata numeroſa variarum gentium multitudine, quaſi diluvio florentiſſimas occidentalis Imperij Romani terras fecit inundari, & tantum non in ſolitudinem redigi. Alibi juſto itidem judicio divino, non tantum per Mahumetem nova & ſeculi illius moribus ſic ſatis attemperata religio inventa, ſed eadem inuſitatâ armorum felicitate brevi ita propagata eſt, ut plurimis locis Eccleſiæ vix aliquod veſtigium tandem manſerit reliquum. In Occidente ſane hoc ipſo Eccleſiarum reditus ita ſunt attenuati, ut Epiſcopis plæriſque non tantum inſtrumenta luxuriæ perierint, verum longo tempore multum etiam defuerit ad neceſſarios maxime uſus.

Cum Romano Papa mitius videtur actum. Quantum enim ex Gregorij Magni epiſtolis colligere eſt, ſatis amplum illi ſemper ſuperfuit patrimonium per Italiam, Siciliam, Africam, Galliam, Sardiniam, alibi: utut hi proventus fuerint fortaſſis infra cenſum veterum oblationum. Qualis etiam illorum qui Gregorium ſunt ſecuti vita memoratur, nihil illi omiſerunt quod ad augendas divitias & potentiam ampliandam potuit data quavis occaſione proficere. Nihil ſane a vitijs illis Deo uſque adeo inviſis mutavere. Octavo ſeculo etiam id quod numquam antea tentaverant, quove nihil eſt ab Eccleſiaſtica functione alienius, moliri cæperunt. Id ſcilicet operam

dedere,

dedere, quo jure omni Cæſarum ſoluti, bonæ etiam parti Italiæ regia poteſtate dominarentur. Quod profecto ipſis ex voto ſic ſatis evenit, ubi populari odio objectis primum Cæſaribus adeoque legitimis dominis ſuis, mox & Langobardorum regibus, ex adverſo Pipini & Caroli, validum profecto robur, in cupiditatis ſuæ miniſterium flexiſſent. Unum id præter exſpectationem accidit, quod Romani cives alijque recens illud & novi generis Papale imperium ægrius ferentes, non fuerint veriti ipſimet Papæ manus truculentas inferre. Hoc ſane malo adactus fuit Leo id nominis tertius, expetentibus præſertim idem civibus Romanis, ut Cæſareæ iterum auctoritati Pontificiam ſedem ſubjiceret, in Cæſarem electo Carolo Magno Francorum tum & Langobardorum rege longe potentiſſimo. Imo eadem de cauſſa liberati iterum Pontifices Francorum imperio, Ottoni Magno & Germaniæ noſtræ regibus denuo jus Cæſareum ultro detulerunt: donec per Hildebrandum omni reipubl. majeſtate conculcata, Cæſari ipſi & regibus omnibus ſacrum quendam dominatum intentaverunt. Quo nihil monſtroſius fingi vel excogitari poteſt. Tædet iſta multis referre. Vel meminiſſe horret animus, & refugit jam luctu. Et tamen illo cum monſtro hodieq; omnis Europa conflictatur. Inpræſentiarum ſane unice me delectat memoria illius cultus & obſequij quo Carolum Magnum, creatum jam Imperatorem, coactus tum fuit Papa proſequi. Fuit ea res hactenus bonam partem in obſcuro: quod ex illo ævo ad nos rariſſima quæ huc facerent monumenta ſint tranſmiſſa: eoque non niſi argumentis hinc inde conquiſitis, libro quem de Germanorum Imperio conſcripſi, probari & exponi etiam abs me id potuit. Plenius omnia loquuntur ipſiuſmet Papæ Leonis ad Carolum literæ nonnullæ, quas inter membranas Bibliothecæ noſtræ Juliæ ante biennium præter propter reperi. Enimvero hoc nomine

dignas illas judicavi quæ mea cura publicarentur. Quin idem mecum ſis judicaturus, generoſe Schencki, equidem nullus dubito. Neque enim me latet, quanto odio proſequaris horribile illud Pontificium regnum, quamve bene cupias reipubl. noſtræ Germanicæ, quæ Pontificum primo artibus à culmine ſuo præceps data eſt. Debes animum illum nobiliſſimo generi tuo & genti Suevicæ: qua nulla alia improbis Pontificum conatibus fortius ſeſe olim oppoſuit, aut pro reipubl. pugnavit dignitate, Henrici III IV & V, Friderici item primi & ſecundi Cæſarum ac Sueviæ ducum (apud quos majores tuos ſumma fuiſſe auctoritate, publica hodieque monumenta teſtantur) auſpicijs præeuntibus. Et vero Suevicæ veſtræ nobilitatis primores de republica & Eccleſia optimis fuiſſe ſententijs imbutos, vel carmina illa eorum Germanica ſignificant, quorum guſtum nobis dedit Melchior Goldaſtus. Qui ſi omnia ex theſauro ſuo prompſiſſet, haberemus inter ea & gentilis tui Ulrici Schenck à Winterſtetten poëmata, quæ ille ſemel iterum loco teſtimonij adduxit in ſuis ad Winsbekias parænefes animadverſionibus. Enimvero erectus ille animi tui ſenſus, vir generoſe, me invitat maxime, ut quas edidi Leonis epiſtolas, & Caroli Cæſaris Capitulare, ſimulque mea adjectanea, ad te præcipue nunc adferam. Quamvis enim iſthæc me facere alia etiam multa ſuadeant, (æquum enim eſt ut in publico exſtet affectus erga te mei teſtimonium) tamen ijs hodie non perinde moveor, & officij mei rationem rectius alias habebo. Quod ſi ſententias meas quas hic, alibi, aſperſi, cum tuis convenire, certe non multum ab ijs diſſentire, intellexero, magnum ſatis pretium me operæ conſecutum eſſe, nunc quidem arbitrabor. Helmeſtadio ex Academia Julia, XVII Kal. Septembr. CIↃ IↃ C XLVII.

XX.

Præmiſſa libro de Purgatorio edito Helmeſtadij Anno 1651.

Viro plur. Reverendo Clariſſimoque JUSTO GESENIO SS. Theol. D. Sereniſſ. Brunſvico-Lüneburgenſium Duci CHRIST. LUDOVICO à Conſilijs & Concionibus ſacris, Diœceſeos Hanoveranæ Generaliſſ. Superintendenti &c. Amico meo magno

S. P. D.

QUas tranſmiſiſti Mülmannianas de Purgatorio Aſſertiones, Calixtianæ, (ita falſo appellavit eam cujus tu auctor es) & Crocianæ diſputationi oppoſitas, non inſpexi tantum ſed & legi. Vere autem uſu venit mihi, ut liceat profiteri: ἀνέγνων ἔγνων κατέγνων: Voluit apud ſuos videri Mülmannus, quaſi quæ abs Te & Clariſſimo Crocio prolixius ſunt diſputata, minutis illis plagulis everterit. Quum tamen plæraque veſtra ne verbulo quidem attigerit; alia leviter tantum carpſerit; nihil dixerit, quod non prius & à ſuis dictum & à noſtris ſit confutatum. In eo laudandus, quod calamum à ſcurrilibus convitijs temperaverit, contra quam ſolet Sociorum vulgus; non ferendo in ſacris utique diſſertationibus more; quodque ſic ſatis ingenue, perſpicue, & nervoſe ſua propoſuerit, quæ boni diſputatoris virtus eſt. Ut multis contra agas, mihi ſanè non videtur fore pretium operæ. Satis puto litatum veritati, ſi ſcriptum tuum, (quo equidem in hoc argumento nihil vidi doctius) recudi facias adjecto Mülmanniano; data Lectori utrumque arbitrandi facultate. Neque enim Tibi de adverſarijs victoriam ſed unam veritatem (quæ pietas tua eſt) ſcio cordi eſſe: nec vi-

deo quicquam deeſſe Tuo veritatis patrocinio. Quod ſi tamen breves notas adjicere placuerit, nec id improbaverim. Quæ mihi expendenti hoc argumentum in Mülmannum natæ ſunt Animadverſiones, eas pro amicitia noſtra legendas nunc mitto. Vale Eccleſiæ commodo & plur. ſalve. Helmeſtadij cIↃ IↃ C XLVII. xv. Decembr.

XXI.

Præmiſſa libello ſuo qui nomine ficto Irenæi Eubuli de Pace perpetua Proteſtantibus danda prodiit anno 1648.

TYPOGRAPHUS LECTORI S. P.

QUum primum prodierunt Judicium Theologicum & ejus Vehiculum, Irenæus noſter non credidit digna illa eſſe confutatione, ſed contemptu: eo quod contra torrentem communis ſententiæ, quam hactenus tot Imperatores, Reges, Principes, Epiſcopi, Clerici, Theologi, Juriſconſulti, & optimi doctiſſimique Laici, ſunt ſecuti, niterentur. Obſervavit tamen poſtea præter exſpectationem, illis chartis turbari imperitiorum, zelo tamen catholicæ fidei ardentium, animos, idque magno publicæ tranquillitatis malo, quippe cui illis ſcriptis nihil magis poteſt adverſari. Confutationem itaque hanc Judicij Theologici, & haud paulo meliorem Conſultationem exaravit. Nomen diſſimulavit; quod exemplo præiverint adverſarij: proditurus tamen illud, ubi aperta fronte alij pugnaverint, aut res ipſum expoſcere videbitur. Rationem cum ratione contendere enim magis ex re veritatis eſt, quam à perſona capere præjudicium. Quod ſi ſane ſepoſito amore & odio, quæ hîc dicta ſunt cum aliorum ratiunculis conferantur, non dubitamus, etiam illos, quos fluctuare fecerunt illi

alij libelli, prono in pacem publicam animo fore, & qui hactenus negotium pacis ſummo ſtudio curaverunt, à calumnijs & convitijs adverſariorum ſatis defenſos eſſe.

XXII.

Præfixa Adverſariis Chronologicis de Aſiæ & Ægypti antiquiſſimis Dynaſtiis editis Helmeſtadij anno 1648.

Doctrina multiplici & medendi uſu Excellentiſſimo Viro JOANNI HENRICO MEIBOMIO, Archiatro Sereniſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Principis ut & Reipublicæ Lübecenſis, Amico meo: S. P. D.

COnſcribenti librum de Hermetica Medicina, cum recurrendum ſubinde veniat ad illos ὑπομνημάτων commentarios, in more Peripateticorum antiquiſſimo, illa quæ ad hiſtoriam univerſæ ſapientiæ faciunt, admodum adoleſcens conſignavi, dant ſeſe in manus etiam iſthæc adverſaria, in quibus cùm χρονολογικὰ alia tum nonnullas teneræ ejuſdem meæ ætatis, de primorum Aſiæ & Ægypti regnorum temporibus, meditationes, tumultuariè ut fieri ſolet, annotavi. Nec enim vel tùm credidi operæ me aliquod pretium facere in hiſtoria poſſe niſi temporum doctrina ſic ſatis probe perſpectâ. Quamvis verò ab illo ſtudiorum genere nudum fuerim alieniſſimus, tamen neſcio qui uſque me adeo afficit illa penè jam oblita primorum annorum exercitatio, ut non dubitaverim in ordinem redigendis ſaltim meis iſtis paradoxis meditationibus, (alia enim tangere non viſum: ἀδολεσχία γὰρ τὰ φανερὰ λέγειν) hiſce aliquot diebus horas paululas, ſuccisivas rurſum impendere. Video ſanè ne nunc quidem abire me poſſe ab ijs quæ in mentem tum venere: licet

à vulgaribus chronologorum imo ſummi viri Joſephi Scaligeri placitis plurimùm diſſentiant, neque me hodie omnino lateant cum aliorum, tùm Dionyſii Petavij hoc in argumento ſubtiliſſime (utinam & eâ, qua par erat, animi moderatione, cum ipſe in potiſſimis quibuſque Scaligeri ſententias coactus ſit amplexari, & in univerſum infinita illi debeat) diſputata; quæ cùm primum iſthæc mihi naſcerentur vel nondum prodierant in lucem vel fugerunt adoleſcentis manus. Perſtat enimverò ſententia, Herodotum præ aliis Græcis in barbararum gentium rebus ſequendum, & per ſummam injuriam hiſtoriæ illum Græcæ patrem vulgò exſibilari. Cumprimis autem per mihi eſt hæc revolventi jucundum, etiam in hiſce minutijs Sacræ Hiſtoriæ veritatem denuò advertere, firmis rationibus ex antiquiſſimis variarum gentium monumentis ita comprobatam, ut oblatrantium frontes in ruborem non poſſint non agi ſi quis impiis pudor ſupereſt. Verùm fallar ne ego animi, an autem ſim aſſecutus, ut exiſtimo, veritatem, longe me rectius Tu Excellentiſſime MEIBOMI, judicaveris: nec enim hominum quiſquam ſibi non blanditur interdum plus juſto, eoque de meis quidem laboribus non adeo ideoneus ego forte judex ſum. Tu verò ad Philoſophiam & Medicam artem, raro exemplo, eam omnium temporum omnium gentium ex Græcis Latiniſque ſcriptoribus peritiam adjeciſti, ut nihil eorum temere te lateat quæ in arcanis jactitant ipſa philologorum Eleuſinia. Id ſanè cum mihi aliunde notum eſt, tùm poſteritati tutemet oſtendiſti jam elegantiſſimo in Hippocraticum ὅρκον noſtrum commentario, luculentiſſimè probabis in Mæcenatis hiſtoria & Medicorum vitis, quorum deſiderio orbem literatum feciſti flagrare. Quod ſi tibi operam luſiſſe videbor: tantùm ut me tueri velis adverſus illorum ὁμοτέχνων noſtrorum obtrectationes, qui ultra

artem

artem quid tentare Medico nefas judicant, etiam atq; etiam rogo, quo ut antehac ita & impoſterũ liceat, tempus, quod illi forſan alea vino otio conterunt, ſine famæ medicæ diſpendio ſtudiis alienis nonnunquam concedere. Vale, Helmeſtadij ex Academia Julia Kalend. Martijs Anno cIↃ IↃC XLIIX.

XXIII.

Præfixa Obſervationibus Medicis Philippi Salmuthi ſe curante editis Brunſvigæ 1648.

Doctrina & uſu medendi Clariſſimis Viris JOHANNI Behrens & THEODORO CONERDINGIO Sereniſſimorum Ducum Brunſvico-Lüneburgenſium Archiatris, Amicis ſuis S. P. D.

QUod identidem me conqueri meminiſtis; cum alia artis noſtræ, tum præcipue illa, quæ circa id quod præter naturam humano corpori evenit occupantur, (quam partem vulgo παθολογίαν nuncupamus) multum adhuc à juſta perfectione videntur abeſſe. Ut nihil tandem aliquando ſit quod in arte deſideres, haud ignoro ſane, quæ eſt nativa ingenij noſtri imbecillitas pariter & rerum obſcuritas, fieri non poſſe. Verum tantam perfectionem neque ego neque alius prudentior exigit; id doleo multa hactenus negligi, multa neſciri de morbis humanum corpus infeſtantibus, (ut hoc unum nunc tangam) quæ tamen debita facta attentione jam dudum potuiſſent exacte intelligi. Ita autem eveniſſe exiſtimo, duabus maxime de cauſis: ignoratione nimirum & ejus quod ad plenam morbi alicujus facit intelligentiam, & viæ qua ad illam pervenitur, quodque perſuaſum vulgo ſit ad curandi facultatem, in cujus uſum morborum ſcientia ſolet expeti, accuratam adeo doctrinam minus

nus eſſe neceſſariam. Cæterum, niſi fallor, & ignorantia pariter illa, & error iſte abſque magna difficultate poteſt nobis eripi; eoque ſaltim in futurum liceat meliora quæque expectare, ſi modo diligens cura, ab ijs qui ingenij dotibus rectè inſtructi artem exercent fuerit adhibita. Etenim cuilibet nonnihil attentius rem conſideranti non poteſt non ſuapte ſponte apparere; cum morbus quiſque non tantum ſit conſtitutio aliqua partis viventis lædens primò ejus actionem, ſed etiam ſua quædam habeat accidentia, qualia ſunt mali magnitudo, motus, mos, & eventus, alia item vel ſubjecti, vel cauſæ morbificæ vim ſingulatim comitantia, quæ omnia ipſam cujuslibet morbi naturam permultum variant; ut plene ſingulorum affectuum teneas rationem, nihil horum oportere ignorari. Ne id quidem latet quem paulo doctiorem, accuratam & exactam ſcientiam illam demum eſſe, qua non tantum quod res hoc aut alio ſeſe habeat modo vel ſenſu percipimus, vel ex effectis aut quibuſdam ſignis colligimus, verum etiam qua ſingulorum eventuum cauſas integre perſpexiſti: eoque non ſufficere, ſi eorum quæ ad morbum quemque pertinent τὸ ὅτι, ceu loquuntur, fueris aſſequutus, ſed porro quoque omnium illorum cauſſas, quoad fieri licet, eſſe tibi indagandas.

Cæterum cauſſas omnium pervidere, ſuperat fortaſſis indolem ingenij noſtri. Ego ſanè veniam dandam cenſeo laboranti hac in parte inſcitiæ. Quin tamen etiam hic multum à nobis præſtari, & majorum conatus poſſint anteverti, non eſt quod dubitemus. Notitiæ τὸ ὅτι ſi nonnihil deſit, eo minus ferendum eſt, quo facilior eſt comparatu præ illa altera. Conſequi videlicet illam licet magna ex parte ſenſu atque experientiâ, prout circa naturæ res alias fieri etiam aſſolet. Sane ſi nihil diligentiæ omittamus, & ſenſus noſtros ſtrenuè fecerimus attendere circa omnia quæ ſingulis

in morbis eveniunt (circa omnia, inquam, συμπτώματα non tantum actionis læſæ, ſed etiam illa quorum paulo ante meminimus,) non poterit nobis deeſſe magnus pathologiæ theſaurus. Adhibendi vero ſenſus fuerint non tantum ad ea quæ in corporibus integris datur percipere, quorum numerus tamen major eſt, ſed etiam in mortuorum corpora inciſa eorumque viſcera & reconditos receſſus ſummo ſtudio animadvertendum, regum Ægypti antiquiſſimo obſervato exemplo, *quos*, Plinio teſte, *compertum eſt corpora mortuorum adſcrutandos morbos inſecaſſe*, ne quid de Herophilo & Eraſiſtrato dixerim, qui, ut auctor eſt Cornelius Celſus, *nocentes homines à regibus ex carcere acceptos vivos inciderunt.* Ad hunc cenſum pertinent morborum hiſtoriæ, à viris fide & doctrina præclaris annotatæ. Neque enim hiſtoria fere quidquam aliud eſt, quam commemoratio rerum ſenſuum uſu perceptarum: eoque ingens hiſtoriæ omnis generis cum multitudo datur, tum varietas, prout ad multa & varia ſeſe dimittunt ſenſus noſtri, eaque inveſtigant & ſcrutantur. Etſi vero firmiùs hæreat & tutius fortè ſit ſi tutemet expertus rem fueris, nec ab aliena fide pendere ſit neceſſum, ceu eſt uſus efficaciſſimus rerum omnium magiſter; attamen cum in dubium vocari jure non poſſit, quod ab homine perſpectæ integritatis & prudentiæ eſt proditum, perinde ferme ad morborum peritiam te multæ hiſtoriæ duxerint, atque uſus proprius. Imo facilior ad prudentiam hanc medicam via eſt per hiſtoriam, quam per uſum ipſum: utpote cum hic ſeris demum ab annis veniat, hiſtoria etiam juvenem erudiat; hic de omnibus uni homini vix contingat, hiſtoria omnium in promtu ſit ſingulis: plane atque ſeſe res habet de civilium rerum uſu pariter & hiſtoricâ memoriâ. Sed ea quæ ſenſus noſtri percipiunt & uſu experimur non niſi ſingularia ſunt. Ideoque ne ſic quidem ut aliarum rerum ita & morborum

naturam intelligere eſt, niſi ſingularia iſthæc in communia pronunciata tranſeant, quod demum inductionis, ceu vocant logici, beneficio fieri notum eſt. Enimvero ſcientia omnis & omnis ars, univerſalium quorundam non autem ſingularium notitia conſtat; ad hunc finem autem conducere ſingulorum illa experimenta & hiſtorias oportet, atque adeo ſumma ope hoc agendum eſt, ut ex ſingularibus illis deducantur, quæ ſemper & ubique ſuum locum habent ſi quando morbi incidunt. Non eſt, fateor, cujuſvis univerſalia pronunciata ex ſingularibus eventis conſtruere: veriſſimum quippe eſt illud Hippocraticum: ἡ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπὴ idque hac in re cumprimis locum invenit; attamen ſi inductionis, ſi experientiæ (nam & hujus aliqua ars eſt) leges obſerventur ac præcepta, qualia illa ſaltim ab Ariſtotele ſunt tradita, non uſque adeo id effectu eſt difficile. Certè ut in alijs doctrinæ generibus à varijs præclari nominis viris, ita hac in parte ab Hippocrate communia quæ cum admiratione in Aphoriſmis, Prognoſticis, Prorrheticis, Coacis prædictionibus, imo & paſſim in Epidemijs leguntur, ut ut hujus operis pleraque ad hiſtoriam potius τῶν καθ' ἕκαστα pertineant. Quantum ſanè animalium hiſtoria ab Ariſtotele, Stirpium à Theophraſto prodita, maximum ad philoſophiam confert momentum præ ejuſdem argumenti hiſtorijs magna voluminum ſtrue ab alijs confectis, tantum Hippocraticæ iſtæ demum juvant ſcientiam morborum. Neque verò alterum illud hiſtoriæ genus philoſophiæ inſervit propriè: certè non perinde inſervit, ſive τὸ ὑποκείμενον videas demonſtrationis, ſive ad affectiones attendas; minime omnium ſane ſingularis iſthæc hiſtoria adauget principiorum τῆς ἀποδείξεως theſaurum, quo omnem, cui philoſophari eſt animus, inſtructum utique oportet eſſe. Quod ſi ſane in illa morborum hiſtoriâ fueris probè verſatus, jam es aptus

inveſti-

inveſtigandis & morborum & omnium quæ circa morbos eveniunt cauſis; imò jam tenes pleraque eorum quibus cognitio τὸ ὅτι abſolvitur. Pleraque inquam: pars enim hujus etiam ratiocinando adquiritur quidem per ἀπόδειξιν, ſed illa exigua eſt, & non æque ad uſum neceſſaria.

Quantumvis verò magni ſit meritò æſtimanda hæc notitia morborum, qualem uſu atque experientia eo quo dictum eſt modo, ex parte autem & demonſtrando datur conſequi, licet tamen multum ultra progredi, causâ nimirum rationeque iſtorum omnium penitius perſpecta: quod jam ante affirmavimus. Iſtam certe notitiam demum exactæ ſcientiæ nomen mereri, conſtat inter eruditos. Non eſt tamen forte quod difficultate etiam ejus terreamur, ſi ad ingenij dotes acceſſerit demonſtrativæ artis peritia, & ejus quam laudavimus hiſtoriæ. Enimvero qui ἀγχίνοιαν illam habet Ariſtoteli uſque adeo commendatam, quâ natura ferimur in ſcrutinium cauſarum non minus adeo atque odora vi venatici canes in latentes feras, ſimulque demonſtrandi aliquem, ut ita loquar, habitum ſibi comparavit, illi in facili eſt per experimenta & hiſtoriam penetrare in arcana quæque abſtruſæ morborum ſcientiæ. Quam commodiſſime autem indubie fieri id poteſt, ſi ſingulorum quæ circa morbum quemlibet eveniunt cauſam proximam accurate inveſtigaverimus. Etenim cum omnia illa morbum ſequantur, atque à morbo ipſo tanquam à cauſa, partim per accidens, proficiſcantur, eo ipſo quo ſymptomatum cauſam tenemus ſimul neceſſum eſt nos habere accuratam morbi ipſiuſmet notitiam. Eſt hæc ſane illa veterum elementaris docendi ratio, in cujus laudem non ſemel Galenus noſter digreditur: abſque illa qui in hac ſcientia operæ quecas pretium præſtare haud liquet: quod jam dudum alibi monuimus. Neque vero aliud quidquam temere ſcientiæ patho-

logicæ profectum æquè hactenus impedivit, me judice, atque hujus viæ ſive ignorantia ſive contemptus. Certè qui eam ingreſſi olim ſunt, (quos inter eminent Ariſtoteles, Theophraſtus, Galenus) mirifice ſtatim locum hunc omnem exornaverunt.

Cæterum contemptus ſive negligentia illa indubie orta eſt ex ea perſuaſione, quæ perquam multos omni tempore occupavit, quaſi omne hoc ſtudium ad artem faciendam ſit inutile. Paucos quippe invenias excellenti adeo & magno ingenio, qui ſola ducti veritatis cognoſcendæ jucunditate, inſuper habitis opibus & honoribus, quibus cumulandis vulgo humanum genus omnem operam impendit, morborum corporis noſtri naturam rationemque voluerint inquirere: pleroſque videas uſu omnia, ut uſum ipſum lucro metiri, eoque negligere quæ ad farinam (ut ajunt ipſi) non faciunt: digni me hercules, qui & farinam bajulent. Verum ut fortaſſis artem facturo accuratior horum notitia non ſit perinde neceſſaria, digna tamen eſt quam perſequatur is qui à ſapientiæ ſtudio affectat nomen, cujuſmodi eſt Philoſophus: neque enim vel hîc deeſt in obſcuro licet deliceſcens veritas, etiam hanc caſam ſui dij inhabitant, quo Heracliti dicto ad animalium philoſophiam invitat nos magiſtrorum maximus. Non dicam nunc cum Cornelio Celſo *primò medendi ſcientiam ſapientiæ partem habitam, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iisdem auctoribus nata ſit:* Semper ſanè medicorum *οἱ χαριέστατοι* ad officium ſuum pertinere arbitrati ſunt, vota & labores ingenij non compingere intra artis anguſtias; eoque partem philoſophiæ, ſaltim quæ viciniſſima eſt arti, occupandam ſibi duxerunt. Qua in re ita favit ſucceſſus bonis conatibus, ut naturalis philoſophiæ multo maxima perpetuâ cultura pene philoſophis

loſophis erepta, uſu cæpiſſe Medicinam noſtram videri poſſit. Quis vero non videt turpe eſſe metallorum, plantarum, animaliumque philoſophiam occupare medicos, & negligere morborum? quæ utique ſaltim longe proprior eſt artis negotijs quàm illa altera, ſi non intra ipſa medicinæ pomæria recipienda eſt. Sane quæ cauſa optimos maximos quoſque medicorum ad metalla, ſtirpes, animalia (quæ omnino naturali ſunt philoſophiæ propria) compulit; illa majore profecto jure eoſdem adigit ad accuratam morborum ſcientiam.

Non ſine injuria vero hæc ſcientia extra artis limites projicitur: neque fortaſſis ullum laudaveris auctorem id qui in totum aſſeruerit. Etſi enim vetus contentio ſit, num ſolis experimentis abſolvi ars queat & perfici, an verò niſi corporum rerumque ratione comperta non ſatis potens ſit uſus (illud ijs qui ſe Empiricos ab experientià nominarunt, hoc qui rationalem Medicinam profeſſi ſunt, acriter aſtruentibus) inter omnes tamen hactenus convenit, eo uſque in morborum notitiam pergendum, quo uſu & experientià datur pervenire. Ulterius autem quàm fit vulgò poſſe nos pertingere, fecimus utique, ſemità indicata, manifeſtum, & fortaſſis vacat dubitatione. Hinc ſane veterum laudatiſſimi Empirici, *evidentes morborum cauſas ut neceſſarias amplexi ſunt; tantùm obſcurarum cauſſarum & naturalium actionum quæſtionem ideo ſupervacuam eſſe contenderunt quoniam incomprehenſibilis natura ſit*, ceu eorum mentem nobis Celſus expoſuit. Et vero plurimum referre ad curationem, num omnia ſingulorum morborum Symptomata adeoque ipſas inter ſeſe morborum differentias teneas; num quà quiſque affectus ſoleat, eſſe magnitudine, quemadmodum moveatur, quo eventu terminetur, (ut alia præteream) accurate pernoſcas: an vero horum vel nihil ſcias, vel parum quid:

clarius eſt meridiano. Uſque adeo compertum eſt illud, quod ſcitè olim dixit Philoſophus Ammonius non ille Saccas aut Plutarchi magiſter, ſed filius Hermiæ ex Procli Lycij ſcholâ profectus, ἰατρὸς ὁ ἄριστα γνοὺς ἄριστα θεραπεύει. Si hoc autem conceſſeris, vicit jam tum rationalium Medicorum diſciplina; & neceſſario fatendum tibi etiam veniet, eum quam rectiſſimè curaturum, quem prima origo cauſæ non fefellerit; adeoque ad ipſum medendi officium pertinere, in ipſas cauſſas omnium affectuum quoad licet inveſtigando penetrare. Nec verò eſt quod cum Empiricis, incomprehenſibilem morborum hanc naturam eſſe, prætexas. In univerſum omnia exactè comprehendi non poſſe, etiam ipſi fatemur: ſimul verò ea parte, qua humani ingenij vim deſerit cauſarum notitia, etiam artes imperfectas & eſſe & ſemper fore cognoſcimus. Supereſt verò latiſſimus campus in quo ſeſe exerceat mens noſtra, & poteſt illa etſi non omnia ſatis tamen multa, imo plura quàm vulgo creditur, ſua induſtria feliciter ſatis adſequi: utque ſaltim illa comprehendamus, exigit munus medicæ artis, cæteroquin vehementer mutilæ & defectæ. Neque enim ultra quam medendi uſus poſtulat velim procurrat hæc cauſarum inveſtigandarum medica ſane curioſitas, etſi laxiores Philoſophiæ ſint limites. Rectiſſimè enim Galenus τὰ οἰκεῖα τῶν τεχνῶν ἑκάστης θεωρήματα τὸ τέλος ὁρίζει καὶ κρίνει: *propria cujusq; artis theoremata ſcopus definit & judicat.* Nec tamen minus etiam rectè Ariſtoteles. τῷ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παρορᾶν μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν: *ei qui circa methodum quamvis philoſophatur, neq; reſpicit tantum ut operetur, illi convenit nihil prætervidere, nihilq; prætermittere, ſed exponere ſingulorum quorumvis veritatem.* Proinde ut non peccet medicus, ſi quædam extra curam ſuam ſeponens Philoſophorum

induſtriæ

induſtriæ relinquat; ita peccat tamen, ſi omne omnino latentium cauſſarum ſcrutinium illud ab artis officijs removeat.

Quantumvis vero etiam hac parte ſocordia vel negligentia invenerit aliquam excuſationem ac veniam; nefas tamen eſt hiſtoricam affectuum corporis noſtri notitiam, qualem commendavimus, non ad medendi ſcientiam unicè neceſſariam exiſtimare. Nec verò audiendum eſt, etiam abſque hac omni tempore ægros perductos ad ſanitatem: quippe quum uſus doceat quotidianus, non aliunde frequentiora eſſe funera, quam ab hac medentium imperitiâ, multis cæco quodam ductu experimenta per damna imo per mortes hominum facientibus. Qua ſane fit ratione, ut remedia morborum laudatiſſima perdant ſæpe famam etiam diligentisſimè adhibita, niſi quod aberrantes in morborum differentijs & proximis cauſis, remedia cauſis quibuſdam remotioribus feliciter adverſantia omni tempore valitura credimus, quaſi eadem ſemper ſit morbi natura, & ab ijſdem cauſis dependeat? Sed non eſt hujus loci rationalem medendi diſciplinam adverſus Empiricorum protervìam prolixe defendere, cum id abunde ſatis jam à Galeno noſtro ſit præſtitum: ſufficit oſtendiſſe & viam, qua ad exactiorem, quam vulgo habetur, morborum peritiam licet pervenire, & ipſiuſmet illius ſcientiæ neceſſitatem. Et ſane utrumque, niſi fallor, ſatis luculente docuimus.

Quamvis autem illi quæ paſſim nobis ſupereſt doctrinæ haud parum exiſtimemus deeſſe, à ſolertia ingenij humani, eo quo diximus modo, ſupplendum; fatemur tamen jam tum hac in re haud parum profeciſſe Artem noſtram, cura magno & excellenti animo præſtantium hominum. Nec enim hactenus defuère, qui multum ſane præſtiterunt; etſi non omni tempore, omnique

que in loco par fuerit adhibita diligentia, aut par ſucceſſus conatum exceperit. Enim vero Hippocratem multùm adeo ſtudij huc contuliſſe dixerim, ut omnes poſt ſecutos longe anteverterit. Sedulitatem ipſius in annotandis ſingularibus ægrorum hiſtorijs loquuntur Epidemij libri, quos illi pro adverſarijs fuiſſe manifeſtum eſt. Aphoriſmi, Prorrhetica, Prognoſtica, Coaca, alia, tota conſtant ex univerſalibus pronunciatis diuturno ſingularium uſu conſtructis: ad quod exemplum omni pòſt ævo nihil natum eſt. In his ipſis paſſim inſpergitur aliquid ἐπιστημονικὸν, ſubtili mentis ratiocinatione collectum; in nonnullis libris alijs penè hoc unum agitur. Quo profectò patet per calumniam virum maximum à nonnullis in Empiricorum ordinem conjici; cum nihil ab illa ſchola ſit remotius, quàm circa latentium cauſſarum inventionem occupari. Quem laborem Hippocrates tamen ſibi ſumpſit; ut nota eſt ejuſdem præclara vox; δεῖ μετάγειν τὴν σοφίην εἰς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν εἰς τὴν σοφίην· ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος: qua ſententia nihil Empiricis perinde eſt inviſum. Neque enim moror librum de Veteri Medicina: ut qui Acronis ſcholam ſapiat non Hippocratis, nec à quoquam veterum Hippocrati ſit attributus, ſi Erotianum excipias hominem Grammaticum. Sunt (fateor) pleraque etiam alia Hippocratico codice comprehenſa incerti nominis; ne quidem ante laudata omnia auſim ſine dubitatione in Hippocratem referre auctorem; ſaltim nonnulla tamen ab illa manu ſunt profecta, omnia vetera ſunt: eoque manet ſane laus illa quam modo Hippocrati adſcripſimus, niſi quod ex parte eandem & alij tum meruerint, ſive Coæ, ſive Cnidiæ, ſive Siculæ diſciplinæ. Ariſtoteles ejuſque ſectatorum principes quantum laboris impenderint huic argumento, quantâ ſint felicitate illud proſecuti, produnt ſuperſtites libri, ut aliorum teſtimonia advocare

non

non ſit nececeſſum. Multa ſane cum in alijs, tum in Hiſtoria Animalium & Problematibus legere eſt, quæ diligentiam Stagiritæ indicant in obſervandis morborum hiſtorijs: eadem problematum opuſcula, & quibus animalium ſcientia exactior traditur affectuum complurium cauſas rationemque exhibent ſubtiliſſime inquiſitas: qui quintus inſcribitur de Animalium ortu totus αἰτιολογικὸς eſt, atque morborum doctrinam unicè illuſtrat. Ejuſmodi eſt etiam qui vulgo decimus Animalium Hiſtoriæ audit, immeritò tamen; ut qui ne quidem Ariſtotelicus ſit, ſi quid judico, à Laërtio tamen jam olim titulo περὶ τοῦ μὴ γεννᾶν in illam claſſem conjectus. Magiſtri induſtriam ſi non ſuperavit certè æquavit Theophraſtus Ereſius, ceu liquet ex fragmentis opuſculorum de ſudoribus, de laſſitudine, de vertigine. Neque enim à quoquam alio, etiam medici noſtri ordinis, adeo multa aut præclara ad illum locum allata ſunt: imo nihil ſupereſt de alijs affectibus pari ſtudio elaboratum, hoc eſt, ubi & hiſtoriæ ſimul ſit ſatisfactum & ſcientiæ cauſarum. Atqui idem Theophraſtus ſuper illa, de epilepſia, enthuſiaſmo, animi deliquio, contagioſis affectibus, melancholia, ebrietate, paralyſi, ſuffocatione, delirio ſingulos, de humoribus quinque integros libros conſcripſerat, ceu nos docet Diogenes. Qui cum perierint magnam profectò jacturam fecit morborum hæc philoſophia. Etiam hujus verò in Lyceo ſucceſſor Strato Lampſacenus exaraverat unum de morbis, unum de fame, unum de oculorum obtenebrationibus: non minus indubie feliciter, quam eſt confectus ille de coloribus, qui Ariſtotelis nomine circumfertur, perinde plenus τῶν φαινομένων atque in cauſis eorum exponendis ſedulus. Quantum profecerint in hac doctrina Philoſophorum illius tempeſtatis alij haud habemus dicere, cum nulla eorum monumenta fortè ſuperent: in hanc curam tamen

nonnullos eorum incubuiſſe non eſt dubitandum: multos quippe ex ſapientiæ profeſſoribus medicinæ peritos fuiſſe accepimus, clariſſimos vero ex his Pythagoram, & Empedoclem & Democritum & Alcmæonem Crotoniatam. Vereor tamen, ne parum felices fuerint ſaltim in cauſarum ſcrutinio, ut qui ne hiſtoriam quidem partium corporis humani ſatis compertam habuerint, & naturalem philoſophiam reliquam multis ineptijs collutulaverint. Enimvero & ipſummet Hippocratem noſtrum ex ἀνατομῆς imperitia graviſſime labi, atque cauſarum doctrinam minùs dextre expedire animadvertimus, quo nemo tamen alius ad morborum hiſtoriam plus contulit. Non dubitandum porrò eſt, & Dioclem Caryſtium, & Praxagoram, & Chryſippum, præcipue Herophilum & Eraſiſtratum, aliosque illius ævi præclaros medicos hoc in loco fuiſſe occupatos, cum multa eorum in Galeni monumentis hanc induſtriam loquantur. Ipſum Aſclepiadem, & Themiſonem, & Theſſalum credidiſſe hunc laborem ſui eſſe officij, ex eodem Galeno noſtro & alijs diſcere eſt. Sed nos quidem illorum ſtudium parum juvat hodie, poſtquam ſcripta perierunt. Imo in morborum ſaltim cauſis indicandis parum illos potuiſſe arguunt abſurda placita, quibus exterminandis Galenus noſter multum adeo temporis impendere eſt coactus. Cæterum Galenum ipſum & in hiſtorijs & in cauſis affectuum maximum ſtudium eximio ſucceſſu collocaſſe, res loquitur. Et vero fuit ille φιλοπονώτατ☉, ingenio excellentiſſimo, judicio analytices peritia ſubacto, ab anatome quoque præ omnibus antegreſſi ævi (Herophilum excipio) inſtructus. Hinc ſane Hippocratem ipſummet multum ſuperavit in exponendis affectuum cauſis, ſalvo licet ejus in hiſtoria principatu; quam tamen itidem diligenter à Galeno eſſe excultam indicant præter varias ægrorum hiſtorias ſparſim memoratas, frequentes in Hippocratem animadverſiones,

verſiones, quibus ipſam Aphoriſmorum dignitatem haud dubitavit ſemel atque iterum infringere.

Longe priſcis illis omnibus inferiores, ſeſe præſtiterunt Philoſophiæ pariter & Medicinæ Græci ſcriptores, quorum ſcripta nobis dens ævi fecit reliqua. Aretæum tamen præ alijs commendaveris, à diligenti annotatione eorum quæ circa morbos ſolent accidere: quin imo iſthoc nomine palmam commeritus eſt. Sed & Alexander Trallianus interdum probat induſtriam ſuam indicandis affectuum cauſis, & Stephanus Athenienſis, & Joannes Alexandrinus. Quo nomine etiam laudandi veniunt problematum ſcriptores Caſſius, & Alexander quidam Aphrodiſienſis junior: alius enim eſt ab illo nobili peripatetico Ariſtotelis interprete, alius etiam à Tralliano, etſi hoc doctiſſimus Mercurialis nonnullis perſuaſerit. Laudandi inquam etiam hi ſunt, ſaltem ob conatum: parum licet præſtiterint, Caſſio etiam methodicorum nugis impedito. Inter Arabes quoque vix eſt, qui hoc in loco pretium aliquod operæ fecerit. Avicenna tamen & Raſes non fraudandi ſunt laude, diligentiore ſymptomatum recenſione, & ægrorum aliquot hiſtoriolis parta. Par ratio eſt medicorum, qui à ſeculo poſt decimum tertio uſque ad ſextum artem ſcriptis tradere ſunt conati: ceu quibus ſatis eſt viſum veſtigia premere antegreſſorum & præcipue quidem Arabum. παρατηρήσεις tamen paucu̇las Gentilis de Fulgineo, Guilielmus Placentinus, Valeſcus Tarantanus, Gerhardus de ſole, Nicolaus Nicolus, Mattheus Gradius, Gattinaria, alij, nobis memoraverunt.

Superiore ſeculo ab avorum uſque memoria cæpit hic locus haud parum ſolito felicius excoli; perinde nimirum ut reliqua omnia mirificè ſunt exornata & locupletata, omnibus pene præclariore indole viris in id quaſi certatim inſudantibus, ut nominatim ſingulos laudare non ſit neceſſum. Nec

tamen ab uno aliquo integrum quidem hoc argumentum pertractatum eſt, ſed aliam atq; aliam partem pene quiſque, in eo ingenij ſecutus ductum, arripuit: nonnullis circa hiſtoriam, alijs circa cauſas potius occupatis. Niſi fallor, autem, melior ſucceſſus hiſtoriam excepit: certè longe plures hoc ſibi negotij datum arbitrati ſunt, ut notarent ſi quid inſolens, aut novum, aut rarum circa morbos inter medendum occurrit, idque ad poſteritatem commemorarent. Et verò à quam multis non tantum ſparſim inter alia, ſed etiam ſingulatim in id proprijs confectis voluminibus, hoc præclare adeo eſt actum; ut noſtra ætas poſſit videri omne anteactum ævum antecellere. Immortale nomen hinc commeritis cum alijs tum præcipue Benivenio, Dodonæo, Amatho, Valleriola, Wiero, Coitero, Foreſto, Schenkio, Marcello Donato, Platero, Hechſtettero, Ballonio, Epiphanio Ferdinando, Carolo Piſone, Fabricio Hildano, Gregorio Horſtio, Henrico ab Heer, Zacuto Luſitano, Nicolao Tulpio; quorum ego nunquam ſoleo ſine tacita gratiarum actione meminiſſe. Haud diffiteor, omnes hoſce tantum in ſingularibus eventis enarrandis laboraſſe, nec quenquam hactenus inde ſive ad univerſalia pronunciata, ſive ad juſtam cauſarum indaginem proceſſiſſe: incredibile tamen eſt dictu, quantum illæ hiſtoriolæ illuſtrare artem poſſint & in omnem partem adjuvare. Sane ex ijs ars noſtra haud difficulter inſigne poteſt incrementum capere, non minus atque brevi tempore obſervationum & φαινομένων ſubſidio in admirationem uſque crevit ſiderum ſcientia. Me profecto libelli ejuſmodi Hiſtorici plurimum delectant eximio ſuo fructu: utut identidem judicium & induſtriam narrantium cogar deſiderare. Ea propter nunquam etiam non me publici boni amor ſtimulavit ad edendum hoc, quod nunc bonis avibus lucem demum adſpicit, hiſtoricum volumen: quin jam dudum

dum animo geſſiſſem morem, niſi me & tardaſſet deſcriptoris inertia, & ab alijs hanc operam expectaſſem. Incidi enim in mendoſiſſimum exemplar, munere Martini Heintzij quondam noſtri, cui id miſerat Valentinus Rupizius Aſcanienſium hodiè medicus, uſu & peritia eximius. Sed & (ne quid diffitear) non ea cura eaque pumice opus expolitum deprehendi, ut omni ex parte placere Ariſtarchis queat: eoque veritus nonnihil ſum, ne quid maculæ contrahat optimi autoris nomen à mea culpa. Excuſſit tamen hunc meritum multa doctrina, qua liber iſte poteſt contendere cum plurimis ejuſdem notæ & argumenti. Et vero quî illa non veniam atque excuſationem impetret, reliquis minus exquiſitis? Præſertim cum auctori per aulica ſervitia, atque in viciniam omnem diffuſam ægrorum curationem, non licuerit ex voto omnia accurare; ſuperveniente præſertim præmaturo obitu, quo Deſſaviæ virum doctiſſimum

Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Sanè ſi quæ in edendo culpa eſt, mea illa eſt: cui tamen ſi vos, Amici, dederitis veniam, aliorum ego reprehenſiones non magnopere pertimeſcam. Scilicet & quem hactenus feci ſermonem, & hanc ipſam editionem vobis cumprimis opto probari. Probabitis vero, ſcio; utpote cum vos præcipue me urgeatis ut quæ cum aliàs, tum etiam te auditore, Clariſſime Conerdingi, de affectuum corporis noſtri natura & cauſis diſſerui, nonnihil aliter quam vulgo fieri conſuevit, ea tandem aliquando faciam publici juris; id autem commode fieri nequeat niſi hiſce Salmuthianis præmiſſis, utpote quorum teſtimonijs identidem uti ſoleo. Quod ſi illa ſpes decollat, dignabimini tamen, niſi fallor, ipſum Salmuthum, mea culpa velut fracta è nave expulſum in littus, hoſpitio veſtro: ut quod ego per amicitiæ jura nequeo impetrare, ipſemet ſi non eruditione ſua & utilitate (quam ego ſane

 facio

facio maximi) ſaltim infortunio ſuo apud vos inveniat. Valete. Dabam Helmſtadij in Academiâ Juliâ Kalend. Junij CIↃ IↃC XLIIX.

XXIV.

Præmiſſa operi de Hermetica Ægyptiorum vetere & Paracelſicorum Nova Medicina, edito Helmeſtadij anno 1648.

Reverendiſſimo Illuſtriſſimo Celſiſſimoque Principi JOANNI Electo Epiſcopo Lybecenſi, Heredi Norvvegiæ, Duci Sleſvvicenſium Holſatiæ Stormariæ & Dithmarſiæ, Comiti Oldenburgi & Delmenhorſti.

PErmultum ſane ſeculo noſtro debet medica ars, PRINCEPS OPTIME, eandem tamen hac ipſa tempeſtate vehementer afflixit Paracelſi ſchola. Quemadmodum nimirum in fabula eſt Glauco marino in naufragio quaſdam partes contuſas, quaſdam fractas, quaſdam omnino ſejunctas & undis ablatas eſſe, contra algam conchilia & ſi quid eſt aliud quiſquiliarum maris lacero cadaveri adhæſiſſe: ita quæ per ἀνατομὴν comparatur corporis noſtri notitia totaque adeo medendi methodus ex indicantibus & indicatis conſtituta omnino ab Arte avulſa, morborum & ſanitatis doctrina, ut & germana pharmaceutice ſic fracta ſic contuſa ut nihil amplius ſuperſit coloris priſtini; Magia contra, divinatoria aſtrologia, χρυσοποιητικὴ, ἐνθυσιασμοὶ, ficticia loquendi ſcribendiq; ratio, & nova quædā religio cum turpiſſima maledicentia & arcanorum vaniſſima oſtentatione intimos ejus ſinus occupaverunt. Et vero hoc mali uſq; adeo graſſatum eſt, ut multis in locis vetus veraq; medendi Ars non alia quam illa Glauci effigie ſuperfuerit; fruſtra pro ſalute

ejus

ejus laborantibus optimis quibuſq; & doctiſſimis. Cauſam miſerandi adeo naufragij ſuper alia, opinor, fuiſſe hactenus, non tam Paracelſicos ipſos quàm credulitatem nimis facilem populi, nullius non morbi ſanationem exſpectantis & hiantis ad quodvis aucupium auri. Enimverò Paracelſi quidem aſſeclas lucri quàm maxime cupiditate videas duci, eoque iſthac ſpe decollante nihil tentare ſed vetera quæq; polliceri mutatis velis. Quod ſi profecto populus negaſſet ſperatũ ſectæ quæſtum, jamdudum illa tota interiiſſet arbitror; quemadmodum paſſim eam decoxiſſe cernimus, & quam occupaverat tyrannidem amiſiſſe. Quamvis enim ingenita ægros omnes, etiam ætate decrepitos, teneat inſania omnium plane morborum curationem exſpectandi, eoque proniſſima aure excipiant Paracelſicos tanta pollicentes, nec facile ferant illi ſpei adverſantes alios: quamvis etiã auri congerendi libidine non avari tantùm ſed & prodigi & ambitioſi quique capiantur, atque ſic à Paracelſicis jactata auri conficiendi ars omnibus hiſce ſupra quàm dici poteſt blandiatur: tamen infinitis damnis rectius edocti quamplurimi minus quàm antehac faciles Paracelſicis aures præbent, certè minus prompta manu deſiderio illorum obſequuntur. Id quod ſi omnes pergant agere brevi actum erit de ſecta, & licebit illi exequias ire quibus commodum eſt. Non neceſſum autem fuiſſet poſt tantos demum labores ad pænitentiam pervenire, & immanibus impenſis hanc quidem ſapientiam emere; tantùm ſi affectibus ſepoſitis vel leviter placuiſſet conſilium ante omnia cum ratione inire; id quod faciundum eſſe prius quam opus aliquod coneris, nobiſcum nata utique prudentiæ lex eſt. Scilicet in propatulo eſt Paracelſicos ipſoſmet quotquot ſunt, perinde atque Paracelſum ipſum, & varijs tentari morbis & morte ſæpe præmatura deficere, lugere item illos ſuorum cum ægritudines tum obitus; quis itaque non ſtatim

hinc

hinc colligat, quæ illi de ſuæ artis miraculis deque remediorum ſuorum ſtupendis narrant virtutibus, putida eſſe agyrtatarum mendacia, eoque ab illorum promiſſis tanquam à vanis hominum mendacium oſtentationibus cavendum, certe cum ijs non eſſe micandum in tenebris? Quis ferat porrò artis alicujus peritiam pollicentem, cujus vel uſum nunquam eſt expertus, vel rationem per demonſtrationes haud didicit, vel notitiam cœlitus non eſt indeptus? Atqui tales planè ſunt omnes Paracelſici gregis χρυσοποιητικὴν profeſſi; & tamen nimis quàm multis pro artificibus ſeſe probaverunt, & maximis eos mulctarunt ſumptibus. Neque verò credi poteſt experimentum artis feciſſe egenus cinifio; nec demonſtrandi imperitiſſimus didiciſſe firmas artis regulas per demonſtrationes: nec denique aliquis vel quæſtui totus deditus vel mendax divinitus edoctus artem, doceri divinitus non ſolitam. Non ego in præſens vocabo in dubium, num quis mortalium χρυσοποιητικὴν hactenus tenuerit, Paracelſici gregis neminem tenuiſſe magno ſuo damno Europa didicit; utut uni alterique aurificem pulverem alicunde fuiſſe, largiaris. Vanis tantum commentis hoc ſeſe artificio omnes jactitaſſe, etiam abſque hoc damnoſo fuiſſet experimento, tamen in facili fuiſſe collectu, modò diximus. Non tantum verò qui ſeſe ferunt artifices, ſive μεταλλουργικῆς illius ſive medicæ artis, convincere vanitatis, inproclivi eſt; verùm omnem quoque illorum doctrinam à recta ratione & quotidiano uſu diſſidere uti probes, adeoque ſaltem artem medicam veterem à contemptu vindices & corruptelis, non eſt operoſi vel impediti multùm laboris negotium. Quamvis enim hoc non cuivis indocto liceat efficere: tamen Artis non perfunctoriè peritus quilibet, niſi fallor, haud ægrè præſtiterit. Me, uti hac quoque parte tyronum ſtudijs benefaciam, muneris mei Profeſſorij officium non ſemel quidem admonuit, nunc demum

mum tamen id agere aliæ occupationes plurimæ permiſerunt. Simul vero viſum eſt operæ me facturum pretium, ſi Paracelſicæ medicinæ doctrinæque omni, adeoque & Chemiæ, larvam illam, quâ vulgò ſibi vetuſtatis opinionem conciliat, tanquam in Ægypto jam cæperit Hermete auctore apud ſeculum prius, detraxero. Video enim hactenus a nemine id tentatum, ſed contrà quaſi conſenſu meliorum doctiorumque paſſim confirmari. Tum verò apud pleroſque eſſe hodieque Ægyptiacæ & Hermeticæ ſapientiæ famam majore in pretio quàm illa unquam commeruit, animadverti. Eſt autem & hoc conjunctum cum non levi diſpendio & veritatis & receptæ doctrinæ: prætextum hinc capiente non calumnia minus quàm inſcitiâ, innovandi omnia ac turbandi. Eapropter quum ferret occaſio placuit & hunc errorem in publico commonſtrare, atque diſciplinæ noſtræ cum medicæ tum philoſophicæ ſaltim aliqua ratione ſecuritatem priſtinam conſervare. Verum reſponderit nec ne ſucceſſus conatibus meis, alij rectius judicaverint. Te ſane CELSISSIME PRINCEPS, uti per otium, curarum reipublicæ vacuus, cenſendi laborem velis ſuſcipere, etiam atque etiam rogo. Eâ enim omnium cum aliarum, tum Mathematicarum artium cumprimis, excellenti es peritia, ut demonſtrandi artem familiarem Tibi feceris; qua inſtructus idoneus demum eſt judex ſolidæ cujuslibet doctrinæ. Tantos quoque in Chemicis exercitijs progreſſus feciſti, ut facillimum tibi fuerit dijudicare, num quæ ego, de illis remediorum præparationibus atque ita paratorum uſu, contra Paracelſicos prolixe diſſerui, veritati ſint conſentanea nec ne. Quod ſi profecto ſententiam meam probaveris, magna ad illam auctoritas acceſſit, & potero ego fortasſis ſecure ſpernere disſidentium voculas. Sin minus, quo tamen es magno animo & affectu verè regio, non improbabis, ſcio,

meos conatus, ſed veniam dabis adeo confidenter judicij tui æquitatem appellanti. Ego vero Deum veneror, ut Celſitud. Tuam in reipublicæ commodum diu ſoſpitet. Ex Academia Julia Helmſtadij cIɔ Iɔc XLIIX. Kalendis Sextilibus.

XXV.

Præmiſſa Thomæ Fieni XII libris Chirurgicis ſua cura Francofurti editis anno 1649.

Viro Nobiliſſimo Ampliſſimoq; JOANNI NICODEMO Lilieſtrôm / S. R. Majeſtatis Regnique Sueciæ Conſiliario, & regiminis Pomeraniæ Directori, &c. Amico meo magno S. P. D.

ANtiquam medentium doctrinam, & priſca inſtituta cum ijs quæ hodie paſſim recepta ſunt contendentibus, haud difficile obſervatu eſt, noſtra à prioribus permultum diſſidere. Nec tamē in univerſum hæc illis, aut illa his dixerim eſſe præferenda. Quamvis multi ſoleant ita priſcis eſſe addicti, ut nova omnia faſtidiant, alij contra tantùm novis delectentur vetera omnia ſpernentes, quaſi ἀρχαῖον omne rude ſit & impolitum, ſola autem, ut ita dicam, muſtea laudem recti mereantur. Enimvero illa eſt artium omnium ſcientiarumque natura, ut quoniam humano ingenio atque induſtriæ ortum progreſſumque ſuum debeant, cum tempore capiant incrementum, cum tempore quoque detrimentum patiantur & tantum non intereant; prout nimirum plus minuſve, ab hominibus magno ingenio & judicio præditis, doctrinæ cuique excolendæ impenditur. Eo ſane fit ſæpenumero, ut majorum res noſtris, ut noſtræ quoque illis multum antecellant. Certè ad commendationem vituperiumque non ſatis

ſatis eſt vel vetuſtum eſſe & obſoletum, vel novum & recentiſſimæ fœturæ. Eapropter nec veterem medentium conſuetudinem doctrinamque noſtri ævi inſtitutis, neq; hæc illis equidem prætulerim, unius temporis ratione habita: quin recentiora quædam vetuſtis, quædam vetuſta recentioribus cenſeo multum præpollere. Nec vero difficile id probatu fuerit, ſi res & locus hic idipſum expoſceret, imo ſi id pateretur. Et ſanè ſi eam quæ manu medetur medicinam ſpectemus, haud obſcurum fortaſſis eſt, longè illam hodie inferiore eſſe conditione quam fuit olim. Etenim qui eam hodie vulgo exercent, nulla reliquarum artis partium peritia, nulla perſonæ dignitate inſtructi eſſe ſolent, homines plerumque *βάναυσοι* & è fece vulgi; qui medici autem titulo laudantur, & artem cum dignitate faciunt, rarius videas illa *χειρουργικὰ* didiciſſe, ſæpenumero contemnere ac deſpicere. Olim vero non perinde aliud fuit Chirurgum aliud Medicum eſſe. Sanè qui ipſi Homero audit *πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων* is gnarus *ἰούς τ' ἐκτάμνειν ἐπί τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν.* Ille omnis medicinæ parens Hippocrates non minus hanc quæ manu curat artem, quàm aliam omnem excoluit, & quidem felicius quàm à prioribus exculta eſt, Cornelio etiam Celſo judice. Ejus exemplum optimi quique multis deinceps ſeculis ſunt ſecuti: Galenus certè princeps noſtri medentium ordinis & compluribus eam libris exactiſſimè docuit, & exercuit opere ipſo. Haud me latet, jam tum priſco illo ævo hîc, alibi, diſcerpta quaſi in partes, ut ita loquar, fuiſſe Medicinæ officia; in Ægypto præcipue pene ſingulis morbis ſuos ſingulatim medicos datos, eoque Chirurgiam ab alijs artis partibus deductam per profeſſores ibi increviſſe, maxime Philoxeno autore. Attamen hic mos non profectò ſeſe probavit excellentiſſimis quibuſq; artificibus noſtris; qui proinde artis omnem partem & animo & opere complecti ex re eſſe exiſtimaverunt.

Sequiore demum tempeſtate, à ſeculo uſque Chriſtiano VI, inter Arabes præcipuè & Barbaros Græculos, mos ille novus inolevit; contage hinc ſerpente in Occidentalia Europæ regna, quæ ſeculo tertio decimo, ut Philoſophiæ ita & Medicinæ ſtudia, ex Arabum libris Latinè verſis cœperunt petere. Permultum autem ille mos nocuit humano generi. Ex quo enim omnis illa manus opera ijs, qui ſanitatis morborumq; majorē curam ſuſcipiunt, medicis juſto minus cœpit perſpici, factum eſt, ut Medici quidem illi, iſthoc remedij genere deſtituti, ſæpenumero paſſi ſint vim quorundā morborum ad deſperationem uſq; augeſcere, qui à manu potuiſſent accipere medelam: Chirurgi verò artis Medicæ imperiti perfrequenter confugiunt (ut alia nunc taceam) ad aſpera ignis & ferri remedia, non tantū nullâ poſcente neceſſitate ſed etiam morbi natura id improbante. Certè iſthæc Chirurgiæ à reliqua arte diviſio peperit nobis & illam utriuſque ordinis infelicem medicationem, & Chirurgorum maxime, qua illorum plerique laborant, ſtupidam imperitiam. Non ego contendo, manum omni operi ab ipſo qui medicinam facit eſſe admovendam: non enim id poſtulat ratio ſanitatis, fortaſſis & infra decorum eſt ac dignitatem, qua Medicos pollere in hominum ſocietate par eſt. Nec verò ab architecto etiam quis prudens exegĕrit viliſſimas quaſque operas ſtruendæ domui neceſſarias. Tantum volo, illi cui ſanitatis cura committitur etiam manuaria illa remedia intimè cognita eſſe oportere: ſiquidem ſpem de ſe excitatam velit tueri, adeoque ſuo ſatisfacere officio. Et vero jam ab avorum uſque memoria id paſſim elegantiſſimis quibuſque medentium eſt viſum: qui proinde, utut manum ſuam abſtinuerint ab opere, tamen in tantùm Chirurgiæ ſibi peritiam acquiſivere, ut *βαναύσοις* illis imperare didicerint, haud aliter atque famulantium manus architectus moderatur & gubernat. Hinc ex

eo tempore ſcriptis præclariſſimorum quorundam medicorum illum in modum vetuſtiſſima iſthæc medicinæ pars denuò eſt exculta, ut non tantum ad priſcũ illa decus reſurrexerit, ſed (niſi fallor) in nonnullis antiqui ævi ſuperaverit conatus. Nec enim non eximiam laudem jam tum ante hoſce centum amplius annos commeriti ſunt apud Italos Joannes de Vigo præcipue, & cujus ego aureum de Fractura Cranij librum multo ſtudio emendatum adoleſcens feci iterum in Batavis excudi, Jacobus Berengarius Carpus, ut & illius diſcipulus Marianus Sanctus Barolitanus. Quorum veſtigijs feliciter inſtiterunt deinceps Angelus Bologninus, Michaël Angelus Blondus, Bartholomæus Maggius, Alfonſus Ferrius. Imò quos ſuperarunt cum alij tum Gabriel Falloppius, Caſpar Taliacotius, Julius Cæſar Arantius, Cæſar Magatus, Joannes Andreas de Cruce, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, & qui unus pro omnibus eſt, Machaon noſtri ſeculi, Marcus Aurelius Severinus. Gallia quoque ita hoc in loco laboravit, ut Italiæ dubiam palmam fecerit per Tagaultium, Vidum Vidium patria quidem Italum qui tamen Franciſci regis auſpicio Pariſiis docuit, Bartholomæum Cabrolium, præcipue vero per Ambroſium Paræum. Pauciores quidem Germania in æmulationem hujus laudis produxit hactenus, forte tamen (ne quid de Matthia Glandorpio dixerim) licet unum Guilhelmum Fabricium Hildanum multis contra Italorum Gallorumque æſtimare: ſive induſtriam ſpectes, ſive in excogitandis judicandiſque remedijs illis promptiſſimum ingenium. Non inferiora Thomam Fienum ſecutum fuiſſe, docuerint ſoli libri de cauterijs, quos jam tum junior edidit: multo maxime monſtrabunt, quos nunc primùm edo ejuſdem libelli varij. Anni viginti ſunt & quod excurrit, cum adoleſcens Lugduni Batavorum in publica librorum auctione, Lovanij quondam exaratum co-
 dicem,

dicem, & hos & præterea alterum de Hominis generatione alterum deSpiritibus continentem, mihi comparavi. Jam tum videlicet colebam Fienum ſummæ doctrinæ nomine, excitatus diligenti lectione ſcriptorum ejus, potiſſimum quæ de Viribus imaginationis, deq; fœtus formatrice cauſa ediderat; cujuſmodi contemplationibus iſthæc mea ætas unicè delectabatur. Quanquam enim ſententias ſuas omnes haud mihi perſuaſiſſet, admirabar tamen ingentem viri eruditionem, inq; diſputando ſcholaſticam ſubtilitatẽ, in medico argumento à nemine quod ſcirem adhibitam. Et vero non tantum artem ille medicam feliciter & fecit & excoluit, ſed in florentiſſimos Philoſophiæ campos digreſſus, vel ſolis ingentibus conatibus admirationem commeruit; ut qui docere ſit aggreſſus, non accurate minus quam ſummâ ingenij libertate, quibus rimandis acies mentis humanæ vulgo obtundi ſolet. Cæterum etſi iſthoc theſauro, favente fortuna, præ alijs fuerim potitus, neutiquam tamen illum mihi ſoli vindicavi, ſed & legendum & exſcribendum petentibus amicis nunquam non conceſſi: imò jamdudum publicaſſem, niſi intercesſiſſet autoritas ipſiuſmet Fieni. Cum enim ſtatim atque emiſſem codicem illum, ejus editionem Typographus flagitaret, nec ego renuerem, prius tamen duxi Fieni ipſius voluntatem mihi per literas explorandam. Atque ille quidem humaniſſimè reſpondit; ab edendo autem deterrere me eſt conatus, cauſſatus opuſculorum ruditatem, ceu quæ nec limata ſatis, inque tyronum uſum deproperata potius quàm elaborata ſint. In doctrina de Spiritibus multa exercitij gratia diſputata, à quibus ipſe nunc diſſentiret: de Generatione autem hominis juſtum jam volumen ſibi præ manibus eſſe mox lucem viſurum. Non multo poſt vir planè eximius animam optime de ſolidiore Philoſophia & Medica arte commeritam Deo reddidit: eoque iſthæc Epiſtola prope teſtamenti

loco

loco apud me fuit hactenus, à cujus legibus non liceat abire. Simul autem ratus ſum, curam edendi fortasſis alteri alicui in Belgio commiſſam, quoniam plurima exquiſiti illius ingenij *ἀνέκδοτα* ſupereſſe intellexerim. Longè tamen præclarius ſemper de opuſculis illis, quæ in meam poſſesſionem venerant, judicavi. Etenim ut fortè mutaverit autor nonnulla quæ de Spiritibus diſputavit animati corporis, tamen perſtitiſſe illum in fabuloſis illis ſpiritibus explodendis, docent quæ paulo ante obitum Ludovico Gardinio & Antonio Ponte Santacrucio repoſuit. Nec obſervavi hactenus, præter paucula in doctrina de hominis generatione, à meis illis disſidentia: & licet juſto alio volumine autor nobile hoc argumentum ſit exſecutus, tamen meum illud & perdoctum eſt, & nihil penè negligit eorum quæ huc faciant. In Chirurgicis quoque libellis gravisſima quæque omnis ejus medicinæ ſunt perſpicue breviter & ſummo judicio diſputata: quorum pleraque noſtro primùm ævo uſum aliquem acceperunt, ita tamen ut in vulgo etiamnum aut ignorentur, aut vel nunquam vel perperam exerceantur, magno humanæ ſanitatis incommodo. Ea ſanè librorum utilitas identidem me dubium reddidit, num debeam ab edendo abſtinere, quemadmodum placuit Fieno; an vero publici boni cauſa à præſcripto illo fas ſit diſcedere, & plurium votis aliud contendentium ſatisfacere. Et vero haud ignoro, Maronis quoque Æneida, divinum carmen, immiti patris ſententiâ damnatam, contra ultimam voluntatem non tantùm ſervatam à rogo, ſed & publicatam, eoque nomine omnem poſteritatem Auguſto Cæſari gratias agere. Hactenus quoque fruſtra me fuiſſe video in expectandis Belgis; quorum de ſtudijs cum omnium optimè Fienus meruerit, utiq; illi ad majorem præ alijs erga defunctum pietatem obligantur. Igitur duxi tandem, commodi publici rationem ponendam

merito

merito ante duram illam Fieni in fœtum ſuum inclementiam; atque adeo nunc voluminis mei Fieniani edendi initium facio à duodecim Chirurgicis libellis, qui primi quoque iſthoc in ordine ſunt collocati; reliqua primâ occaſione additurus. Neque enim dubito, ſi quæ in ijs minus accurata, aut Fieniano acumine indigniora, occurrerint, veniam illa apud æquum lectorem facile impetratura; ut quæ non tantùm non ultimam ſed ne alteram quidem autoris manum acceperint. Ego ſane Varij exemplo nihil auſus fui mutare: ſed conſultisſimum judicavi, relinquere omnia prout in manus ſeſe meas dederunt. Tibi vero, Nobilisſime Lilienſtrômi, præ alijs opus hoc quando mitto, neſcio num mihi apologetico ſit opus, quod auſim viro reipublicæ negotijs occupatisſimo Chirurgica, meo amico magno peregrinum munus quaſi conſecrare. Sed primum quidem illud facile excuſavero vel eo unico, quod ab ijs qui reipublicæ curam gerunt nihil ſit meritò alienum, quod ad civium ſalutem quoquomodo pertinet; cujuſmodi Chirurgica iſthæc eſſe nemo non prudentior cenſuerit. Ad hoc conſtat, reges principeſque optimos ab omni uſque ævo non tantùm medicinæ artifices magni æſtimaſſe, & præmijs ingentibus foviſſe, verùm quoſdã etiam non dubitaſſe ſuâ manu ægrotis medicinam facere, remedia morborum invenire, eaque poſteritati ſuo etiam indito cognomento tranſmittere. Fateor equidem non eſſe id regiæ profeſſionis; nec licere, niſi quando reſpublica permittit otiari & alia agere; invitat tamen medicos hoc exemplum haud immerito, ad ſua ſcripta offerenda ijs qui in republica verſantur adminiſtranda. Fortaſſis etiam non alienum opus, ſed meum haberi debet, quod viginti amplius annorum poſſesſione mihi vindicavi. Sed nolo hoc nunc prætexere; quin ultrò affirmo, æquum eſſe, & amicitiæ noſtræ veteri, tuo cumprimis in me favori,

conve-

conveniens, ut aliquod ipſemet excirem ad poſteritatem neceſſitudinis noſtræ monumentum. Imo id me daturum operam ſancte promitto. Tantum itaque volo accipias hæc Fieniana, Nobiliſſime Lilienſtrômi, tanquam pignus illuſtrioris ſecuturi teſtimonij meæ erga Te obſervantiæ, ſiquidem Deo viſum fuerit vitam prorogare. Etenim nunc quidem dignum utroque noſtrum nihil ad manum eſt: ubi otium fuerit, promam forte aliquid ex politico meo penu. Interea etiam ſic, arbitror, ex parte conſtabit in publicum, mutuus inter nos amor, & qua te colo reverentia. Sanctiſſimum numen veneror, ut hic annus Germanico Imperio reddat pacem, regni Sueonum continuet felices ſucceſſus, & tibi tuiſque ſit proſper ac ſalutaris. Helmeſtadio ex Academia Julia, Idibus Januarijs, Anno CIↃ IↃC XLIX.

Clariſſimo Dn. HERMANNO CONRINGIO
Lugdunum Batavorum.

ACcepi literas tuas, ornatiſſime D. Conringi, tribus abhinc vel paulò amplius ſeptimanis; quibus quod ab urbe abfuerim, citius reſpondendi occaſio non fuit. Quandonam tuæ datæ fuerint, merito dubitare poſſem, quia videris erraſſe in deſignatione temporis. Scripſiſti enim datas eſſe 1629, & tamen propridiè Calendarum Septemb. quæ ſimul conſiſtere non poſſunt; ſed conjicio ſatis probabiliter, te pro verbo Septemb. voluiſſe ſcribere Decembris. Interim mihi gratiſſimæ fuerunt, tum propter diſputationem tuam de Calido innato, quam illis adjunxiſti, quæ mihi perplacet & tuam doctrinam luculenter teſtatur: tum quod tuum ergà me declarant affectum, pro quo gratias ago. Gaudeo videre ſtudia illa theorica & Philoſophica, quæ nunquam ante tempora Dn. Jacchæi; ſaltem à 46 vel ſeptem annis, quibus ego in illa univerſitate olim habitavi; hucuſque in pretio

 fuiſſe,

fuere, quod nunc ſub ipſo incipiant florere. Confido autem, ea ingenio & doctrina continuò auctum, alioſq; Profeſſores illius exemplo paulatim magis magiſque ad ea accenſum & inſtigatum iri. Rogas, an bona venia mea liceat tibi nonnullos meos tractatulos mearum lectionum, quondam à quodam hic ſcriptis exceptos in lucem dare? Rogo te per affectum tuum erga me, hoc ne facias, quia nomini ac honori meo injuriam faceres. Scio eſſe rudes, impolitos, non limatos; ſicut ſunt omnia dictata mea, quæ ſtudioſis prælego. Habemus ſemper & rariſſimos auditores, (omnes in Italiam ſemper confluunt) & communiter ſtupidos, ignaros, nec dignos doctis limatis aut valde elucubratis lectionibus. Hinc dictata mea ſemper leviter conſcribo, conſiſus rationi auditorum facilè ſuffectura. Infinites ſcribo ea ſummá celeritate, mediâ horâ, imò ſæpè quadrante horæ, ante tempus cathedræ aſcendendæ. Teſtor Deum me non recordari, quod decies in vitâ illa unquam reſcripſerim; tantùm abeſt ut curioſè limaverim; ſed ſemper ſicut primò in calamum incidere ita in cathedra per os exiere; & ſæpiſſimè uti in ipſamet ex tempore concepta, ita prælegi. Quis tam abortivos & informes fœtus deſideret in lucem prodire? Nunquam fuit mihi vel minima cogitatio lectiones meas in lucem edendi, imò ne à quoquam me invito ederentur ſtudui: ſemper ergo ſoleo eas ſub finem relinquere imperfectas, ne à quoquam poſſint ſuppleri & ſic edi. Curationes illæ chirurgicæ nullius doctrinæ ſunt, nec dignæ ut poſſint juſtum libellum conficere. Tractatum de Spiritibus ſcio valdè eſſe rudem & imperfectum, & multa continere paradoxa, exercendis ſolummodò ſtudioſorum ad publicas diſputationes ingenijs poſita, quibus non adſentior. Tractatus de Generatione hominis nulla ratione edendus eſt: quia de illa materia jam juſtum volumen præ manibus habeo, quod ſpero

breví

brevi lucem viſurum. Scripſi ſeptem aut octo abhinc annis de potentia conformatrice fœtus; contra quem multa ſcripſit quidam Doctor Hiſpanus nomine SanctaCruz, ad eum mea quædam apologia ſub prælo eſt: mox ut edita erit, Dn. Jacchæo vel tibi exemplar unum tranſmittam. Ipſum dignaberis officiosè à me ſalutare, rogareque, ut honorem noſtrum ubique tueri dignetur, ſicut ego ipſius quoque libenter tuebor, ubicunque occaſio erit. Vale Ornatiſſime Dn. & ſi non grave erit, clariſſ. virum Dn. Snellium mihi à puero notum, cujus parenti Rudolpho olim triennio cohabitavi, à me ſaluta. Vale, Lovanij 24. Januar. An. 1629, quem fauſtum ac felicem tibi precor. Anhelamus hic omnes ad inducias: ſi Deus eas dederit, & mihi cum illis vitam, antiquos lares adhuc ſemel inviſam. Iterum vale. Raptim.

Tui ſtudioſiſſ.

Thomas Fienus.

XXVI.

Præmiſſa editioni ſecundæ libri de Origine Iuris Germanici Helmeſtadij anno 1649.

Sereniſſimo atque Illuſtriſſimo Principi ac Domino GEORGIO WILHELMO Duci Brunſv. & Lyneburgenſium, Domino meo clementiſſimo.

JAmdudum eſt, Princeps GEORGI WILHELME, cum patriæ regimini te deſtinatum omnes magno gaudio nobis gratularemur. Non quod tædium aliquod caperet nos præſentis tum temporis (quî enim potuerit capere, rerum potiuntibus partim patruo tuo, ſanctiſſima illâ animâ, partim fratre virtute & prudentia ætatem antegreſſo?) ſed quod, cum mortali ſorte etiam Principes vos naſci Deus voluit,

prævideremus non interruptam iri reipubl. hujus felicitatem degenere quadam ſucceſſione. Scilicet jam tum puer prodebas indolem capacem magnarum rerum, & nihil non præclari pollicentem: præſertim accedente ad nativas dotes digna loco & natalibus educatione, ſummo vitæ omnis magiſterio. Ego ſane maxima quæque nunquam dubitavi promittere huic reipubl. ſaltim ab illo uſque die, quo à Sereniſſimo Patre tuo in tuum fratriſque natu maximi literarios progreſſus, præſentibus Ordinum provinciæ ampliſſimis delegatis, juſſus inquirere, eum utrumque veſtrum non ſine admiratione deprehendi, ut omnium calculo ex ſcholæ umbra in liberiorem vitæ palæſtram dimitteremini. Nec vero potuit me non vehementer afficere cum alia doctrina tua, tum illa hiſtoriæ omnis generis peritia, qua vix ephebus omnium exſpectationem longo intervallo jam ſuperabas: idque quoniam nullus ad prudentiam felicior quam per hiſtoriam gradus, nulla ad rempubl. rectè gerendam tutior via quam per prudentiam eſt. Confirmavit ſpem ſecuta ætas, non otio non voluptatibus non ineptijs data; ſed in Bélgij Galliæ Italiæ ac Germaniæ noſtræ moribus rebuſque penitius inſpiciendis, ductu exactiſſima virtute ac prudentia viri, magno labore multoque ſtudio, id quod in vita regibus eſt feliciſſimum, exacta. Quo major autem me ſpes tenuit hactenus, eo impenſius nunc gaudeo videns te jam occupantem paternum Principatum, & quidem in ipſo ſtatim initio ita te gerentem, ut ſenectutis laudem juvenis præcipias, ipſumque meum votum multùm infra virtutem tuam fuiſſe reapſe ego comperiam. Nullam quippe reipubl. partem non primo ſtatim momento compoſuiſti: idque non tam aliena quam propria cura [, conſilij omnis caput, corpori tuo præſens. Vix aggreſſus rempublicam eras, cum & Academiæ tuæ Juliæ clavum ſummum illico apprehenderes: il-

lud quoque inter prima officij tui regij eſſe exiſtimans, cavere ne quid Eccleſiæ ac reipubl. ſeminarium capiat detrimenti. Et vero ſeriò in id hactenus laboraſti cum multis alijs modis, tum præcipue à calumnijs defenſa, quantum in te fuit, innocentia virorum optime meritorum. Hæc cuncta quo expeditius agas indies, omne otium, omnem luxum, omnem libidinem, commeſſationes omnes, omnem crapulam ex aula tua inuſitato exemplo profligaſti. Non morio, non ſcurra, non adulator, non pſaltria, vel inter menſæ tuæ oblectamenta comparet. Cum initium adveniens ita dederis, parum abeſt, Princeps bone, quin aureum aliquod, te Duce, ſeculum ſperemus; facile certè jam ſolamur longi belli diſpendia, neque dubitamus ſaltim meliores quoſque ad exemplar vitæ tuæ ſeſe & ſua compoſituros. Enimvero nullus equidem ambigo, nihil te non acturum quo tua hæc regio, *opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit*: cum unice habeas propoſitum curis tuis beatam civium vitam. Quæ itaque incautius irrepſerunt qua publice qua privatim vitia, illa tuo ſingulari beneficio paulatim correctum iri confidimus: eoque & judicijs ipſis pene jam tum audemus meliorem aliquam formam polliceri, præſertim cum & reliqua omnis provincia & hæc ipſa tua Julia non unum Tribonianum aut Dorotheum facile id acturo poſſit commodare. Servet te Deus nobis incolumem PRINCEPS OPTIME: quo tu gloriæ, nos voti reddamur compotes: eaque nobis felicitas maneat diuturna. Ego ſane iſtum in morem Deum venerari non deſinam: ac proinde iſtius affectus mei certiſſimam arrham cupio eſſe hunc, qui ſolus nunc ad manus eſt, libellum, mole quidem tenuem argumento tamen fortaſſis haud omnino te indignum. Cui ſi inter gratulantium tuorum munera locum exiguum dederis, tu quidem nihil præter ſolitum facies, ſimul tamen & ſcripto

 illi

illi aperies humanitate tua favoris publici viam, & mihi addes calcar majora molituro. Kal. Sextil. Anno cIↄ Iↄc xLIX.

XXVII.

Editioni ſecundæ libri de Origine Iuris præfixa.

BENEVOLO LECTORI S. P.

Iterum tibi damus, Lector, de Origine Juris Germanici commentarium, nulla quidem ſententia mutata, paſſim tamen inſertis multis longè auctiorem. Nam cum nova editione deſiderio, imo flagitationi, plurimorum ſatisfaciendum eſſet, viſum eſt officij eſſe, ſi ultra non detur pervenire, aliqua ſaltim tenus illam ſolito meliorem comptioremque producere. De præfatione in primam editionem rurſus addenda, fui fateor, dubius: quod in argumento verſetur à juris noſtri hiſtoria alieno. Ut repeterem tamen, pervicit, cum quod illa narret occaſionem quâ ad ſcribendum adductus ſum, tum ne qua parte peccem in memoriam magnorum reipubl. noſtræ hominum & mihi amicorum, quorum nominibus ut prima editio eſt conſecrata, ita nihil magis eſt in votis quàm ut ad poſteritatem omnem monumentum aliquod ſuperſit meæ erga illos obſervantiæ. Verum ſi præfatio iſthæc luci reddenda, omnino addenda quoque fuerunt, poſcente id cauſſæ connexu nativo, quæ novis Nihuſianis objectionibus in defenſionem meam reſpondi, quamvis itidem ab hiſtoria hac juris multum abeant. Ut adderem aliquid de Juris publici Juſtinianei per Germaniam hodie auctoritate, viſa eſt poſtulare ipſa Germanici juris hiſtoria; quæ nimirum non ſatis integra videtur niſi & hoc probe ſit expeditum. Nec tamen opus eſſe duxi novo id libello agere; ſic ſatis omnibus quæ huc faciunt

nt pertractatis, inter edita olim ad Tacitum de Moribus
ermanorum Prolegomena. Tantum itaque ſatis habui
nde nonnulla Excerpta proferre, præmiſſis quibuſdam in
utelam, adverſum Johannis Ottonis Taboris V. C. immi-
em cenſuram. Irnerium Nihuſii, aut Bononienſe potius
e Irnerio reſponſum, ſubjunxi ad ultimum: quo rectius
ateat quam contra illud inſtitui diſputatio. Nihuſiana
uippe editio rarò comparet: & futurum brevi videtur, ut
ihuſianæ quiſquiliæ omnes piper & thus amiciant, eoque
na cum alijs pereat hoc de Irnerio reſponſum, ineptijs Ni-
uſianis inſertum, niſi aliâ operâ ab interitu vindicetur.
Quod uti fiat ſaltim mea intereſt, ſi non veritatis ſuapte luce
adiantis. Kal. Sextil. C I Ↄ I Ↄ C XLIX.

XXIIX.

Præmiſſa libro Cl. Stockhuſii, De Lithargyri fumo noxio morbifico, edito Goslariæ anno 1656.

Clariſſimo medendique peritiſſimo viro SAMUELI Stockhauſen Med. D. & Cæſareæ Vrbis liberæ Goslarienſis Phyſico.

S. P.

Liber tuus, Clariſſime Stockhuſi, multis de cauſis pluri-
mum placuit. Primo enim ipſe ille tuus conatus ex-
licandi naturam morbi minus in vulgus cogniti haud exi-
guam laudem mereri eſt viſus: præſertim cum in tanto ſcri-
pturientium numero paucos invenire liceat, qui non cram-
ben ſæpius recoctam in epulas literarias detrudant, ſummo
cum ſapientum omnium faſtidio, nullo certè cum fructu.
Intereſt verò & ſanitatis, eoque publici boni, ut quicquid
eſt morborum exactè cognoſcatur: ac proinde hac in re qui
igno-

ignorantiæ noſtræ ſtudent mederi, illi mihi legitimi Apollinis filij, deque familia Æſculapij eſſe videntur. Reapſe porrò ita argumentum tuum es perſecutus, ut ſive cauſam morbi ſpectem, ſive ejus curationem, pertraxeris me ſaltem ita in ſententiam tuam, ut illi refragari non auſim. Scilicet ne quid diffitear, morbos iſtos metallicos uſu minus compertos habeo; cogor proinde, quod experientiam quidem attinet, aliorũ fide niti quam maxime. Sic vero induſtriam tuam mihi à quam multis annis, ex quo & hîc auditorem Scholæ noſtræ & in illa antiqua ac celebri urbe jam Medicum agens, hactenus probaviſti, ut narrationibus tuis credam ſecurus, idque non minus quam alterius cujuſpiam medici doctiſſimi & maximè ſeduli. Nec vero me movet quidquam, quod ab alijs hæc non ſint perinde dicta. A pauciſſimis quippe ſcriptoribus eſt tactum, quos affectus ex metallicis fumis ſentiant *μεταλλοῦργοι*. Nec enim ex veteri ævo id qui docuerit, quem laudaveris; inter noſtri temporis Medicos haud temere itidem reperias qui id præſtiterit eâ qua par eſt curâ, etſi per eos acceſſionem arti factam eſſe, invidia fuerit negare vel improbitas. Cujus ego cauſam exiſtimo, quod paucis contigerit medicinam facere illis locis, ubi metalla omnis generis ex terris eruuntur, præparanturque in vitæ humanæ uſum: multo paucioribus allubeſcat, pergere ulterius ſuopte ductu quam quò vulgo eſt itum, ſive per imperitiam ſive per negligentiam. Cæterum à lithargyri fumo eſſe illum quem deſcribis morbum metallurgis veſtris familiarem, me quidem judice rectè colligis. Si enim ſolis illis, qui circa lithargyrum verſantur contingit hoc mali, nec niſi tum quando vehementi igne in fumum uritur, quid nî proba ſit tua collectio? Accedit quod quæ à Nicandro in Alexipharmacis, à Dioſcoride (ſive quis alius fuerit auctor, quod veriſimilius) l. 6. c. 27. à Scribonio Largo c. 18, ab Aëtio, ut & ab hujus ex-

jus exſcriptore Avicenna narrantur, à lithargyrio poto pervenire, partim eadem ſint, partim non multum diverſa ab ijs quæ metallurgi veſtri patiuntur. Et vero quidni ex parte alia ſint ſymptomata fumi in ventrem attracti, alia ipſius lithargyrij crudi? indubie enim ἐμπυρεύματος nonnihil contraxit fumus, cum ipſe crudus lithargyrus levi corporis noſtri calore vim aliquam concipiat nonnunquam, & quaſi accendatur; ferme haud aliter atque argentum vivum; quod & Andreæ Cæſalpino eſt obſervatum. Nervis inimicam eſſe evaporationem, non eſt quod miretur quis: cum eadem ſit plumbi & plumbeorum omnium non minus pene atque hydrargyri malitia, & plumbi naturam lithargyrus participet. Sed & ipſe lithargyrus ſine nervorum noxa ſæpe haud tractatur: ceu figulis eſt notum, qui ex lithargyro cum arenâ vitri aut ſtanni cinere vitream cruſtam fictilibus ſuis inducunt, contractis inde doloribus arthridem mentientibus, convulſionibus item & reſolutionibus nervorum. Memini ante hos decem annos curatum abs me eximium juvenem; qui cum ad ſcabiei pertinaciam tollendam rubri cujuſdam lithargyrij uncijs quatuor, diebus canicularibus, interque maximos æſtus, lumbos & articulos inunxiſſet, non multò poſt incurrerat in frequentiſſimum ſpaſmum, dolorem nocturnum, alvi & veſicæ tarditatem, cum perfrigeratione habitus corporis gingivarumque, & ventriculi nauſea, ac multa ſiti: quæ mala ego tum maximam partem non dubitavi perverſæ lithargyrij illius facultati adſcribere. Ut ad tuum itaque morbum revertar, ego non video, quare non debeam accedere opinioni tuæ de illius cauſis. Non diſplicet vero & quam laudaviſti curandi ratio, præſertim cum & veterum & quotidiana experientia illam commendet. Perge vero quo cœpiſti pede ad alios quoque metallicis veſtris familiares affectus penitus ſcrutandos. Nec enim du-

biro, multos eorum vulgò itidem minus cognoſci. Certe nemo eſt, qui in toto hoc argumento fecerit ſcripto aliquo pretium operæ; etſi plurimos hominum veſtrorum affectus ad cauſas manifeſtas reducere citra laborem liceat. Quin tu poſſis aliquid poſteritate dignum præſtare, equidem nullus dubito: velim vero etiam ipſimet tibi id ſit perſuaſum, ne dum nimis humiliter de te ſentis etiam conatum omnem bene merendi intermittas. Vale mi Stockhuſi, & ſalve plurimum. Helmſtadij 1649. Kal. Octobris.

XXIX.

Addita libro H. Iordani De eo quod in morbis eſt divinum, edito Francofurti anno 1651.

Clariſſimo Doctiſſimoq; Viro HIERONYMO JORDANO Medico inclytæ urbis Göttingenſis, S. P. D.

DIſſertationem de eo quod eſt in morbis divinum, quam transmiſiſti, Clariſſime Jordane, legi, & quidem prout rogaveras, non oſcitanter, ſed cum quadam curâ. Placuit illa mihi mirificè: cum argumenti raritate, tum exacta tractandi ratione, imo ne quid diſſimulem, etiam eo, quod tibi jam adultiori viderim adhuc probari ſententias, quas à me junior acceperas. Neque vero etiam ipſemet ego, ex quo tempore Juliam noſtram tu reliquiſti, mentem ſuper iſthac re mutavi. Sed perſtat ſententia: Hippocrati quidem (ſive quis alius eſt Prognoſticorum ſcriptor) illud τὸ θεῖον ſignificare aliquid naturæ vires excedens; ejuſmodi verò in nullo non morborum genere frequentius deliteſcere quam vulgò credimus: ſubeſſe autem, non tantùm quando συμπτώματα apertè produnt ὑπερφυσικόν τι, vel vehementiâ ſuâ vel ipſa ſpecie, ſed etiam quum videantur intra ſuetos mali limites conſiſtere, ſi optimis ex arte adhibitis remedijs non cedant, quibus

bus aliàs ſolent curari. Sane doleo, raram adeo in medicorum libris hujus rei memoriam reperiri: eſſe qui omne hoc rideant, miror. Galenum atque ex pago alios habeo excuſatos, quod hominibus illis omnia divina ſuſpecta meritò reddiderit avitæ & paſſim receptæ religionis vanitas. Galeni verò autoritatem plus valuiſſe hactenus apud CHRISTI cultores adeo multos, quam (ne dicam de rei ipſius evidentia) ex divinis literis petita tam illuſtria exempla; hoc eſt quod me vehementer movet. Cæterum hæc opinionum illa vis eſt: imus qua itur non quà eundum eſt, & ſequimur antecedentium gregem. De curatione morborum divinorum recte cenſes, non poſſe illam probe inſtitui per remedia aliàs adhiberi ſolita, aut viâ vulgo tritâ. Quare nè quidem Magicæ herbarum vires voto reſpondeant, ejus cauſam eſſe arbitror, quod illas herbas dæmones olim voluerint eſſe pro arcanis quibuſdam ſymbolis (ſi loqui ita fas eſt) ſuæ in cultores gratiæ: adeoque δαιμονολατρεία è medio ſublatâ fruſtra ab illis decantatis herbis auxilij quicquam expectari. Quæ de ſupernaturali morborum iſtorum curâ diſſeris, itidem perplacent. Velim tamen abs te diligentius expendi, quæ adverſus Martinum Delrium & alios diſputaſti. Nec enim tecum auſim equidem impietatis aut ſuperſtitionis accuſare illorum ſententiam. Ut tamen nihil mutaveris, digniſſima eſt Diſſertatio tua luce publicâ. quippe quæ & breviter & eruditè adeo omne hoc argumentum eſt perſecuta, ut aliorum grandibus voluminibus dubiam, me judice, palmam fecerit. Certe ſi publico meditationes tuas non invideris, benè de re Medicâ noſtrâ es meriturus. Perge vero in illo ſtudiorum genere, ut ſoles; ac oſtende quid ſit, ex Helmſtadienſi diſciplinâ eſſe profectum. Vale mi Jordane, & plurimum ſalve. Helmſtadij in Academia Julia Non. Maji Anno 1648.

XXX.

Eidem libro præfixa

Et ad eundem HIERONYMUM JORDANUM.

FAcinus laude dignum præſtitiſti, mi Jordane, qui Diſſertationi tuæ juſtam libri formam induens, multa antehac non tacta addidiſti, explicaſti alia obſcurius dicta, nonnulla & in meliùs verſâ ſententiâ commutaſti. Scilicet in officio eſt viri philoſophi, omnibus omnino προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, eaque expoſcente καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ût eleganter jam olim locutus eſt Ariſtoteles noſter. Nec aliud præclarius argumentum facile potuiſſes eligere, in quo ingenium exerceres; imo in quo oſtenderes doctrinam tuam, non unius artis aut ſcientiæ limitibus circumſcriptam. Quâm placuerit liber, non eſt quod roges: quum jam tum animi mei ſententiam de Diſſertatione, procul amore quo te alias maximè proſequor, per epiſtolam expoſuerim. Abſit enim ut probem illud σκῶμμα: *magnus liber magnum malum.* Tua certè quò prolixiora eò gratiora ſunt. Imo ut pergas in hoc campo laborare quâ cæpiſti ratione, etiam atque etiam ſuadeo. Enimvero ut in morbis ſæpius quam vulgo arbitramur latet θεῖόν τι: ita reliquis omnibus Naturæ operibus frequentiſſime Geniorum vis eſt permiſta. Quam rem tamen æque negligenter & infeliciter hactenus egerunt Philoſophi, atque in divinis morbis cum dignoſcendis tum curandis Medici noſtri ſunt verſati. Id quod cum indignum ſit veritatis ſtudio, ſimulque pietati in DEUM vim faciat, impetus mihi non ſemel natus eſt occupandi hunc locum, vacuum hactenus, aut certe à Philoſophis vulgò derelictum: eoque nec dubitavi iſtam operam libro de Hermeticâ Medicinâ publico polliceri. Nolo tamen me exſpectari, ſi tu velis idem aggredi. Quod

fortaſſis non adeo difficile fuerit jam verſato in hac de divinis morbis materie: utpote quum ijſdem ex fontibus petenda ſit ejus, quod omnì mundo ineſt naturæ vires exſuperans, notitia, unde intelligitur id quod ſingulatim divinum in morbis reperitur. Vale, mí Jordane, in publicum bonum. Helmſtadio ex Academiâ Juliâ Non. Octobr. 1649.

XXXI.

Præfixa Georgij VVicelij Viæ Regiæ aliisq. idgenus ab ſeſe collectis & uno volumine editis Helmeſtadij Anno 1650.

Illuſtriſſimo Domino JOANNI ADELERO SALVIO S. R. M. Regnique Sueciæ Senatori, Conſiliario arcano, Cancellario aulico, & in Germaniam Legato, Domino Adlersburgi, Harſefeldiæ, Wildenbruchi & Tüllingæ.

VNiverſæ omnem per terrarum orbem extenſæ Eccleſiæ eum, qui aliquot proximis ſeculis fuit, ſtatum intuenti liquido apparet, multùm quidem illum ubivis mutaſſe à primis inſtitutis, nuſquam tamen magis quàm in hoc Occidente & Septentrione; quæ pars Romanum Papam addictius coluit. Mores ſane vitamque omnem hiſce in terris non populi tantùm, ſed etiam cleri, & quidem hujus maxime, à priſca ſanctimonia omnino degeneraſſe, uſque eſt adeo notum, ut nec hodie id negare quiſquam temere auſit; & qui auſit, publica voce Alvari Pelagij, Bernhardi Morlanenſis, Nicolai Clemangij, Joannis Gerſonis, Petri de Alliaco, aliorumque plurimorum, quorum extra controverſiam eſt fides & auctoritas, facilè poſſit coargui. In tanta verò morum omnium corruptela nec doctrinæ ſuam manſiſſe integritatem, etſi aliunde non conſtaret, tamen vel ipſa illa

corruptela ſatis proderet. Quod ipſum aliis quoque jam notatum eſt, interque eos ipſi Alphonſo de Caſtro, cujus hæc ſunt verba l. 3, c. 5. De juſta hæreticorum punitione: *Difficile eſt niſi Deus ipſe cuſtodiat, tanta ſacerdotum indignitate, & tam ſcelerata illorum vita exiſtente, Chriſtianam religionem eſſe ubiq; integram.* Et vero ita cum ingenio eſt humano comparatum, ut ſiquando in vitia prolabitur perverſas mox ſententias, quæ aut foveant ſcelus aut blande excuſent, incipiat fingere, eaſque initio quidem verecundius, inde vero, peccandi creſcente audacia, aperte propugnet. Quod omnium gentium exempla nos docent: in quibus licet non defuerint qui rectum & ſentirent & facerent, ad multitudinis tamen deſideria quamvis peſſima compoſitæ paſſim ſunt publicæ ſententiæ. Et vero ita uſu veniſſe in hac Occidentis & Septentrionis Eccleſia reapſe experimur. Sunt Salvatoris noſtri inſtituta omnia à potentia ſtruenda, ab augendis opibus, à luxuria, quæ vulgo prima mortales æſtimant, quam alieniſſima: tantum certe abeſt illa iſthuc facere, ut quicquid hujus eſt ſtudij potius improbent, cumprimis ab Epiſcopis & clero procul eſſe ſevere jubeant. Quo ipſo impudens non minus quam impia calumnia refellitur: tanquam non niſi in reip. aliquem uſum callide efficta ſit religio omnis Chriſtiana, etiam priſca illa & genuina: quum tamen illa votis & ſpei plærorumq; hujus mundi regnorum civitatumq; frequentiſſime adverſetur, & ærumnas magis exſpectare nos hîc jubeat quam tranquilla & felicia. Cæterum ea vis fuit ambitionis & luxuriæ, ut veteris quidem illius & ſanctæ doctrinæ pars magna in lucri & potentiæ inſtrumentũ verterit, vix ſolo eo intaminato quod in uſum ejuſmodi torqueri haud idoneum eſt; alia vero aut noviter fuerint efficta aut jam ante ſuperſtitioſe exorta lætiſſime adoleverint, prout quæſtui & potentiæ inſervire quæque ſunt credita. Enimvero

vero ſi excipias θεωρητικώτερα illa priſco fidei ſymbolo comprehenſa, nihil pene non Chriſtianæ diſciplinæ à peſtilenti hoc ſidere eſt afflatum. Ita pro Dei unius cultu aucta in immenſum τῆς θεοτόκου, ſanctorum martyrum, imaginum, & τῶν λειψάνων lucroſa veneratio. Productus in medium purgatorius furnus, iſque ab infernali flamma excalefactus; inde tamen evadendi propoſita ſpe per jubiléa & indulgentias, felicia ad parandam pecuniam aucupia. Singulorum criminum confitendi neceſſitate primùm omnibus incuſſus magnus metus, inde ingens deſiderium, quovis pretio expiandi delictum; cuius ut fieret compos Papa cum ſuo clero, intenſa excommunicationis & interdictorum vis, diſpenſandi inſolens licentia introducta, votorum juramentorumque diſſolvendorum addita poteſtate, inque id pœnitentiariæ taxa eſt propoſita. Ut populus in ſtuporem conjiceretur adeoque ille eo promptius ſerviret, non tantùm linguâ populo ignotâ ſacra ſolennia ſunt inſtituta, ſed ſufficere illi ad ſalutem, Eccleſiæ ſolam cæcam obedientiam cum omnis Chriſtianæ fidei ignorantia conjunctam, perſuaſum eſt. Quo clerus plurimùm emineret doceri etiam cæptum eſt, uni illi datum εὐχαριστίας offerre: eo autem ipſo ſacrificium quale in cruce Dominus peregit fieri, atque adeo in cleri & quidem unius cleri eſſe arbitrio ſitum, Chriſtum ipſum ſiſtere, includere, promere, circumferre. In eundem finem commode arrepta eſt quæ ſenſim irrepſerat peſſima conſuetudo, utroq; εὐχαριστίας ſymbolo ſolos clericos paſcendi, quaſi gemino beneficio indignum ſit vulgus. Cælibatus clero, ut ſanctimoniæ exemplum præberet, quondam laudatus, etſi in fornicationes, concubinatus, adulteria, & nihil non ſpurcitiæ ceſſiſſet, ſevera tamen lege fuit ſervatus, tantùm non palam facta libidini venia; quod experimento eſſet edoctum, legitimæ conjugis ſoboliſque amore vacuos, Principum patriæ-

que

quecura minus tangi, atque ad Papæ obſequium eſſe aptiſſimos. Ut idem clerus in totum ſubduceretur Regum Principumque imperio, divinæ legis beneficio hoc illi privilegium datum eſſe tradiderunt. Cumprimis Pontifex Romanus eſt evectus, attributa illi rerum divinarum humanarumque tantùm non omnium nullis legibus vinculiſque limitata poteſtate; tanquam ille ſit à Deo conſtitutus vicarius unicus, à quo velut à divino quodam viſibili capite omnis plane abſque diſcrimine & Chriſtianæ doctrinæ & Eccleſiæ res dependeat. Cui conſectarium eſt id quod Bonifacius IIX pronunciare non erubuit: *ſubeſſe Romano Pontifici, omni humana creatura omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Mitto alia complura, quæſtus & ambitionis causâ multum à vero detorta: nec enim enarrare iſthæc omnia mei eſt inſtituti.

Quamvis autem omni ævo haud defuerint, qui & voce & ſcripto turpem hanc Eccleſiæ faciem perſtrinxerint; nunquam tamen ſeriò de emendandis malis videtur in publico quidem cogitatum, quàm à Conſtantienſis & Baſileenſis conciliorum patribus. Si propius tamen intuearis, ne tum quidem magnopere aliud ab Epiſcopis fuit agitatum, quam ut ſibi parta libertate, intolerabilis Romana tyrannis nonnihil in ordinem cogeretur: reliqua ſtabilita magis dixeris quam correcta in melius, quaſi Epiſcopos ſola libertatis ſuæ cura momorderit. Hinc ſane ipſummet Sigiſmundum Cæſarem, ſperato fine fruſtratum, pœnituit impenſæ in Concilium illud operæ: ut teſtis locuples Jacobus Spigelius l. 4. commentar. ad Æneam Sylvium commemorat. Vltus vero eſt hanc rem juſtiſſimus Deus: eoque permiſit, ut pene nihil effecerint ſuis conciliorum decretis ipſimet Epiſcopi, parumque abfuerit quin mox in priſtinam ſervitutem relaberentur. Certe Romani Papæ ab eâ quam ſibi hactenus arrogarant, omnium omnino rerum divinâ poteſtate,

ſtate, nihil quicquam remiſerunt, adeoque omnem à ſuis ſententijs ad Concilium univerſale (cui ſubjicere eos tentaverant Conſtantienſes & Baſileenſes) provocationem jam tum Pius & Julius, id nominis ſecundi, publicis bullis damnare haud dubitavere. Tantùm etiam abeſt, modeſtius dehinc locutos eſſe curiæ Papalis adulatores, aut eorum impietatem à Papis coërcitam; ut jure affirmes, vilia eſſe quæ antecesſerant præ ijs quæ Innocentius IIX Alexander VI Julius II Leo X non in libris tantum, ſed etiam coram in aula, imo in concilio ipſo Lateranenſi, acclamari ſibi permiſerunt; utpote qui Deo uni debitis honoribus affici ſeſe paſſi ſint. Non tantùm quoque nihil tum emendavit Romana curia, eorum quibus omnem eccleſiam coinquinaverat, ſed etiam ad cumulum haud parum adjecit ſcelerum. Uſque adeo ut ipſimet Adriano VI hanc confeſſionem res ipſa expreſſerit: *Scimus in hac ſancta ſede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata: nec mirum ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis pontificibus in alios inferiores prælatos deſcenderit: nos declinavimus, unusquisque in vias ſuas, nec fuit jamdiu qui faceret bonum, non fuit uſque ad unum.* Quin itaque ſumme fuerit neceſſaria occidentalis Eccleſiæ emendatio ſole eſt clarius. Imo eam bonos quoſque calidiſſimis votis expetijſſe jam tum Leonis X ævo, clariſſima veritatis luce coacti ſunt ipſi adverſarij noſtri confiteri. Ipſiuſmet Adriani VI juſſu dixit Franciſcus Cheregatus in Norimbergenſibus comitijs, *univerſum mundum reformationem avide deſiderare.*

Cæterum contigit quidem ſingulari Dei beneficio, ut magna Europæ pars & viderit tandem Eccleſiæ ſuæ inolita vitia & emendaverit; quæ tamen Romano Papæ manſit addicta, ut ut & ipſa molita aliquid fuerit, magis tamen ſolito

videtur prolapſa. Etiam ipſa ſcilicet reformationis ſuæ neceſſitatem ſummam agnovit; urſerunt quoque illam quo potuerunt ſtudio cum alij quique boni. tum ipſi Cæſares Reges & Principes; eumque in finem, poſt plurimas Romanæ curiæ tergiverſationes, in Concilium tandem Tridenti coitum eſt. Verum enimvero decollavit ſpes omnis, & in contraria quæque vertit. Morum enim correctionem quod attinet, cum omnes ſumma exſpectatione tenerentur mutandæ in melius ipſiuſmet Romanæ curiæ, ac frenandæ ejus immoderatæ licentiæ, utpote quæ fons ſit malorum Eccleſiæ tantum non omnium, horribile hoc ſacrum ne tactum quidem eſt. In reliquo etiam clero potiſſima ſunt diſſimulata. Solet autem tale ſilentium, taliſque conniventia, manifeſtis quidem criminibus vim quaſi dare & auctoritatem. Nonnulla haud male legibus ſunt inſtituta: at quoniam in omnibus Papali diſpenſationi apertus ſimul campus fuit, perinde ferme eſt quaſi lex nulla lata ſit. Et vero, indulgente Papa, cernere eſt nihil eorum hodie non idemtidem violari. Vix ſoluta erat ſynodus, cum *Papa Pius IV,* (verba ſunt Thuani) *gratiam multarum rerum, quæ concilio Tridentino prohibita fuerant, palam & accepta pecunia fecit*. Certe ad primitivæ Eccleſiæ ſanctiſſimos mores & ſeveros canones nihil in Concilio Tridentino revocatum eſt; fruſtra reclamantibus Cæſaribus, Regibus, Principibus per literas per legatos, idque coram & in curia Romana & in ipſo concilio. E contrario multa ibi in ſecularis quam vocant poteſtatis præjudicium & damnum ſunt condita. Uſque adeo, ut quamvis Gallicanus clerus ſummo ſtudio nunquam non id exſequi laboraverit, quamvis etiam inter ipſas reconciliationis leges à Papa Henrico Magno id fuerit præſcriptum, non tamen hactenus Concilij hujus decretorum promulgatio auctoritate regia in Gallijs fuerit inſtituta: videntibus regibus multum detri-
menti

menti ſe accepturos, ſi in rem deduci decreta iſta paterentur. Nullum porro dogma, etſi à recta ratione maxime alienum, quod irrepſerat, vel leviter Tridenti eſt correctum. Imo haud pauca hactenus ſcholarum liberrimis diſputationibus ventilata, appenſis anathematiſmis, in cenſum eorum quæ ſine ſalutis diſpendio in dubium nequeunt vocari, recepta ſunt. Ut ſine quibus Eccleſia mille & quingentos annos fuerat Chriſtiana & catholica, abſque illis impoſterum catholicæ & Chriſtianæ illi eſſe per Tridentinos non liceat. Ejuſmodi profecto ſunt decreta de ſeptenario ſacramentorum numero, de indelebili charactere, de diverſitate baptiſmi Joannis & Chriſti, de materia & forma confirmationis, de meritis operum, de canone S. Scripturæ, deq; authentico ejuſdem textu Latino & ſimilibus. Nec enim hæc unquam, ab initio uſque Eccleſiæ, adjecto anathemate fuerant in medium propoſita: nec fas eſt credere cœlitus revelatum Tridentinis, ipſimet Deo placere nonniſi hiſce admiſſis quenquam impoſterum æternâ vita donare: nec vera Chriſti Eccleſia illi *quæ ſemel tradita eſt fidei* quidpiam addit, perinde ut *nihil in ea unquam permutat nihil minuit,* ceu recte loquitur Vincentius. Haud ignoro nonnemini viſum, *Anathemata Synodi Tridentinæ eſſe tantum contra privatorum dicta, qui quam non ſatis perceperant catholicorum doctrinam, acerbius traduxerant.* Verum ſuggeſſit hæc viro cæteroquin ſummo nimius Eccleſiaſticæ pacis amor; cui modum non inveniebat niſi figmento quodam emollitis anathematiſmis Tridentinis. Rigidiorem Synodi fuiſſe ſententiam verba decretorum utinam minus clare præ ſeſe ferrent, aut non vulgo omnibus, & quidem in ipſa Roma, animo eſſet fixum! Sane Marco Antonio de Dominis tam mitis interpretatio Romæ fuit capitalis, in ipſum ejus cadaver infami flamma ſæviente. Huic porro Concilio debet orbis inuſitati illam exempli tyranni-

dem in libris ſuſpectæ notæ proſcribendis, quæ hodie Romanæ Eccleſiæ eſt familiaris. Scilicet jam ante quidem Leo X damnato Luthero libros ſimul ejus omnes, pœna excommunicationis propoſita, legi vetuerat. Qui vero hunc ſequuti ſunt Pontifices, in diplomate eo, quod *in Cœna* appellitant, damnatis hæreticis omnibus, mox ijſdem diris proſequuti erant etiam illos qui in libris hæreticorum iſtorum forte verſantur, intra ſolos tamen hæreticorum quos ſic vocant & quidem damnatorum libros ſtabat prohibitio. Vlterius quoque extenderat quidem ſeſe Pauli IV immitis animus, Indice quodam propoſito, effectu tamen caruit rigor, ſuperſtite adhuc priſtinæ libertatis apud Eccleſiam conſcientia. In Concilio vero non probata tantum eſt illa Pauli IV prægravis ſeveritas, ſed etiam multum aucta, arbitrio Papali re omni commiſſa, & præſcriptis quibuſdam regulis longe duriſſimis. Qua auctoritate fultis Pontificibus facile deinceps fuit, inuſitata tyrannide Eccleſiæ ſuæ addictos opprimere, cum libera omni veritatis voce de dogmatibus ac Papæ & cleri vitijs corrigendis quaſi intercluſa, tum auribus ad eam audiendam obſtructis. Et vero quicquid Papæ immani potentiæ, aut ei quam ſibi vulgo arrogant clerici libertati repugnat, non minus proſcriptum eſt, quam quod aliquandiu receptis fidei ſententijs adverſatur. Nec in nupera duntaxat ſcripta in hunc modum ſævitur, ſed in ea etiam quæ jam octingentis abhinc annis nata, ipſa vetuſtate dudum autoritatem meruerunt tantum non ſacroſanctam. Namque & horum multa vel penitus excutiuntur manibus, vel acri calamo & ferro mutilantur. Quodque maximum eſt, fiunt omnia hæc ad unius Papalis curiæ, & illorum qui ab ea dependent librorum cenſores, nutum: ut proin hodie quidem nec doceri temere nec legi quidquam fas ſit niſi ex Papæ arbitrio. Qua ſeveritate neſcio an quæ unquam tyrannis fu e

nit

ſit uſa; in Eccleſia certe totius terrarum orbis hæc carent exemplo. Et tamen, ceu ante diximus, hoc quoque inſtitutum à Tridentino concilio, ſi non profectum, roboratum eſt tamen.

In cauſam vero quæ tanti nominis conventum uſque adeo præcipitem dedit inquirenti, merito quidem ante omnia offert ſeſe divina indignatio, ex cæco illuceſcentis Evangelicæ veritatis odio provocata: ceu ſolet identidem vitiorum unum, arcana Dei talione, in alterius ultionem cedere. Pontificum tamen artibus haud parum jure tribueris, quibus illi omne illud concilium ſuam in poteſtatem redegerunt. Hoc enim impetrato, ecquis miretur, nihil ibi decretum, nihil actum, quod aulæ Romanæ ſtudijs & votis quoquo modo obnititur? Quid profici potuit in illo concilio, ubi ſumma rei fuit penes eos quorum maxime intererat ne quid recepti dogmatis aut moris corrigeretur? Nec vero nunc quidem latere amplius poteſt quidquam earum artium, quibus Synodus illa fuit irretita & uni Pontifici devincta, poſtquam propitio Deo omnia ejus etiam arcane geſta, velut ex orci ipſius tenebris produxit, immortali opere, Paulus Sarpa Venetus, qui tamen, quo formidandas & plumbeas imo igneas ſuorum iras effugeret, per ἀναγραμματισμὸν, Italica phraſi obſervata, Petrus Suavis maluit audire. Etſi enim & huic ſoli noctem offundere iterum hodie tentent Jeſuitæ, per ſuum Terentium Alciatum, aut quem alium, uti jactitatur, fruſtra tamen erunt. Utque ſint fruſtra, haud difficile effectu fuerit; etiamnum ſuperſtitibus paſſim, per Italiam cumprimis, Galliam, Hiſpaniam, & ipſam Germaniam noſtram, libellis memorialibus, diarijs & arcanis literis, in ipſo concilio, curia Romana, aulis Cæſarum, Regum ac Principum, alibique in ſecretos uſus exaratis: quæ in manibus fuerunt ſcribenti hiſtoriam Paulo, & ſi opus fuerit

protrahi in medium poterunt. Nec tamen adeo clam fuit Synodi illius ſervitus, ut non & aliunde ea jamdudum fuerit prudentiori orbi manifeſta. Plena ſunt ſuperioris ſeculi monumenta querelarum, quas non tantum populi paſſim, ſed & ipſi Romanæ Eccleſiæ addicti Cæſares, Reges, Principes, Epiſcopi ſuper concilij illius iniquitate in publico, coram omnibus, non diſſimulanter effuderunt. Quas utut maleferiati illi Indices Prohibitorij ſuſpectos reddere & manibus excutere conentur, æternùm tamen clariſſimo ſplendore ſuo perſtringent malignos oculos, in veritatis teſtimonium. Hujus ſane plurimùm refert, ut in perpetua memoria hæreant. Quod uti fiat, etiam nos laboravimus hoc ipſo opere, hinc inde repetitis optimis quibuſdam libellis, iiſque in claram iterum lucem productis. Qui vel ſoli nos doceant qualis fuerit Tridentini concilij inſtitutio, quamque illa prudentiſſimis quibuſque & pientiſſimis Principibus diſplicuerit, dum ſolis Legatis Papalibus fas fuit & deliberanda proponere & deliberationes ipſas temperare, dum in dubijs quibusque reſponſa omnia Roma ſunt velut Delphis aut Dodona petita, ſpiritu illius concilij manticis tabellarij incluſo: dum denique omnes bonorum omnium conatus, famelicorum curiæque gratiam aucupantium atque in aſſentandum conductorum Epiſcoporum, eorumque magnam partem titularium, longo & numeroſo agmine Papæ oppreſſerunt & in herba quaſi ſuffocaverunt. Nihil etenim horum non elucet vel ex hiſce Cæſarum Regum Principumque literis quas exhibemus; in promptu tamen eſt plurimis id citra controverſiam fide dignis teſtimonijs alijs comprobare, ſi res expoſtulet.

Illud cumprimis dignum notatu eſt: quando Tridentini jam tum ſuas de Peccato, de Juſtificatione, de Sacramentis in genere, de Baptiſmo & Confirmatione definitiones publicaſſent,

aſſent, Carolum tamen V Cæſarem in ſuo INTERIM, haud probatis illis alia nec leviter diverſa paſſum ſanciri: ejus vero fratrem Ferdinandum Cæſarem hujuſque filium Bohemiæ tum regem Maximilianum, jam finita & concluſa omni illa Tridentina Synodo, de conciliatis religionis diſſidijs alia plane conſilia agitaſſe, Georgij Caſſandri & Georgij Wicelij, doctrinæ & moderationis laude celebrium ea tempeſtate hominum, ſententijs exquiſitis. In medio eſt Formula illa INTERIM: nec minus paſſim eſt in manibus Caſſandri reſponſum. Vt Wicelij quoque libellus impoſterum in uſu ſit publico, nos illum nunc damus ex grandi Memorabilium Wolfiano opere decerptum. Certe ſi quod aliud luculentum eſt, optimos illos & maximos Cæſares, non uti vulgo à multis fit, Tridentina placita ſuperſtitioſe veneratos eſſe: quorum veſtigijs utinam ſucceſſores inhæſiſſent! Non eſt mei inſtituti ulcera Tridentina nunc tangere, multo minus ad vivum reſecare: eſtque id jam tum ab alijs factum ab alijs idem exſpectatur: tantum mirari hic ſubit, adeo improbe & perverſe geſti concilij decreta potuiſſe apud prudentes doctos & minime impios auctoritatem ſibi conciliare priſcis concilijs ſupparem. Sane haud negaverim diſſidijs vitiiſque noſtris haud parum ali apud multos Eccleſiæ ſuæ exiſtimationem, tamen vereor ne etiam hic ſubſit arcana vis divinæ indignationis. Quicquid ſit, longè certiſſimum eſt nihil minuiſſe Eccleſiæ Romanæ mala per Tridentinum concilium, ſed in univerſum potius aucta: ita ut ipſam Papalem tyrannidem, nutantem jam & à concilio ſibi male metuentem, confirmatam & ſtabilitam illo haud injuria dixeris. Et vero ſublata jam pene eſt ex ſcholis quæſtio, ſupra concilium nec ne ſit Papa: nihil conciones, nihil ſubſellia, nihil pulpita perinde ac Papæ prærogativas, omnipotentiam & infallibilitatem detonant. In Regibus, Principibus, rebuſpu-

buſpublicis per ſævam excommunicationis formulam omni imperio exuendis, haud remiſiſſe Papas de priſtino, patrum ætas experta eſt aliquoties: ipſemet Philippus Rex, & potentiſſimus, & Romanæ fidei cum potentiæ ſuæ diſpendio ſummo vindex, fuiſſet expertus, niſi Sixti V ſæva conſilia præcipitata mors abrupiſſet. In diſpenſando contra canonum præſcriptum eadem quæ olim licentia. Breviarijs, Miſſalibus, Indicibus, Calendarijs aliiſque noviter ſolius Papæ auctoritate editis mirum quantum Papalis potentiæ opinio in vulgus invaluerit. Plura adhoc ſolito peregrinantibus aperta ſunt templa, plures indulgentiæ, plura jubilea conceſſa. Additi ſanctæ Virgini ſupra morem tituli, & intenſa ejus veneratio. Quæ omnia ut opinionem veri inveniant cum laborent præ alijs Jeſuitæ, horum Societas ſupra quam dici poteſt honoribus, opibus, & privilegijs eſt evecta.

Quando ita vero omnia Papis ſucceſſerunt, quid de Eccleſiæ iſtius reformatione ſperandum ſit impoſterum, haud fortaſſis difficile amplius divinatu eſt. Vt ſcilicet ipſiuſmet curiæ Romanæ conſenſu illa inſtituatur, fruſtra exſpectari, docent profecto omnia anteacti temporis exempla. Tot enim vota, tot conatus Cæſarum, Regum, Principum, populorum cum eluſerit illa hactenus, & quidem feliciter eluſerit, qui in futurum meliora præſumpſeris? Nec vero eſt quod exſpectes, ab aliquo eximie bono Papa id iri præſtitum. Fac enim talem aliquem fore: reapſe ille comperiet, quod Adrianus VI conqueſtus eſt, *miſeram eſſe Pontificum conditionem, ut quibus recte faciendi facultas deſit: etiam cum maxime velint & in id operam ac diligentiam impendant*; quodque Marcello II meliorum deſperatio expreſſit, teſte Onuphrio: *non videre ſeſe quomodo qui locum illum altiſſimum tenent ſalvari poſſint.* Agnovit hoc ipſum ipſe Cardinalis Sadoletus & conqueſtus eſt ad Cardinalem Contarenum ceu videre eſt

dere eſt l. Epiſtolarum nono. Tota ſcilicet fere quanta quanta eſt curia illa ex injurijs eſt conflata, infallibilitatis & omnipotentiæ Pontificiæ opinionibus ſubnixa. Quas niſi tollas fruſtra fuerit reformatio, quod ipſis Conſtantienſibus ac Baſileenſibus patribus fuit obſervatum: tollere autem non poteris niſi curia everſa. Et vero ne quid tale ſperemus, jamdudum cavit Spiritus S. prædicens, ad ultimum uſque excidij tempus regibus terræ imperaturum myſticum illud ſepticolle ſcortum; imperare autem non poterit reginæ inſtar felicia quæq; ſibi pollicentis & ſanguine martyrum ebriæ, niſi ſalva divinæ ſuæ poteſtatis exiſtimatione. Speramus tamen & nos reformationem illius Eccleſiæ, & quidem forte piâ Regum curâ (hoc enim unicum ex publico quidem ſupereſt auxilium) inſtituendam: ſed incertum an prius quam fiat illud: ὁ θεὸς ἔδωκεν εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ. Quod ipſum fore aliquando, ubi eximie mali Pontifices irritatis Regibus neceſſitatem injecerint hanc ſui muneris partem curandi, uti ſuſpicemur, inducunt nos tempora antegreſſa; quibus ſimilia mala haud ſemel viam ad veri dignotionem muniverunt.

Noſtrum interea eſt, ante omnia quidem dare operam, ut bono exemplo emendationem iſtam provocemus, ſopitis inteſtinis noſtris diſſidijs, quibus veritatem ipſam ſuſpectam reddidimus; ſtudere præterea, ut doctrina non convitijs aſpera ſed ſapiente & charitate temperata, ſegreges ac palantes in unum Eccleſiæ corpus nobiſcum congregemus. Procul ſane abſit, ut quia nos plærique illorum ſummo odio deteſtantur, etiam ipſi præſtemus paria, ac talionis lege in igne & ferro propagandæ veritatis præſidium collocemus. Quanto malo totum orbem, cumprimis Germaniam, inque ea præ alijs ipſos illos ſævitiæ laudatores diræ illæ involverint, nimis (proh dolor!) eſt in re-

centi memoria. Quidni igitur nos ſimus impoſterum cautiores, ut exuto amarulento illo zelo, ſaltim *noſtra moderatio innoteſcat omnibus?* Ingens ſane eſt in communione iſthac, cujus & majores noſtri quondam fuerunt participes, viventium hodieque ut numerus ita & diverſitas. Iniquum proinde fuerit omnes, nullo facto diſcrimine, eodem modulo metiri. Ipſemet ſane Spiritus S. in myſtica illa Babylone, & quidem jam ruinæ proxima, ſub dominatu meretricio, populum quendam ſuum agnoſcit. Graviſſimis (fatemur) erroribus implicita hæret pars Eccleſiæ illius maxima, ad ſalutem æternam cum anathematiſmo & diſſentientium execratione, exigens quæ partim falſa ſunt, partim ad ſalutem nihil faciunt. Licet tamen nobis fortaſſe dicere de illis quod de Arianis olim Salviano: *Hæretici ſunt ſed non ſcientes. Apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt: nam in tantum ſe catholicos eſſe judicant ut nos ipſos titulo hæreticæ pravitatis infament. Errant ſed bono animo errant, non odio ſed affectu Dei, honorare ſe Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant caritatem. Qualiter ergo pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicij puniendi ſint, nemo poteſt ſcire niſi judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etſi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare.* Et vero etſi *nobis, qui à Domino admoniti & inſtructi ſumus non poterit ignoſci*, ſi eadem cum illis amplexemur, forte *poteſt tamen ſimplicitati eorum de indulgentia Domini concedi venia*; quod de Aquarijs olim pronunciabat S. Cyprianus. De indulgentia inquam Domini veniam ſperamus, & quidem illorum ſimplicitati; haud neſcij ſcilicet, & quanta ſit vis inolitæ opinionis, prætertim ſubducto omni veritatis indagandæ adminiculo, quo miſera utique multitudo apud illos laborat: & quam quidem exuberans ſit Dei clementia erga ſimplices

errones

errones, gravis tamen ſimul ira in eos *qui veritatem injuſte detinent*, aut ut ventri & ambitioni ſuæ obſequantur ignorantiam affectant, & errores, præſertim lethales, eunt promotum, id quod in nonnullos quadrare clarius eſt quam ut poſſit negari. Cæterum *ſæviant illi* (mutuemur enim & verba S. Auguſtini) *qui neſciunt quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi ſæviant, qui neſciunt quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi ſæviant, qui neſciunt, quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum. Illi ſæviant, qui neſciunt quibus gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacunq; parte poſſit intelligi Deus.* Nobis nefas eſt ſævire, quorum auribus perpetuo inſonat Prophetæ illud, *veritatem & Pacem diligite*: quibus ante oculos poſita eſt lex illa Evangelica, *quod tibi non vis fieri id alteri ne feceris*: quibus denique ſemper in manibus illud Apoſtoli: *Servum Domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario ſunt animo affecti, ſiquando det eis Deus forte reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis.* Certe cum unica hac ratione & Arianos, & Apollinariſtas, & Macedonianos, & Sabellianos, aliosque ſui temporis hæreticos in viam à ſe reductos, glorietur ſanctiſſimus Nazianzenus, ſævitia autem alijs infeliciter ceſſerit, par utique eſt ad magni & ſancti adeo viri exemplum animos linguas, & calamos noſtros componere.

Non quidem ego tanto negocio peragendo aptus: imo conſcius mihi ſum tenuitatis meæ, & minime omnium ignoro quam in me ſint imbecilles ingenij & doctrinæ vires. Haud diffiteor tamen, nihil perinde eſſe in votis, quam ut & ipſe poſſim in Eccleſiæ illum uſum quidquam conferre, utque placeat Domino de paupere etiam manu mea ſaltim obulum in ſacrum gazophylacium recipere. Hoc ſane ani-

mo nunc edo farraginem hanc, non è mea penu productam, ſed variis ex opuſculis & literis in unum congeſtam. Nec enim quidquam hic meum præter ea quæ præfatus ſum & operam collectionis. Omnia tamen cum ſint à ſummis Romani cœtus aſſeclis profecta, quibus utique tuto licet fidere, operæ mihi aliquod pretium audeo polliceri apud quemvis lectorem; ut nempe ſi ille ſit Proteſtantium ordinis confirmetur in ſententia, ſin alterius, minus impoſterum adoret Tridentinum concilium, deque Papæ poteſtate & controverſis aliis religionis capitibus mitius incipiat ſentire. Et vero æqua profecto eſt poſtulatio noſtra, ut qui omnia noſtra habent ſuſpecta, ſaltim ſuis commodent fidem, iiſque non ex vulgo ſed longe maximis, ac pietate & prudentia præcellentiſſimis.

Cæterum nemo Te rectius, Illuſtriſſime Salvi, judicabit, num quem fructum conſilii hujus mei ſim accepturus nec ne: utpote qui optime omnium cum aliàs, tum longa illa Germanicæ Pacis tractatione, perſpexiſti penitus ingenium moreſque adverſæ partis: qua tu vales animi perſpicacia & acumine judicii, ſimulque divinarum humanarumque rerum peritiam multo tibi labore comparaſti. Quod ſi inſtitutum meum non improbaveris, optaverim equidem illud etiam ope & auctoritate tua promoveri. Neque verò poſt rem tam præclare Oſnabrugis actam, redditamque Germaniæ deſideratam dudum civilem pacem, in meliore nobilioreque negocio poſſis ingenium exercere. Tenet me vero etiam ſpes haud levis, quum placuerit Altiſſimo, tandem aliquando infinitis & ærumnis & cladibus emollire ad perpetuam nobiſcum pacem civilem ineundam (fruſtra reclamantibus Euſebiis & contradicente Pontifice) adverſariorum animos; fore ejuſdem optimi maximi numinis beneficio, ut iidem, remoto denſo illo ſipario, quo oculi eorum hodie obtene-

tenebrantur ne videant veritatem, exſtinctoque illo quo nos proſequuntur odio, in Eccleſiaſticis quoque ſenſim incipiant ſapere quæ pacis ſunt, tandemque perſpectâ veritate, nos ſaltim Germani qui unius reip. ſumus membra, omni ex parte ejuſdem quoque ſimus ſpiritus. Quin imo pene mihi perſuadeo; in ſancto hoc negotio eadem felicitate ſuper alios Te quoque, Vir ſumme, conſilium operamque impenſurum; qua in curanda civili pace immortali cum nominis laude es verſatus. Vt ſane Te ad illa ſtudia quaſi publica voce adigam, volumen hoc Illuſtriſſimæ tuæ Excellentiæ nunc offero. Alias nimirum in nomen tuum edam σὺν θεῷ ex proprijs ſcrinijs quid depromptum: ſimul tum profeſſurus quid tuis meritis debeam & quanti te faciam. Nunc abunde me voti compotem factum exiſtimabo, ſi annueris illi meæ exſpectationi. Quod ſi tamen hoc volumen affectu quoque illo tuo gratioſo fueris complexus, more quidem tuo ſolens facturus es; utpote qui favore in litteras & litteratos es maximo; meam tamen quam quidem nunc concepi ſpem longe ſuperabis. Servet te Deus Illuſtriſſime Salvi, & rempublicam prudentibus conſilijs tuis porro fortunet.

XXXIII.

Præmiſſa libro ſuo de Antiquitatibus Academicis edito Helmeſtadij anno 1651.

Sereniſſimo Principi ac Domino CHRISTIANO LUDOVICO Duci Brunſvicenſium & Luneburgenſium.

ANni quatuordecim amplius ſunt; quum adhuc puero Tibi, atque inter magiſtros conſtituto, Taciti de Germanorum moribus aureum libellum, aliaque ex Romanorum ævo ſimilis argumenti in unum quaſi faſciculum con-

geſta monumenta, prolixa quadam præfatione juvenis commendarem: audeo nunc iterum ſummo nomini Tuo inſcribere Diſſertationes haſce, cum gratia Tua fretus, tum quod illæ hereditario quodam jure pertinere ad Te videantur. Non enim priſtino favori quidquam deceſſiſſe, ſuper alia multa argumentum certum habeo, quod non Tibi minus quam Sereniſſimo agnato & fratri nuperrime placuerit, eximiam ſalarij annui acceſſionem cum novo honore ultro & nihil tale non modo ſperanti ſed ne cogitanti quidem offerre, quo in Julia hac ſchola porro commorandi animus permaneret. Sane hoc nomine & mihi plurimum gaudeo, & cum Tibi tum reliquis Sereniſſimis Principibus meis gratias debeo immortales. Effectum autem hoc ipſo eſt, ut non deterreat me hodie vel exigua libelli moles, vel non ſatis expolita ejus nitela, quo minus auguſtum illi nomen Tuum præſcribam. Nec vero argumenti cauſſâ eſt quod offenſam verear, tanquam illud indignum ſit Principe; quum Juliæ ſcholæ recte inpoſterum conſtituendæ firmandæque gratia magnis impenſis legatos etiam Tu hoc in loco nuper alueris, & in proxime ſequentem annum Directorium ejus Magnificentiſſimum, quod appellamus, non ordinis magis lege quam cupide ſuſceperis. Quod ſi tamen indecens aliquid habet hæc audacia mea, excuſabit me, niſi fallor, debitum illud, quo arbitror non ad alium quam ad Te pertinere, quæ magnam partem interea dum vicaria poteſtate Optimi Principis Friderici patrui tui in Julia hac defungerer, diſſerui, perinde atque Tu in omnem ejus populum gubernandi hereditario jure ſucceſſiſti. Quicquid hujus ſit, equidem non dubito, quantillum hoc eſt non inacceptum Tibi fore, mihi polliceri. Deum veneror, DOMINE, ut non tantum inſtans hic annus ſed plurimi etiam alij in ſeram uſque ſenectutem felicitati tuæ accedant. Helmſtadij prid. Kal. Januar. CIↃ IↃ C L.

XXXIII. In

XXXIII.

In eundem librum de Antiquitatibus Academicis.

BENEVOLO LECTORI S. P. D.

QUum nuper ex Suecia, quo me Reginarum quotquot ſunt aut fuerunt, fortaſſis & earum omnium quæ erunt aliquando, optima maxima evocaverat, domum reverſum exciperet jam tum ante tres menſes deſtinatus Academiæ noſtræ Juliæ magiſtratus, ſtatim ſub initium facile prævidi, id quod res poſtea docuit, eam publicorum negotiorum molem, à multis annis quaſi in cumulum congeſtam, in anguſtum illud muneris mei tempus incubituram, quæ docendo juventuti prodeſſe non permitteret. Nec tamen ut omnes illi dies ſine linea, quod ille ajebat, effluerent perirentque, æquo potui animo ferre; ac propterea cœpi circumſpicere quidnam meorum τῶν ἀνεκδότων & minima omnium cura recenſeri, & intra illud breve atque difficile Academici magiſtratus mei tempus, horis ſucciſivis, per operas typographicas poſſit abſolvi. Ita commodum inciderunt in manus meas, quarum dudum memoriam pene amiſeram, ſex hæ diſſertationes, ante decem amplius annos in hac ipſa Julia recitatæ, eæque omnes unius pene argumenti, nec ab ijs quibus immergendus iterum eram curis omnino alieni, ut quæ omnes circa Academicarum rerum hiſtoriam occupentur. Dum relego tamen & publico, haud diſſimulabo ſperato majorem mihi moleſtiam creatam; quod alia novanda, augenda alia, omnia accuratius elimanda, & medias quidem inter occupationes, ſubinde venerint. Num quod operæ fecerim pretium tuo, Lector benevole, judicio commiſſum eſto. Longe diverſa me in quam multis narrare quam vulgo cre-

go cre-

gò creditur, curioſius etiam nonnulla ſcrutatum eſſe quæ contemni paſſim ſolent, neque poſſum neque volo diffiteri. Si veritatem aſſecutus ſum, novitatis nomine haud vereor accuſari? Sin, merebor tamen fortaſſis ſaltem bono conatu errorum veniam. *Eſt* enim utique *quadam prodire tenus, ſi non datur ultra.* Ut ſollicitius in hæc etiam incumberem, effecit primùm neſcio quæ innata mihi indoles in eorum quæ offeruntur cauſſas & originem ſine intermiſſione inquirendi: deinde, & cumprimis quidem, illa delectatio quam à prima uſque pueritia ex hiſtoria cum alia tum potiſſimum literariæ rei percepi ſemper maximam. Et vero hæc cum ætate nunquam non accrevit, poſtquam ipſummet Ariſtotelem ejuſque optimos diſcipulos (quorum ſtudia jam tum adoleſcenti fuerunt id quod Themiſtocli olim trophæa Miltiadis) magnam curam accuratamque diligentiam in originem & actus omnes literariæ rei, non minus atque in hiſtoriam aliam, impendiſſe animadverti. Sed & turpe ſemper duxi ignorare inſtituta ejus vitæ quam amplexaris: quî non in ſcholarum omnia inquirere igitur fas mihi fuerit octodecim & quod excurrit annos Academicum hactenus profeſſorem agenti? Enimvero ex literariæ rei literatorumque hiſtoria, tantundem voluptatis capere licet quantum ex quavis alia. Qui in illo ſane ordine vivunt ijs non poſſunt non, arbitror, hæc jucundiſſima eſſe, niſi ſuæ illos ſortis pœniteat. Nec tamen in diſſertationibus hiſce omnia hujus argumenti ſum perſequutus, ſed multa reliqui intacta, alia non niſi levi quod ajunt tetigi brachio, partim de induſtria, partim quod non vacarit huic rei amplius immorari, imo quod & neſcierim nonnulla, quædam verò ſint jam pervulgata. Quem uſum meo judicio inſtituta ſive vetera ſive nova habeant, adeoque num bene an ſecus ceſſerint ſcholaſticæ rei, omiſi hactenus indicare; quod propriæ ac ſingularis id ſit operæ, & alias fortaſſis

taſſis ſerio à me docendum; caſtigare vero ob meritam noxam receptos mores (ut ſane mihi haud pauca noſtra emendationis videntur indigere) non immune tantum hodie ſit facinus ſed invidiæ etiam atque obtrectationi obnoxium. Nec verò eſt cur nunc quidem ultro mihi malum accerſam: nec paulo prudentiorem poſſunt fugere quæ in rem ſunt, ſi vel pauca iſthæc à me dicta eâ quâ par eſt trutinâ expenderit. Hujus loco ſubjunxi hac vice tabulas illas, quibus hanc noſtrám Juliam primum inſtituit prudentia & æquitate nemini Cæſarum ſecundus Maximilianus: quoniam deſiderari illas intellexi à quammultis, & præclara haud pauca comprehendunt, quæ alibi fruſtra quæſieris, intereſt vero publicè haud ignorari. Meo voto autem, Lector benevole, abunde nunc ſatisfeceris, ſi errantem venia, recta docentem favore fueris proſequutus.

XXXIV.

Præmiſſa libro de Purgatorio edito Helmeſtadij anno 51.

Sereniſſimo Principi ac Domino Dn. FRIDERICO Heredi Norvvegiæ Duci Sleſvvicenſium Holſatiæ Stormariæ & Ditmarſiæ, Comiti Oldenburgi & Delmenhorſti

AUdens hunc libellum, SERENISSIME PRINCEPS, in auguſtum nomen tuum edere, fortaſſis haud ſatis ex decoro agere nonnullis videbor: quod & ille ea ſit exigua mole, ut quem ambit loco indignus ſit, & ipſe ego debeam potius ex medico aut philoſophico penu aliquid depromere. Non tamen apud teipſum, hiſce quidem nominibus, reprehenſionem me incurrere ſcio, virtutis tuæ fiducia fretus. Eam enim illa de ſeſe paſſim gentium famam ſparſit,

ut cum tua fuerit injuria conjunctum, ſi ejuſmodi patiar voculis me deterreri. Neque vero ex magnitudine, ſed offerentis animo, ſpectare ſoles conſecrata tibi ἀναθήματα: & ipſemet illuſtri exemplo tuo oſtendis, non uni ſeorſim clericorum ordini religioſæ pietatis curam incumbere. Igitur cum animum obſequio omni & cultu Sereniſſimo nomini tuo devinctum, bona queam fide non promittere duntaxat, verum reapſe etiam, ſi id uſus exigat, præſtare, haud equidem dubito veniam apud te audaciæ huic meæ polliceri. Deus in cujus Eccleſiæ bonum hoc quicquid eſt libelli à me exaratum eſt, & Eccleſiæ & Reipublicæ bono Te, SERENISSIME PRINCEPS, diu felicem tueatur.

XXXV.

In eundem librum de Purgatorio.

BENEVOLO LECTORI S. P.

QUum ante hoſce quatuor fere annos exemplum Aſſertionum Johannis Mülmanni de Purgatorio, recenter tum Monaſterio ex conventu illo pacifico Germaniæ ſibi advectum, pro ea quæ inter nos dudum fuit amicitia, communicaſſet mecum, Vir & pietate & doctrina non minus quam dignitate & munere ſanctiſſimo Reverendus Juſtus Geſenius, non legi tantum illud, ſed etiam quum dies ſacri, ut ſolent, me ad religioſas curas invitarent, & illos & aliquot ſequentes viſum fuit animadverſionibus conſcribendis impendere. Iſthoc impetu verò quum perfeciſſem quæ notanda occurrerunt ad theſes priores triginta octo, & tædium fateor cepit ingratæ operæ, & negotia ordinarij muneris ad plane alia me vocavere. Eoque abrupi telam: quemadmodum tamen omnia tum erant ſub manu nata ita miſi amico, nullo mihi exemplo retento. Sed nec illa redierunt ad me niſi

ſuperi-

ſuperiore anno; nec vel tum viſa ſunt ea quæ abſolverem, tantum abeſt ut publicarem. Et vero neutrum ut agerem cumprimis permotus etiam ſum, quod viderem Mülmannianos conatus eſſe jam tum ſic ſatis feliciter repreſſos ijs Annotationibus, quas Vir Clariſſ. & jam in Academia Julia collega meus Fridericus Ulricus Calixtus, Georgij noſtri τῷ πάνυ filius, una cum Geſeniano de Purgatorio libro in lucem edidit. Non adeo pridem tamen mutavi ſententiam: poſteaquam intellexi ita ſibi placuiſſe Mülmannum & Socios re ab ſeſe geſta, ut non dubitaverint theſes illas novo titulo ſpecioſo novaq; forma indutas in vulgus ſpargere, paſſimq; etiamnum oſtentare quaſi earum multa intacta manſerint. Quæ quidem gloriatio eſt vana: veritatis tamen & bonæ cauſæ intereſt, ut erroneis placitis, quoad fieri licet, criſta penitus præcidatur, imo color omnis, quo ſeſe populo commendat, detrahatur: quod cum uno momento & una opera fieri nequeat, non licet tantum abſque vitio eundem laborem ſæpius repetere, ſed etiam id jubet commodum publicum. Et vero cum ſtrictim in quamque theſin (etſi enim eas quæ trigeſimam octavam inter & quinquageſimam mediæ intercedunt ut tangerem non potuerim à me impetrare, tamen quæ præcedunt jam ante notaveram, quæ ſequuntur autem in eas nuper calamum ſtrinxi horis ſacris) à me ſit animadverſum, fortaſſis jam denique erubeſcentes deſinent gloriari. Sane ea me tenet bonæ cauſſæ fiducia, ut quo clarius omnia pateant, & ne quis amplius ſit tergiverſandi prætextus, ipſiuſmet Mülmanni Aſſertiones, quales illæ mihi in manus venerunt, (nec enim ſcio num quid altera editione ab auctore in ijs ſit mutatum) operis hujus fini ſubjunxerim. Adjeci vero & ſeptem Programmata, ex Juliæ noſtræ more, quando ejus magiſtratu ſum functus, civibus Academicis, circa dies aliquot feſtos, publice à me propoſita; cum quod & ipſa ſacri ſint argu-

menti, tum quod eorum divulgatio à multis, & quidem nonnullis magnis viris, ſæpius à me fuerit flagitata. Fortaſſis vero & illa nonnihil boni fructus attulerint Eccleſiæ Chriſtianæ. Quod ſi profecto id factum ſenſero, & calcar ad majora additum mihi exiſtimabo, & hiſce quoque ſacris meis ſtudijs multum gratulabor. Sin minus: non dubito tamen ſaltim pio conatu haud luſiſſe me operam, apud illum, qui pauperis viduæ binos obulos non dubitavit ampliſſimis donarijs anteferre. Vale Lector ac fave. Helmeſtadij in Acad. Jul. IX. Kal. Martij. c I ɔ I ɔ c L I.

XXXVI.

Addita libro Naamanis Benſenij de Summæ poteſtatis ſubjecto contra Figlovium, edito Helmeſtadij anno 1651.

NAAMANI BENSENIO, Præſtantiſſimo virtute & doctrina Iuveni, ijſque nominibus ſibi cariſſimo S. P. D.

PRobo conſilium tuum, cariſſime Benſeni, quod conſtitueris reponere nonnihil improbis Figlovij criminationibus. Si ſane illæ mereantur reſponſionem aliquam & unus par tu es illi rei, ut qui jam tum hac ætate ad longe majora ſis idoneus, & par eſt tute unus hoc ut agas. Etſi enim nomine tuo diſſimulato in me calamum ſcurra ſtrinxerit, noſti tamen, in omni illo theſium libello, quem petit, nihil meum eſſe, ſed ex tuo omnia penu profluxiſſe, neque me amplius aſtrictum ad ulteriorem ejus defenſionem poſt publicum ſcholæ noſtræ examen jamdudum inſtitutum. Ea nimirum eſt conditio exercitationum iſtiuſmodi ſcholaſticarum, in rebus præſertim levioribus (quales quæſtiones meo Galeno λογικαὶ dicuntur) ut illæ ludi quidam ſint διαλεκτικῆς γυμνασίας; ut

oſtendat

oſtendat reſpondens, quid poſſit in defendenda propoſita theſi, opponens quid in ea oppugnanda: perinde ſicut olim dialecticæ diſputationes non fuere ζητητικῶς οὐ ἀληθῶς, ceu loquebatur Aphrodiſæus Alexander. Eo ſane animo ſoleo ego præſidium diſputantibus commodare: eoque ſæpenumero patior proponi theſes à ſententijs meis alienas, tantùm ſi ſperem in corona illa ſcholaſtica per reſpondentem meum poſſe eas defendi. Inique profecto mecum comparatum eſſet, ſi omnia, quæ in iſthac arena aliquando ſum tutatus præſidio meo, præſertim ſi me auctore non ſint propoſita, (ut ſunt plæraque) inter meas ſententias velis numerare, egoque tenear illa ſerio adverſus omnes omni tempore defendere. Si qua igitur defenſione opus ſit theſibus tuis, mi Benſeni, illa profecto non à me expectanda eſt, ſed abs te, qui earum es auctor. Nec tamen video, quî vel tu poſſis iſthuc jure adigi, ſi provocâris ad Reſpondentum privilegia: qui nequaquam tenentur theſes ſuas rationibus approbare, aut extra publici examinis actum ſuper ijs cum quopiam contendere. Sed & ea ſunt Figloviana, ut ultricem lictorum flammam potius mereantur, quam doctam confutationem tuam. In illa ſcilicet incidimus tempora, quæ & calumnijs in Juliæ noſtræ dicta, ſcripta, facta, patulas præbent aures, & per novam illam poplicolarum doctrinam, quam ſcurra tuetur, omnibus rebuſpublicis univerſi terrarum orbis, horribilem μεταμόρφωσιν, niſi Deus averruncaverit, minitantur. Et vero ideò plus damni fortaſſis ab ijs eſt chartis metuendum, quod in media Germania, loco illuſtri, à Theologo primario lectæ non rejectæ tamen, à JCto ſummo non lectæ tantum, ſed & manus ſigno approbatæ, ibidem lucem viderint, & frequentiſſimis nundinis huc illuc liberè ſint divenditæ; cum contra theſes tuæ intra ſcholæ pene limites ſeſe (ut ſolet) continuerint. Vt proinde, niſi reſpondeas, fa-

cile credi poſſit, theſibus tuis probata illa omnia, aut potius me probare, quæcunq; ſcurra mihi adſcribit; cum tamen eorum magna pars non mihi, non tibi unquam, vel per ſomnium venerit in mentem: ſenſim etiam Cromvvellica doctrina, auctoritate magni doctoris ſtabilita; in Germaniam noſtram, ſumma cum reip. noxa queat recipi. Quæ cauſa hominem impulerit, ut te diſſimulato, quem non ignorabat theſium auctorem eſſe, in me virus ſuum maluerit exſpuere, equidem neſcio. Hoc ſcio, nullo vel verbulo vel nutu me illi unquam moleſtum fuiſſe, (nec enim mihi fuit notus) antequam prætextu tuarum theſium, maledicis litteris in caput meum credulam plebem inclutæ vicinæ urbis concitaſſet. Pudet meminiſſe, quas ibi nebulo turbas adverſus me commoverit, nihil tale opinantem, & reipublicæ patriæ ergo profectum peregre: majores daturus, niſi prudentum conſilio Deus avertiſſet periculum. Pene mihi perſuadeo, natum in me odium ſingulare ex eo, quod viſus ipſi ſim Mislentianam improbitatem nonnihil ipſius opinione acrius inſectari. Quantum enim ex aliijs intelligo, illas iniquas partes calide eſt ſolitus ſuſcipere, dum hic apud nos viveret. Et vero non deſunt viri prudentia eximij, quibus, ex eodem iſto partium ſtudio etiam Lipſiæ favorem illum erga hunc hominem eſſe ortum, ut licuerit illi per unum & alterum ex ſummatibus tam petulanter mihi inſultare, veriſimile videatur. Quorum ego rationibus hactenus tamen nolui fidere (quid enim? *tanta ne animis cœleſtibus ira?*) etſi minime omnium me lateat, quanta ſit factionum vis in partium ſtudio; quale cum æterno & ſeculi hujus, & Eccleſiæ noſtræ inter Proteſtantes primariæ, opprobrio, hiſce aliquot annis ruſum incipit. Non diffiteor tamen, nihil me cauſæ invenire, quamobrem & Hülſemannus & Carpzovius, quorum in poteſtate fuit avertere

vel

vel certè moderari, tantam injuriam mihi ab ejuſmodi ſcurra paſſi ſunt fieri, ne quid de re ipſa nunc dixero. Etenim cum Carpzovio nihil mihi hactenus amicitiæ interceſſit quidem, nulla tamen ille unquam re fuit à me læſus. Nam quod audio conqueſtum, me ab ipſius ſententijs nonnullis diſſidere, non negaverim equidem: nunquam tamen ille ſive ſcripto aliquo, ſive in Academicis διατριβαῖς ullo verbulo, nominatim à me eſt tactus. Niſi autem vehementer fallor, ſummus quidem Juriſconſultus & Germaniæ noſtræ iſthac in doctrina æternum ornamentum, non tamen ille eſt Carpzovius in Politicis vel Imperij noſtri negotijs (de quibus forte non idem affirmamus) ut diſſentire ab illo injuria ſit. Cum Hülſemanno & patria mihi communis eſt, & aliqua ex parte prima in ſcholis inſtitutio. Ex quo uterque Profeſſorio fuit munere ornatus, per literarum frequens commercium aliquot annos arctior inter nos amicitia culta eſt. Ejus fiducia fretus, ſimulac per amicum intellexi, quid Lipſiæ (ubi tum recens advenerat ſuffarcinatus maledicis chartis, quas alibi, opera tributaria per neſcio quos juſti atque injuſti magiſtros adjutus, commaculaverat) moliretur Figlovius, & quidem Hülſemanno & Carpzovio conſcijs: ſtatim & literas ad Hülſemannum dedi, (niſi quid me fallit) quales amicus amico ſolet ſcribere, & ſimul miſi tabulas publicas Senatus noſtri Academici, quibus ex hoc loco facinorum variorum cauſa novus illorum hoſpes erat non adeo pridem relegatus. Recitabo tibi illas utraſque Benſeni, ſaltim ut per te alij intelligant cauſam omnem, ſimulque eo rectius judicent, num quæ mihi ſit facta, ab Hülſemanno præcipue, injuria necne. Epiſtola hæc erat:

Pluri-

Plurimum Reverende Clariſſime atque Excellentiſſime Vir, Domine Amice & popularis honorande,

NOn adeo pridem commendavi tibi juvenem fiducia amicitiæ noſtræ; eodē animo ad te nunc redeo famam honoremq; tibi commendaturus. Intellexi nimirum, nomen meum, ut & totius Academiæ noſtræ, perſtrinxiſſe indignis modis Figlovium quendam; eumque in eo jam eſſe ut calumnias ſuas veſtris non typis tantum publicet ſed etiam præconijs exornet. Atque ego quidem non eſt quod nomini detrimentum aliquod metuam, ſive auctorem ſive rem ipſam ſpectem. Auctor enim qualis ſit teſtimoniū Academiæ publicum, quo hinc juſſus exceſſe, ſatis oſtendit. Theſes vero quas oppugnandas nebulo ſuſcepit quantum intelligo, non me habent auctorem ſed illum qui reſpondentis partes egit: id quod ne quidem ipſummet illum ſcurram fugit. Neque illæ aliud quidquam defenderunt, quàm non ſemper ſummam reipubl. cujuslibet poteſtatem jure penes populum eſſe, ſed interdum penes multos, interdum ex parte penes unum aut multos aut omnes. In quam ſententiam univerſus pene ſapientūm ordo hactenus conſenſit. Imo totus mundus; quippe quum fundamentum ſit omnis μοναρχίας, ὀλιγαρχίας, ἀριστοκρατίας, πολιτείας; quo ſubruto omnes reſp. totius mundi convellunrur. Hanc theſin itaque vindicare à male feriatorum nebulonum oppugnationibus facillimum profecto eſt. Neque poſſum ego animum inducere: quenquam in ampliſſ. Veſtro Academico ordine ſcurriles hominis chartas impiam Anglicanorum Parlamentarium hæreſin propugnantes probaturum, aut ut typis publicentur permiſſurum. Quoniam tamen fortaſſis negotium hoc æque omnibus haud eſt perſpectum, neque velim famam meam ab impuro cane admorderi, interim dum

mihi

mihi in aulam Suecicam eſt eundum (id quod fiet Deo volente perendie) rogo te etiam atque etiam, uti pro ea qua vales auctoritate furioſi ſcurræ latratus compeſcas; quod ipſum à Brunſvicenſis Vrbis eſt Senatu factum, cui tamen cum Principum Brunſvicenſium famoſa inſectatione ſtuduit nebulo blandiri. Non dubito & bene te velle cum nomini meo tum ipſi veritati, & poſſe facile improbos conatus prævertere. Sane illud uti agas intererit quoque loci veſtri: utpote qui permiſſa chartarum illarum publicatione vix poterit non maculam ſibi inſignem contrahere. Vale vir Excell. & favere mihi perge. Helmſtadij 17 Maij 1650.

Jungam epiſtolæ edictum Senatus noſtri:

Prorector & Senatus Academiæ Juliæ.

TRiennium fere eſt quando Tu, Johannes Fichlovi *Inſterburgenſis* Boruſſe, in numerum civium noſtrorum receptus promittebas, & jurato quidem ut mos fert, te nobis obſequiũ & reverentiam, & quicquid leges noſtræ requirunt, (requirunt autem nihil aliud quam quod in S. Decalogo ab unoquoq; Chriſtianorum exigitur) bona fide præſtituſum. Et memorem quidem te ſanctæ hujus promiſſionis futurum, legibuſq; noſtris obtemperaturum, omnes tum ſperabamus. At vero præter omnem ſpem ita te hic geſſiſti, ut, quod dolemus, multorum criminũ reus factus ſis. Cum enim non ita pridem civi cuidam oppidano ſine cauſſa (quam enim tu prætendebas nullam prorſus judicavimus) grave vulnus inflixiſſes, & ijs, qui pro tua pariter ac publica ſalute excubias agunt, quod te ut à convitijs & vi illa deſiſteres ſevere dehortati eſſent, incendium ſeditioſa voce minatus fuiſſes, noſque ut vulnerato quæ in curationem impendiſſet, & quicquid ei præterea abeſſet (per parvi autem illud æſtimatum erat) reſtitueres, ſententia noſtra tibi mandaſſemus, dilata in aliud tempur pœna,

in noſtrum judicium ejuſque inde ab ipſa Academiæ introdu-ctione receptum procedendi morem non tantum ſic invehebaris, ut omnem modeſtiam te abjeciſſe judicaremus, ſed etiam peccatum abs te nullum eà in re commiſſum, imo ſi non feciſſes (de vulnere autem inflicto ſermo erat) adhuc te facturum impia voce aſſerere non dubitabas. Nec his contenta fuit inſignis tua malitia ſed cum ſententiam noſtram pœnalem parumper ſuſpenderemus, foreque putaremus, ut quod arreſto Academico obſtrictum te reliqueramus ad meliorem mentem interea redires, aut ſaltem ad facinus novum non pergeres, tantorum criminum reus, non erubuiſti honeſtiſſimorum hominum famæ inſidiari, eamque apud alios paſſim malitiosè in diſcrimen vocare, ſed irrito plane conatu, adeo ut in publico judicio ſponte tua & nemine cogente palam tandem faſſus ſis injuriam te hominbus integræ famæ feciſſe, ac mendacium te dixiſſe tuamet manu teſtatus fueris. Parum autem nimis tibi viſum fuit ejuſmodi patrare facinora, niſi etiam magiſtratui contra fidem jurejurando datam inſultares eique ſi quid in te adverſi (pro merito tamen tuo) ſtatueretur, dira & horrendum dictu extrema fere minitareris. Ne quid nunc de eo dicamus, quod contemtor ſacrorum fueris, quod duello legibus noſtris ſevere interdicto, cum alijs aliquoties dimicaveris, & alia legibus noſtris adverſa commiſeris. Quæ omnia inveteratam tuam & ab ipſo diabolo tibi paratam malitiam luculenter demonſtrant. Ne itaque nobis legibusque noſtris diutius inſultes, Te Johannem Fichlovium Inſterburgenſem Boruſſum unanimi hoc noſtro decreto ad annos XII ex hac Academiâ Juliâ relegamus, ex eaque exceſſe jubemus. Agnoſce ſi ſapis paternam hanc animadverſionem, qui longe graviorem promeruiſti; & quoniam hic noluiſti, apud alios reſipiſce, Deumq; bonam mentem roga, niſi dignam facinoribus tuis pœnam & tandem æternam perniciem incurrere velis. P. P. d. 17. Martij Anno CIↃ IↃ C L.

Utrumque hoc rectè traditum fuit Hülſemanno & quidem paucos intra dies, adeoque ſic ſatis tempeſtivè, & re omni fortaſſis adhuc integrâ. Neque forte dubites, Carpzovio per Hülſemannum eadem communicata. Etſi verò uterque non legerit tantum Figloviana, verùm etiam (ut ſui quiſque ordinis eſt primas) in illa cenſorem egerit, Hülſemanni quoque auctoritate nonnullæ plagulæ ijs ſint detractæ; apud neutrum tamen tantum valuit æqui & honeſti & veritatio, (ne quid dicam de communis patriæ & amicitiæ juribus) ut putida in famam meam, & totius Illuſtris ſcholæ noſtræ convitia & mendacia, per ſcurram facinoribus ſuis adeo inſignem jacta, delerentur. Ita per illos cenſores factum eſt, ut impuri nebulonis calamo, in celeberrima Lipſiâ, quaſi coram orbe univerſo, Julia noſtra proclamata ſit, *tanquam ſemper aliquid monſtri alat*; ego *peſtilentiſſimorum hominum cœtui adſcriptus*, *degener Friſius*, *Illuſtriſſimi Oſtfriſiæ Comitis Conſiliarius titulatus* (niſi fallor autem perinde hoc illi eſt, atque non ſim reapſe eâ dignitate, ſed tantum nomine tenus, & ne id quidem forte ullo merito) *dignus qui in Anticyras mittar*, & ſimilibus alijs nominibus audiam. Immo etſi ipſamet Diſputatio te auctorem præ ſeſe apertè ferat, Hülſemannus etiam ex literis meis id ipſum intellexiſſet, tamen paſſi ſunt ambo illi per ſummam injuriã nomen meum exagitari, contra conſcientiã ſuam. Certè ut Carpzovium hîc excuſes, quô tamen colore Hülſemannum fucare poſſis, haud apparet. Cæterùm quæ cauſſa impulerit, ut ita hæc fieri à ſcurrâ in Academiam noſtrã, ac me, non minore fortaſſis certè non multum inferiore ac illi ſunt dignitate, uterque & Chriſtianus, & Doctor, & Profeſſor celeberrimus, alter Theologus ſimul & Eccleſiaſtes, alter JCtus & judicij aſſeſſor, & quod caput dixeris, Hülſemannus alter, alter Carpzovius, honeſti ac recti poſtpoſitâ ratione,

voluerint, etſi multis per ſit veriſimile, ex inſano quodam in hanc Juliam odio id profectum eſſe, tamen aliorum judicio, perinde ut injuriæ vindictam Deo, committere nunc malo. De Carpzovio tu ſeorſim, Benſeni, habes jure quod conqueraris, quia vel non lectis tuis theſibus tamen probaverit cenſurâ ſua Figloviana mendacia, (quis enim feret in Ordinario juridici ampliſſimi Collegij, ut pronunciet tantum una audita parte? Sanè ut ſit hoc fortaſſis cui ordinarium, tamen eſt extra juſti ordinem) vel verò adeo illas oſcitanter legerit, ut non attenderit, quàm multa affingat nebulo illis tuis Theſibus, quæ tamen vel tyro aliquis obſervarit, aut puer qui nondum (ut ille ajebat) lavatur ære. Quàm enim patet, illa quæ ex tuis Theſibus exſculpit ſcurra, & mihi adſcribit, eſſe mendacia! Quaſi in illis *invadas jura liberorum populorum, eoſque mancipiis exaques: Principum manus ad ſanguinem innoxium fundendum præpares: popularem ſtatum ad orcum uſq. deprimas: ſtatum monarchicum ingentibus laudibus, non tamen citra invidiam ornes: ſimpliciter affirmes, Principes non eſſe propter ſalutem populi, ſed populum propter Principes: indefinitam Principibus* (hoc eſt ut ipſe interpretatur, *neq. naturæ neque gentium decretis, neque conventionibus limitatam) poteſtatem concedas: probes Hiſpanorum illa, quæ in Americanos iſti commiſere, aut Græcorum in Barbaros quod ſibi arrogabant imperium: tyrannicam poteſtatem cum vero regno confundas: remp. Principi commiſſam eſſe doceas, ut propriam & privatam curet utilitatem: homagium nudam ceremoniam eſſe ſtatuas: primores verò & antiſtites reip. Brunſvicenſis mirum in modum exagites.* Et quæ ſunt illius notæ alia. Sed fortaſſe dixerit Carpzovius, ſolis iis, quæ politici aut juridici ſunt argumenti, à ſeſe calculum tributum. Neque negaverim ſpeciem aliquam ineſſe huic excuſationi, ſi ἐν ϑέσει rem omnem agitaviſſet Figlovius; nunc quum ex profeſſo tuis ſeſe Theſibus objiciat, idque unicè agere voluerit videri, non

non liquet profectò, qui cenſor poſſit prætendere, veluti tua illa cauſſa ad Politica à ſeſe approbata non pertineat. Quid attuleris vero in defenſionem eorum quæ probata itidem ejus calculo ſunt & tamen vere ſunt Politica? Vtique enim approbavit cum alia longè iniquiſſima, tum illa: *Status monarchicus inter cæteros eminet quidem, aſt propter faſtum ac libidinem dominandi, qui affectus huic ſtatui plane familiaris, eſt bonis moleſtus: ſummum imperium dependet proximè à conſenſu, ſuffragiis & voluntate populi, adeoq; non eſt independens: Summum imperium ratione fundamenti & proprietatis pertinet ad corpus univerſalis conſociationis, cui radicaliter ineſt, nec ab eo avelli poteſt, ratione verò adminiſtrationis & exercitij ſpectat ad ſummum magiſtratum, cui à corpore reip. eſt commendatum: Ab omni crimine vacuus eſt populus, ſi iniuſtè imperanti publicè renunciet.* Evertunt autem hæc omnium reip. ſpecierum fundamenta ipſa, divino naturæ & gentium omnium jure conſtituta & hactenus ab orbe uſque condito uſu recepta, adeoque univerſum mundum perturbant. Nec enim ipſimet Democratici iſta quidem conceſſerint (hactenus certè eorum nulli conceſſerunt) utpote quum nullus unquam fuerit paulo potentior popularis ſtatus, quin imperaverit alijs; & ita quidem, ut jura majeſtatis in illos ſubditos ſuos crediderit ſibi ſoli competere non autem dependere illa à conſenſione aut ſuffragio illorum quibus imperat. Sanè populus Athenienſis & Romanus tale jus ſibi in provincias tribuerunt: hodiè Helvetij, Rhæti, Belgico-Germani liberi, ipſi pridie nati Angli, populis ſibi ſubjectis negant omnia majeſtatis jura. Liberæ quoq; Imperij noſtri urbes non profectò credunt, ſuum in vicinos pagos dominium à ſuffragio agreſtium dependere. Sibi ſolis quoq;, non ſubditis provincijs, jura ſummæ poteſtatis tribuerunt olim Spartani, Carthaginenſes, & fœderati omnes, ſive Ætoli, ſive Achaici, ſive Theſſali. Non in alia hodie ſunt ſententia Patricij Veneti. Ut

deſinant calumniæ, quæ ſolos reges ejuſmodi jura ſibi arrogare blaterant. Pone vero illa Carpzovio probata. Conſequens hinc ſanè eſt, Reges omnes, Principes, & Optimates, imo uno verbo omnes imperantes, auctoritate populi ſubjecti dignitate ſuá frui, nec niſi meros eſſe magiſtratus, adeoque ſi populus non amplius in illorum potentiam conſentiat tunc illos ea jure excidere. A moribus profectò Germanici Imperij noſtri hæc alieniſſima ſunt. Vbi illis qui ſummis magiſtratibus funguntur, non utique à populo ſuo ſubdito, ſed à Cæſare regalia quæ appellantur, quæque haud exiguam conſtituunt majeſtatis jurium partem, ſolent concedi: idque jam octingentorum amplius annorum ſpacio obtinuit; ex quo nimirum Germania univerſa Francorum armis victa in victorum Regum ditionem devenit. Quàm verò & illa juribus Imperij publicis adverſantur! *Matriculas Imperij vetuſtiſſimas eſſe perfectiſſimas, & majore reliquis auctoritate: Ejus quod urbs aliqua ſit immediate Imperio ſubdita ſignum eſſe, merum & mixtum imperium, jus conſtituendorū magiſtratuum, jus venandi, jus cudendæ monetæ, item quod ejus nomen in matriculis vetuſtiſſimis reperiatur.* Omnia ſane hæc Figloviana ſunt, & ad jus publicum Imperij noſtri pertinent: ac proinde & à Carpzovio ſunt probata. Neſcio an cenſor ille extra claſſem juridicam & Politicam projecta velit, adeoque nec probâſſe videri cupiat illa, quæ Figlovius paſſim interſerit ad hiſtoriam rerump. pertinentia. Quæ inter ſunt & iſta de urbe Brunſvigâ, Sereniſſimorum Ducum noſtrorum juribus, & ſententijs ſummi judicij Cæſarei Cameralis διαῤῥήδην oppoſita, invitis illius civitatis melioribus, & ſcurram averſantibus. Spero non probâſſe. At delere oportuit improbata. Fortaſſis verò nihil eorum, quæ modo dixi, ſeriò probavit Carpzovius. Quî enim iſtiuſmodi placita Doctor, & Profeſſor juris non è multis, quique Sereniſſimo Electori ſacramento adſtrictus vivit, tueatur,

tur, quæ & juri omni adverſantur, & nata ſunt humanæ ſocietati turbandæ, & ipſiuſmet ſui Domini à majoribus in ſeſe derivatam legitimè poteſtatem evertunt? Cæterum & Hülſemanno non potuerunt non ſaltim plæraque illorum diſpliciuiſſe, ut & illa quæ de jure regio Hebræorum diſſerit Figlovius. Longè ſanè alia & meliora docuit *cap. XX. Extenſi* ſui *Breviarÿ*. Et tamen in ſacro hoc libro, nihil eorum etiam ab illo eſt emendatum. Vehementer vereor, ne arriſerit liber ideo tantùm quod mihi maledixerit, qui faveam Calixto noſtro. Perinde ut quondam Caſcellius, an nux pinea pomum eſſet interrogatus, *pomum eſt* reſpondit, *ſi in Vatinium miſeris*. Ita ſcilicet eadem modò placent, modò diſplicent; & infanda quoque laudem nunc inveniunt, ſi petant noſtram Juliam.

Verùm ut ad Epiſtolæ initium redeam: etſi Figloviana illa monſtra non aliquem cum clava Herculem, ſed lictorem cum virga & faſcibus mereantur, & in nebulonem ejuſque ſcriptum indubiè animadvertent, quibus hæc à Deo eſt poteſtas data (nec enim te latet, quid jam tum ſit à magnis Principibus conſtitutum) operæ tamen feceris pretium, cariſſime Benſeni, ſi à maledicis chartis theſes tuas tuearis, & ſalutarem orbi doctrinam, prout cœpiſti, porrò pergas proponere. Nec enim parùm eſt periculi, ab illis novis Politicis Anglicanis: quorum infamia in omne ævum facinora, quemadmodum (uti audio,) inter ſodales laudare & tueri ſcurra ſolet, ita nunc & doctrinam, auctoritate tanti viri munitam, & in mediâ Germaniâ loco celeberrimo publicatam, apud rerum imperitiores quoſdam indubiè reddidit nonnihil plauſibilem. Optimè autem fortaſſis omni huic rei conſulueris, ſi ſimul ipſaſmet tuas Theſes in vulgus edas; quoniam non tantum me pariter ac te à putidiſſimis calumnijs ac mendacijs, etiamſi nihil addas tuentur, ſed rem quoque ipſam ſic ſatis dilucidè & firmiter proponunt. Nequaquam certe habent aliquid,

aliquid, cujus te debeat pœnitere,'aut quod lucem publicam meritò fugiat. Meæ ſanè famæ abundè arbitror cautum, ſolâ Theſium illarum publicatione: cùm accuſationis ſuæ Therſites non aliud adducat teſtimonium. Nam quod ſcribit, me antehac etiam *Majeſtatem Cæſarum ita minuiſſe, ut ingens inde mihi fuerit periculum enatum; alibi etiam Brunſvvigam numero liberarum Germaniæ urbium excluſiſſe*, eò argumento, *quod in comitiis Imperij locum non habeat*; adeò ſpiſſa ſunt mendacia, ut non ſit, quod ab ijs nomini meo metuam: quanquam poſterius ſi dixiſſem, non equidem revocarem. Sed & parum moveor latratibus rabidi canis; quod animal ne non imitaretur, dixeris exſpectatum ab illo Sirij ortum, uti oportuno ſcilicet tempore genuino ſuo virulento in famam meam & veritatem ſæviret. Non dubito autem, quæcunque tibi viſum fuerit reponere, Benſeni, illa ſatis fore liberandæ veritati à calumnijs & improbis objectionibus illius ſycophantæ: etiam ipſemet tamen, ubi paulum otij fuero nactus, ſingulari libro oſtendam, quæ auctoritas & quod jus populo in rep. competat. Numerum teſtimoniorum quo jactare ſeſe nebulo ſtuduit, ſecure potes ſpernere. Depromta illa magnam partem ſunt ex Klockianis tributorum loculis: & adducta, vel ubi nulla opus erat probatione, vel ubi id quod probandum erat cum illo teſtimonio quod adfertur nihil pene niſi unum aut alterum verbulum habet commune. Fidei qua uſus eſt ſpecimen cape ex lepida illa narratione de Alberto Magno, quam recitat ex epiſtolis S. Hieronymi, qui tamen octingentis annis Alberto eſt antiquior. Prodiit videlicet homo ex ſchola illorum, quibus religio quidem eſt abſque teſte bis duo eſſe quatuor pronunciare, non verò falſis aut inidoneis teſtibus omnes decipere. Uno verbo, teſtimonia illius plæraque inania ſunt plebejæ indoctorum laudis aucupia, non rerum argumenta. Vale mi Benſeni, & quemad-

quemadmodum hactenus, ita porrò in ſtudijs civilium rerum, ingenium & induſtriam exercere perge. Helmeſtadi in Academiâ Juliâ x. Kal. Majas. Anno CIϽ IϽC LI.

XXXVII.

Præmiſſa libro de Electione Urbani IIX & Innocentij X Pontificum.

Sereniſſimo Principi ac Domino, RUDOLPHO AUGUSTO AUGUSTI F. Duci Brunſvicenſium & Lyneburg. Domino meo clementiſſimo.

OMnes inter mortales, quos immenſus hic terrarum orbis innumeros comprehendit, nemo unus (τὸν θεάνθρωπον ſemper excipio) à condito eſt univerſo hoc repertus, qui non dico majora, ſed qui vel paria ſibi adſcripſerit, deque ſeſe credi voluerit, atque ab Hildebrandi uſque temporibus fecit Romanorum Paparum pene quilibet. Pene inquam. Non enim certò conſtat, num ſingulis probentur κύριαι δόξαι Romanæ aulæ: multis non probari, facit ſane veriſimile quorundam probitas & impietas aliorum. Nec vero quibus religio omnis ludus eſt, quales fuiſſe nonnullos docent nos monumenta, ſerio quidem hæc affirmaverint. Fortaſſis autem & aliorum virtus non tulerit hunc faſtum, præſertim ſi aliter fuerint ante edocti: cujuſmodi fuiſſe nonnullos, & ſcripta ipſorũ propria oſtendunt luculenter, & teſtimonijs aliorum dignis fide aſſeritur. Quicquid hujus ſit, quæcunq; Romana curia tot jam ſeculis de Papis ſuis orbi omni venditavit, illa profecto carent exemplo, ſi univerſum etiam hunc mundum & omnia retro tempora in contentionem adduxeris. Etſi enim magnum quid & mirandum fuerit in Prophetis & Apoſtolis, eamque præ alijs dignitatem ſibi quoque divinitus conceſ-

ſam Muhamed profeſſus fuerit; quantillum tamen hoc eſt præ illa poteſtate, quam in ſacra & profana omnia univerſi terrarũ orbis, imo in ipſos ſuperos & inferos, Pontifex ſibi arrogat!

Tantam rem non temere credere, jubet ſane regula prudentiæ nobiſcum nata. Si enim omnino etiam in alijs minoris momenti negotijs veriſſimum eſt illud Epicharmi: *νᾶφε καὶ μέμνασ᾽ ἀπιστῆν, ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν*: quanto magis opus eſt canto in eo, quod quò magis exempli eſt unici eò à fide eſt alienius! Et vero operam dandam eſſe quam maximam, ne fortaſſis hîc decipiaris, ipſamet rei magnitudo ſuadet, imò poſtulat. Unus ſane circa hæc error aliquot mille aliorum eſt parens, & vitam omnem trahit in devia, itaque te impedit, necubi pedem queas in ſolido vel tuto collocare.

Eſt autem & hoc quaſi natura notum: firmis omni ex parte atque immotis argumentis niſi adſtruatur Pontificia illa poteſtas, neminem intelligentem aut poſſe aut debere in eam conſentire. Plurimùm ſcilicet, admiſsâ illâ, omnes humanæ res publicæ privatæque, ab eo quod aliàs recepti & vulgo inter homines cogniti eſt juris, mutant: temerarium autem fuerit, nova illa & nuſquam hactenus audita, omnemque fidem ſuperantia, ſpretis ijs quorum ratio ab orbe condito omnibus fuit mortalibus probata, laudare & in uſum transferre.

Quid? quod omnino perſuaderi jure nemini queat illa Pontificis potentia, niſi adſint quædam plane divina teſtimonia. Num ſane Deus Op. Max. ſingulatim conſtituerit, univerſum hunc terrarum orbem, aut ſaltim quacunque diffuſa eſt ſancta ejus Eccleſia, regere quodammodo per unum Romanum Papam, ab hominibus nobis ſciri non poteſt, niſi hoc ſuum conſilium mundo ille propalaverit. Arbitrarium enim utique illud eſt; & quemadmodum ante Pontifices natos ſine tali *μοναρχίᾳ* mundum gubernari Deus eſt paſſus, ita

& poſt

& pòſt mero ſane eſt arbitrio ejus relictum, unum aliquod toti mundo caput dare aut non dare.

Merito exigas igitur à ſingulis Romanis Pontificibus miracula quæ appellamus aut opera plane divina, idonea nimirum ſignificare cœleſte hoc numinis conſilium, eamq; Pontifici divinitus collatam admirandam poteſtatem: quippe quum hac unâ ratione ſoleat Deus fidem hominibus ſuo nomine quidquam profitentibus facere. Et vero quidni tale à Pontifice quovis exſpectes, cum hiſce dotibus ornaverit Deus Prophetas ſuos & Apoſtolos, qui longe minora de ſeſe quam Romanus Papa credi voluerunt? At cum talium operum patrandorum vim ſibi deeſſe ultrò largiantur Pontifices, cui paulo prudentiori non ſtatim omne hoc negotium fiat ſuſpectum? Plane præter naturæ ordinem ſcil. inſtituerit Deus mundi gubernatorem, eumque voluerit ab omnibus tanquam ſuum proregem coli, & tamen illum non ornaverit aliqua diviniore majeſtate; qua tamen conſtat regnantium auctoritas; imo ſubtraxerit illi vatibus & Apoſtolis dari ſolita.

Sed fortaſſe ſatis eſt, ſi Apoſtolorum aut Prophetarum aliquis eam Papæ poteſtatem ſuo teſtimonio confirmaverit. Eſto. Etſi enim hoc non fuerit ex dignitate rei, tamen tutò poteris omni ejuſcemodi teſtimonio fidem adhibere. Oportet vero ſi quod tale eſt, per id eſſe perſpicuum, ita ut jure nequeas cauſari aliquam obſcuritatem. Si ſane fuerit obſcurum aut difficile intellectu, non poteſt quenquam obligare, ac habere inſtar legis. Eam enim debere eſſe cujuslibet legis dotem, quæ quidem vim obligandi velit nanciſci, inter ea eſt quæ homines ſine omni pene magiſtro didicimus. Quantò magis autem opus iſthac perſpicuitate in hoc Pontificis negotio! cum ſi ejus quidem ſententias admittimus, univerſum orbis Chriſtiani imo totius mundi regimen, (ne quid dicam de ipſamet Chriſtianæ doctrinæ

 certitu-

certitudine, quam item haud dubitant perquam multi à Pontificis Romani decretis tanquam à paxillo ſuſpendere) longe aliter habere ſeſe debeat, atq; recta nos ratio nullis ejuſmodi ſententijs imbuta docet, & nuſquā pene non uſu eſt receptum.

Nec verò eſt quod dixeris, non teneri homines ad omnia iſthæc de Papa certò credenda. Ita vulgo ab ijs etiam qui Pontificis partes tuentur tradi, haud ignoro: ut nec à Papa id aperte improbari. Verùm & Papa ipſemet conniventia iſthac ſuſpectum reddit negotium ſuum, (qui enim non urgeat id quod divini eſt juris tantique momenti, ſi vere eſt tale?) & reliqui omnes illud luxant. Hoc enim dum affirmas, eo ipſo fateris, Papam non eſſe lege divina inſtitutum Chriſti Proregem, qualem ſeſe venditat. Omnes enim utiq; adſtringimur ad divinarum legum obſervantiam adeoque & certam fidem: multo maximè nefas fuerit in dubium vocare, ſi quæ Deus de Eccleſiæ & mundi hujus regimine publico, imo de Chriſtianæ omnis doctrinæ unico κριτηρίῳ normaq; infallibili, ſanciverit.

Quod ſi nulla divina lege nititur jus quod ſibi Papa arrogat, intoleranda profecto ejus impietas eſt, qui prætextu divinæ conſtitutionis proregiam illam divinitatem ſibi vendicat. Imo omnis illa Papæ arrogantia abs omni eſt ratione & divinæ voluntati repugnat. Nec enim in conſilij alicujus modum de tantis rebus vero eſt ſimile à Deo quid conſtitutum: ita ſane regimen publicum nullius quamvis exiguæ civitatis aut ſolet aut poteſt inſtitui.

Igitur ſi Deus eam poteſtatem atque illa jura Pontifici contulit, factum illud eſt lege quadam, eaque diſertâ ac omnibus qui obſervare illam tenentur cognitu facili. At profecto in ijs codicibus, quos quidem novimus ſancto Spiritu moderante exaratos, ejuſmodi legem nuſquam reperias: imo de Pontifice Romano ne quidem γρῦ ullum, nullum veſtigium. S. Petro Apoſtolo dictum accepimus *Super hanc pe-*

tram, & *Paſce oves meas:* Ut autem hæc ad Papam trahas, multis opus eſt & obſcuris ratiocinationum anfractibus utaris: qui procul ſunt à natura legis. Ad hoc ipſemet ille ſanctiſſimus Apoſtolus Petrus clariſſime ſignificat, in ſibi commiſſa ovium paſtione non latitare divinam quandam *μοναρχίας*: ut qui plane eodem modo ſcripſerit omnibus ἐν διασπορᾷ presbyteris: *Paſcite qui penes vos eſt gregem Dei.* Utque petra, ſuper quam Petr. v. ſtructurum ſeſe Eccleſiam ſuam dixit Servator, ſit ipſe Petrus, ne quidem ita tamen Apoſtolo illi eximium quid verbo iſto datum, arguit manifeſtò S. Johannes in Apocalypſi ſua, tradens murum Urbis ſanctæ illius myſticæ, ſive Eccleſiæ, *habuiſſe duodecim fundamenta, in quibus erant duodecim nomina Apoſtolorum agni.* Apoc. xxi. 14.

Lege quadam non ſcripta inſtitutam eſſe Papæ illam poteſtatem, cui fiat veroſimile? qui novit *literas eſſe* ut T. Livius loquitur, *unam cuſtodiam fidelis memoriæ geſtarum*, nec dubitat Deum, quoad humanæ res patiuntur, optime caviſſe Eccleſiæ ſuæ. Cui perſuaſeris, tot inter ſcriptis comprehenſa fidei & morum præcepta, nuſquam ab Apoſtolis factam mentionem ejus quod (ſi Romanæ curiæ credis) palmarium eſt, imo ipſummet primum Chriſtianæ fidei principium? Sed & illius ἀγράφου νόμου ſaltim aliquod leve veſtigium ſuperſit neceſſum fuerit, in monumentis Eccleſiæ primitivæ. Quin imo plena & illa fuerint oportet ejus legis, & hinc ſecutarum conſuetudinum: quemadmodum hodie uſu cernimus fieri: quum illa ætas ut maximæ pietatis fuit ita maximâ reverentiâ Chriſti leges coluerit. Atqui nec de lege ejuſmodi quadam uſquam quidquam extat. Quod ſi attendas ad Eccleſiæ regimen, quale illud ex priſcis monumentis poteſt diſci, nihil ibi μοναρχικὸν reperias, imo nec aliquod aliud unum commune univerſæ Eccleſiæ regimen, ſed pro vinculo communi mutuam duntaxat cum fide caritatem. *Unus* ſcilicet erat tum quidem

Cypr. ep. 52. *Epiſcopatus, ſed Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus*, ceu loquitur ſanctiſſimus martyr Cyprianus. Nec vero difficile id definitu eſt, modò ſumma regiminis omnis publici capita, quemadmodum ſeſe habuerint circa rem Eccleſiæ, obſervaveris. Perinde nimirum ut in civili omni republica in tribus quaſi collocata eſt forma cujuslibet πολιτείας, in eo quod κύριον vocant, in magiſtratibus, in judicijs: conſimili plane ratione neminem lateat Eccleſiaſticæ reipublicæ ſpecies, ſi didicerit quem penes ſit vis νομοθετικὴ quod τὸ κύριον primum eſt, Epiſcopi & Presbyteri (qui ſunt magiſtratus Eccleſiaſtici) à quibus & quomodo creentur, & denique Eccleſiaſtica judiciorum poteſtas à quibus & qua ratione inſtituatur. Hæc univerſæ quidem Eccleſiæ tria, ſi per complura eas ſecula, obſervaveris luculentiſſime, non fuiſſe ea vel unius cujuſdā ariſtocratici corporis; tantum abeſt, ut hæc jura fuerint penes unum aliquem & quidem Pontificem Romanum. Ipſa illa per provincias Eccleſiarum conſociatio ſub capite uno metropolitano ſerius cœpit: nondum certè ita invaluerat quum Cypriano crederetur, *Singulis paſtoribus portionem gregis eſſe adſcriptam, quam regat unusquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus:* Item: *Epiſcopatum unum eſſe, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur:* ut &, *quemlibet Epiſcopum ab alio judicari non poſſe, quemadmodum nec ipſe alium judicat.* Sed & ſole clarius ex hiſtoria eſt, diu poſt Apoſtolorum ævum ſenſim creviſſe Romani Papæ cum auctoritatem tum arrogantiam, per Latinam cumprimis Eccleſiam: & principe demum Hildebrando integram ſuam μοναρχίαν, hactenus orbi terrarum ignotam, prodidiſſe.

Verùm de his latius agere extra inſtitutum eſt. Et vero, niſi vehementer fallor, jam tum liquet, quæ vendicant ſibi iura monarchica Papæ, illa à divino quodam inſtituto non proficiſci.

In ſa-

In facili vero eſt idem quoque illud colligere vel ex Paparum omni vita ac moribus. Hi profectò clamant, & omnibus faciunt manifeſtiſſimum, non tantùm nihil humani à Papis alienum eſſe, ſed & eorum perquam multos vitijs eſſe contaminatiſſimos. At vero, quem Deus ſigillatim ſuæ per omnem orbem diſperſæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ præficit, an non etiam ornaverit illum præ alijs & reddiderit conſpicuum ſingulari aliqua dote? Num Spiritus Sanctus inhabitet impura pectora, qualia fuere adeo multorum Pontificum?

Dixeris: hoc tamen habere eximij Papas, quod fallere & falli in fidei morumque controverſiis neſciant. At hoc non omnino certum eſſe, nemo etiam fautorum Pontificis auſit diffiteri: nec enim hactenus defuere in ipſa illorum Eccleſiâ, imo in ipſo Pontificum ordine, multi præclariſſimi viri, id qui negaverúnt; & qui affirmant, adverſæ tamen ſententiæ hæreſeos notam inurere non audent, etſi hæreſi proximam profiteantur. Et verò quei fiat veroſimile, ea una parte infallibilem redditum Papam, de reliquo omni humanæ imbecillitati eſſe obnoxium? Notum ſane eſt, actiones omnes humanas circa ſingularia occupari, adeoque & prudentiam, quæ humanas actiones dirigit, ſpectari quam maxime in ſingularibus illis, & in his quam maxime prudentia eſſe opus. Univerſalium enim prudentiam longe eſſe comparatu faciliorem. Singularium igitur rerum dirigendarum infallibili prudentiâ debuiſſet potius divinitus inſtructus eſſe Papa. Ita ſane demum præ alijs idoneus eſſet gubernandæ Eccleſiæ Dei. Quem illa dote Deus non inſtruxit, quei illi uni immenſam iſtam molem univerſæ regendæ Eccleſiæ commiſerit? Ad fidei morumque communem doctrinam non opus adeo eſt infallibili quodam judice. *In ſimplicitate* enim *fides eſt, in fide juſtitia eſt, in confeſſione pietas eſt. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat*, ceu recte loquitur S. Hilarius. Jam Hilar. l. 10. de Trinit.

vero

Jud. c. 1. vero *fides illa ſemel tradita eſt*, per Chriſtum ſcilicet & Apoſtolos ejus. *Nobis* autem *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium.* Et *in iis quæ aperte in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moreſque vivendi.* Ad talia cognoſcenda cujuslibet piæ mentis captus ſufficit.

Tertull. l. de præſcr. August. l. 2. de C. D. c. 9.

Nequaquam enim audiendi illi, qui, ut Papam ſuum extollant, cumque orbi neceſſarium oſtendant, cùm Scripturam univerſam obſcuritatis accuſant, tùm cunctis hominibus eam tribuunt nativam ingenij ineptitudinem, quaſi certam nullam Chriſtianæ doctrinæ ſcientiam queant ſibi comparare. Alterum videlicet impium dictu eſt: alterum Pyrrhoniam ἐποχὴν invehit, adeoque ineptum eſt ac ſtultum. Etſi enim nemo non erroribus ſit obnoxius; non in omnibus tamen talis eſt, nec ſemper. Nec enim ſenſus noſtri fallunt aut falluntur circa ſuum quodlibet objectū proprium; & tametſi ſinguli circa commune objectum queant errare, univerſi tamen minime errori ſunt obnoxij. Sunt quoq; æternæ, & immotæ, & infallibiles, cùm interpretandi ſermonem quemq; tùm ratiocinandi regulæ, quas ſi obſerves extra periculum eris aberrandi: obſervatu autem non adeo ſunt difficiles. Et verò quî vel certò ſcias quid Pontifex doceat, & num id quod docet veritati ſit conſentaneum, niſi ingenita nobis ſint ejuſmodi κριτήρια? Ad hoc non clarius docuerit Papa ea quæ ad ſalutem æternam comparandam ſcitu ſunt neceſſaria, quàm id factum eſt in Scripturis. Aſt harum auctores fidem ſibi certam pepererunt infinitis miraculis, Papæ nullo. Cum duo videlicet ſumma ſint capita quæſtionum, quæ circa doctrinam Chriſtianam poſſunt oriri, alterum quid Chriſtus agendum credendumve docuerit, alterum num id quod docuit vero ſit conſentaneum: nec prius nec poſterius à Papa commode hodie didiceris, optime autem ab Apoſtolis, qui Chri-

ſtum ipſum audivere, & tot miraculis certam ſibi auctoritatem conciliaverunt. Ita & non opus eſt præter Scripturam alio quopiam novo judice aut infallibili doctore, & tutius longe peti ab Apoſtolis poteſt ſalutaris doctrina quam à Papa. Præſertim quum ipſemet ſignum nullum divinæ illius ſuæ dotis quam venditat queat edere, & ad Scripturæ teſtimonium tanquam ad unicum aſylum in propria etiam cauſſa provocet.

Nihil ſane in vita omni & moribus, omnibusque adeo Paparum deprehendas rebus, quod vel ſpeciem veri arrogatæ iſti infallibilitati multo minus immenſæ omni illi poteſtati queat facere. Imo omnia iſta ſpectanti jure merito plane aliud non poteſt non videri.

NEC tamen multum opus eſt per omnia ire: attendat mihi nunc tantum pro ſe quiſq; ad ea quæ circa Paparum ELECTIONEM ſolent contingere. Illa quemadmodum ſit inſtituenda etſi plurimum interſit Eccleſiæ, ſi Papa is eſt quem ſeſe vult haberi, nihil tamen neq; per literas ſacras, neq; alia qua traditione Deus Opt. Max. Eccleſiæ ſuæ mandavit. Quod utiq; manifeſto indicio eſt, non majori illam curæ Deo eſſe, quam aliquam aliam Epiſcopi, quamvis contempti & tenuis. Et vero ut reliquorum Epiſcoporum omnium ita Pontificum electio humanæ eſt prudentiæ unice relicta: ac proinde omnibus etiam humanis vitijs æque eſt obnoxia. Imo eo illis eſt magis præ alijs tenuioribus obnoxia, quo dignitas ipſa eſt excelſior, adeoque in ambitum omnia magis pateſcunt.

Hujus rei jam tum ipſum quartum Chriſtianum ſeculum, quod tempus plurimum adhuc ſplendebat auro vetere, funeſtum ſpecimen dedit. Perinde ut alibi terrarum paſſim ita & Romæ tum erat præter clerum popularis juris Epiſcoporum electio: diſcordantibus vero populi factionibus quantùm in rem ſuam Damaſus & Urſicinus fuerint tum abuſi, pene pudet memorare. Ammianus Marcellinus in hunc modum loquitur: Ammian. l. 28.

 quitur:

quitur: *Damaſus & Vrſicinus ſupra humanum modum ad rapiendam Epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrime conflictabantur, aduſque mortis vulnerumque diſcrimina adjumentis utriuſque progreſſis. Conſtat, in baſilica Sicinini, ubi ritus Chriſtiani eſt conventiculum, uno die CXXXVII reperta cadavera peremptorum: efferatamq; diu plebem agre delinitam.* Adeo ferale quid neſcio an uſquam alibi tum contigerit; nam etſi Alexandriæ à cæde mutua itidem tum non fuiſſe temperatum in electione Epiſcopi, ex hiſtorijs Eccleſiaſticis noverimus, non eo uſque tamen excrevit malum. In provincijs & locis tenuioribus ſcelus ejuſmodi haud legas perpetratum. Eoque Ammianus, ſcriptor gentilis quidem & minus caſtigatæ eloquentiæ, quem tamen ab animi integritate & prudentia laudaveris, addit: *Neq; ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans Vrbanarum, hujus rei cupidos ad impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantq; vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine Vrbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem quorundam Antiſtitum provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humi ſpectantia, perpetuo numini veriſq; ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos.* Uſque vero adeo hic tumultus fuit vehemens, ut cum ab exquæſitore Palatij Viventio non poſſet componi, à Cæſare Præfecto Vrbis Prætextato, viro magno quidem ſed gentili, committi debuerit. Hic eſt ille Prætextatus, de quo Hieronymus: *Prætextatus, qui deſignatus Conſul eſt mortuus, ſolebat ludens beato Papæ Damaſo dicere: Facite me Romæ Vrbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.*

Hier. epiſt. ad Pammach. de errorib. Joan. Hieroſolymitani.

Poſt illa aliquandiu minus turbarum habuit electio, quod

quod populi factiones Cæſarum Regumque Italiæ auctoritate nonnihil compeſcerentur. Etiam ita tamen ſchiſmati omni, & turbulentis imo cruentis comitijs non eſt cautum, ceu de cauſa Symmachi primi notum eſt: & in tantum invaluit ambitus, ut de illo temperando jam tum Bonifacius Cæſarem Honorium per ſupplices literas rogaverit, & hic lata lege conſtituerit, ſi duo Romæ ſciſſis populi ſtudiis ordinentur utrumque pellendum Vrbe. Quam Cæſaris conſtitutionem, Dionyſio Exiguo curante, ipſimet Papæ Codici Canonum Romano veteri inſeruere; unde in Decretum Gratianus tranſtulit. Quibus vitijs Symmachi Papæ ætate comitia iſta laboraverint, non aliunde opus eſt ut diſcamus, quam & ex hiſtoria ejus & verbis Concilij Romani adverſus Epiſcopalem ambitum tunc habiti. A Juſtiniano Cæſare & Papa Vigilio (*cujus ingreſſus tamen*, ſcribente Onuphrio, *parum legitimus fuit cum præter Eccleſiaſticas regulas, prædeceſſore Silverio vivente, per vim Pontificatum Romanum occuparit*) ad Benedictum uſque ſecundum modeſtiora nonnihil fuere comitia, quod electus nemo conſecraretur Papa niſi electionem ratam ante habuiſſet Conſtantinopoli degens Imperator. Non tantum enim id reipublicæ profuit, cujus intererat *ut Imperator certus eſſet* (verba ſunt doctiſſimi Onuphrij) *de conditionibus novi Pontificis, cujus tum maxima eſſe auctoritas cœperat, Imperatoribus præſertim Italia abſentibus, ne aliquo Pontifice factioſo vel Imperatoris hoſte ordinato Vrbs & Italia eo auctore ab Orientali Imperio deficeret*: ſed tranquillitatis etiam Eccleſiaſticæ, ut popularibus clerique ſtudijs in ordinem redactis minus valeret in comitijs ambitus. Eoque cum veteri licentiæ frenum iterum imprudenter laxaſſet Conſtantinus Cæſar Heraclij pronepos, non multo pòſt Cæſares quidem illi imperio exuti ſunt per Papas, comitia autem Papalia graviter turbavere; imo ipſi Papæ, nulla Cæſarum auctoritate amplius

Onuphr. ad Vigil. Platinæ.

Idem ad Pelag. II. Platinæ.

plius muniti, populi & clerici ſui petulantiæ ſunt ex-
poſiti.

Nonnihil omnia hæc in melius rediere, Cæſareâ in Pa-
pæ cum electionem tum mores auctoritate revocatâ, & trans-
Platin. in latâ in Francos: at illa iterum paulo poſt concidente ſimul
Formoſo. & omnia Eccleſiaſtica Romæ collapſa ſunt. *Neſcio quo fato*
accidiſſe dicam, ait Platina, *ut una cum induſtria Imperatorum*
ſimul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit: quæ quidem
tempora infeliciſſima eſſe arbitror, cum auctoritate Platonis tales
ſoleant eſſe reliqui cives quales ſunt in republica principes. Cæte-
Plat. in Sergio III. rum cauſſam tanti mali ille idem Platina indicat, de Sergio
III agens: nempe *quod non exſtarent qui Paparum vitia coër-*
cerent. Idem paulo ante ſcripſerat in hanc, memorandam
Plat. in Bened. IV. ſane & gravem ſententiam: *Sanctitate & doctrina, quæ non*
niſi magnis laboribus conſummataque doctrina comparantur, Pon-
tificum decus ſine ullis opibus primò quidem auctum: eſt inter tot ho-
ſtes & obſtinatos perſecutores Chriſtiani nominis: mox vero ubi cum
ipſis opibus laſcivire cæpit Eccleſia Dei, verſis ejus cultoribus à ſe-
veritate ad laſciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo
Principe flagitia hominum tum coërcente, hæc portenta, à quibus
ambitione & largitione ſanctiſſima Petri ſedes occupata eſt potius
quam poſſeſſa. Hæc Platina: recte etiam id notans, non ho-
mines amplius ſed *portenta* quaſi fuiſſe ejus temporis Papas.
Qua in re nihil illum affectibus dediſſe, non etiam illi, qui Pa-
pas quam maxime ornandos ſibi ſumpſere, audent diffiteri.
Cardinalis Baronij, viri profecto maximi, de illo tempore
Baron. anno 897. verba ſunt: *Intruſi in cathedram Petri, ſolium Chriſti, ſunt ho-*
mines monſtruoſi, vita turpiſſimi, moribus pudiciſſimi, uſquequaq;
Idem anno 900. *fœdiſſimi.* Alibi ait: *intruſa eſſe viſu horrenda monſtra.* Excla-
mat aliàs: *Quæ tunc facies ſanctæ Eccleſiæ Romanæ? quam fœ-*
Idem anno 912. *diſſima: quum Romæ dominarentur potentiſſimæ æque ac ſordidiſſi-*
mæ meretrices? quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur
epiſcopi,

epiſcopi, quod auditu horrendum & nefandum eſt, intruderentur in Sedem Petri earum amaſii Pſeudopontifices, qui non ſunt niſi ad conſignanda tanta tempora in catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Quis enim à ſcortis hujuſmodi intruſos ſine lege legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices? Item: *Qualesnam reris delectos ab hiſce monſtris presbyteros & Cardinales fuiſſe putandum? quum nihil tam natura inſitum ſit, quam unumquemque ſibi ſimilem generare.* Idem quum de Stephani in ἐπισκοπὴν violenta dixiſſet invaſione, addit: *Ita quidem omnia* Baron. anno 900. *Romæ tam ſacra quam profana factionibus miſcebantur, ut penes illam partem eſſet promotio ad Apoſtolicam ſedem Romani Pontificis, quæ potentior appareret: ut modò Romanorum proceres, modò Hetruriæ princeps intruderet ſeculari potentia quem vellet, & dejiceret quem poſſet Romanum Pontificem, à contraria factione promotum. Quæ toto hoc ferme ſeculo ſunt actitata, quouſque Germaniæ Imperatores Othones medij interceſſere, utriq; parti contrarij, arrogantes licet & ipſi ſibi pariter Papæ electionem atque electi dejectionem.* Hactenus ipſemet Baronius. Ingenue ſane confeſſus integrum ferme ſeculum horrendis illis vitijs fuiſſe pollutum, ab Ottonibus demum facta aliqua in melius correctione, quos immerito tamen accuſat alicujus circa Papas arrogantiæ. Et vero ab Ottonibus nonnihil eſt remedij collapſis Paparum rebus additum, quum Leo VIII *Romano-* Plat. l. 8. *rum inconſtantiam pertæſus (*verba ſunt Platinæ*) auctoritatem omnem eligendi Pontificis à clero populoq; Romano ad Imperatorem tranſtuliſſet.* At vero cum Cæſares ſuo iſthoc jure rarò uterentur, atque ita ad Romanos eligendi facultas rediret, parum profectò fuit iſti Eccleſiæ, ipſiſmet etiam Ottonibus vivis, conſultum, nec niſi quando à Cæſaribus Pontifices darentur. Itaque ne tum quidem monſtra illi Sedi præeſſe deſierunt. De hiſce ipſis, teſte Gerberto tum Remorum Ar- Gerb. l. de chiepiſcopo inde Papa Sylveſtro id nominis altero, dixit in Syn. Rem. cap. 28.

 Remenſi

Remenſi ſynodo Arnolphus Aurelianenſis. *Num talibus monſtris hominum, ignominia plenis, ſcientia divinarum & humanarum rerum vacuis, innumeros ſacerdotes Dei, ſcientia & vita merito conſpicuos, ſubjici decretum eſt?* De illo qui tum temporis ſedit Papa Joanne XV ſubjunxit: *Quid hunc, reverendi Patres, in ſublimi ſolio reſidentem, veſte purpurea & aurea radiantem, quid hunc inquam eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur ſolâque ſcientiâ inflatur & extollitur Antichriſtus eſt, in templo Dei ſedens & ſe oſtendens tanquam ſit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec ſcientiâ erigitur, in templo Dei tanquam ſtatua tanquam idolum eſt, à quo reſponſa petere marmora conſulere eſt.* Increvit vehementer pòſt Ottones malum, Cæſaribus ſecutis emendando vitio imparibus; donec monſtroſo exorto triplici capite, Henricus tertius vi factâ in medium Eccleſiæ illi conſulere adactus eſt. Platina ait: *Henricus in Italiam cum magno exercitu veniens, habitâ ſynodo, cum Benedictum nonum, Sylveſtrem tertium, Gregorium ſextum, tanquam tria teterrima monſtra abdicare ſe magiſtratu coëgiſſet, Suidigerum Bambergenſem Epiſcopum, cui Clementi ſecundo appellatio fuit, Pontificem creat.* Ipſam porro eligendorum Pontificum rationem priſtinam coacti ſunt optimi Cæſares nonnihil mutare. Qua de re idem Platina: *Henricus accepta à Clemente Imperij coronâ, Romanos in verba ſua jurare coëgit, Pontificum electioni ſe nequaquam interfuturos, niſi juſſu Imperatoris id facere cogerentur. Videbat enim Imperator eo licentia factioſum quemque & potentem quamvis ignobilem deveniſſe, ut corruptis ſuffragiis tantam dignitatem conſequeretur: quæ certe niſi ſanctitate & doctrinâ bene meritis volente Deo demandari cuipiam non deberet.* Ex eo meliores ſolito Pontifices aliquot ex Germania à Cæſare ſubmiſſi ſunt. Hinc Onuphrius ad Clementem II Platinæ notat: *Quatuor ſequentes Pontifices, viros quidem ſanctiſſimos, optimos, & de Dei Eccleſia bene meritos, ex Imperatoris Henrici III auctoritate*

Plat. in Gregor. VI

Plat. in Clem. II.

Onuphr. ad Clem. II. Plat.

te creatos conſtat. Quo uno Onuphrij teſtimonio licet
onfutare calumniam cum aliorum tum & Stapletoni: quaſi
Cæſaribus intruſa ſint in Romanam ſedem illa hujus tem-
oris καρκινώματα. Certe Henrico illo Cæſare mortuo, & ad-
ıc puero Henrico IV, cum electio popularis iterum irrepe-
r, coactus fuit Nicolaus II, & Benedictum factione nobi-
ım contra leges ac vitio creatum pellere, & hanc legem Plat. in
pidò ſalubrem ferre: *ſi quis pecunia vel gratia humana aut* Nic. II.
ulari militarive tumultu, ſine concordi & canonica electione
rdinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apoſtolicus
l apoſtaticus merito vocetur, liceatque Cardinalibus, cleris, &
cis Deum colentibus, illum ut prædonem anathematizare, &
ovis humano auxilio à Sede Apoſtolica propellere, atq; quovis in
o, ſi in Vrbe non liceat, catholicos hujuſce rei cauſſa congregare.
ım legem flagitavere mores ſtatim atque fibula Romano
pulo aliquantulum fuit laxata, & adhuc ſuperſtite Cæſarum
ca electiones Paparum auctoritate. Hanc vero omnē mox
ıedio tulit Hildebrandus, iniquiſſimo canonum prætextu:
ippe qui magnam partē non aliam habeant vim quā quâ le-
s valent quas poſitivas nuncupamus, eoq; etſi fortaſſis aliud
olim fuerit conſtitutum non tamen eſt nefas ab illo abire,
ta exigat Eccleſiæ uſus, qui ſuprema omnium regula eſt.
quod paulò poſt aperte confirmavit Innocentius II: Quo
ctore *populus Romanus à Pontificiis comitiis*, teſte Onuphrio, Onuphr.
nino excluſus eſt, & ad ſolos Cardinales Pontificis electio, pau- ad Inno-
im cleri etiam primoribus omnino excluſis vel in Cardinalium cent. II.
legio cooptatus, redacta. Hoc ſane repugnat & canonibus Plat.
moribus univerſæ antiquæ Eccleſiæ; & tamen, quantum
icio poſſum aſſequi, non abs re ita eſt conſtitutum, po-
lo Romano nimium quantum vitijs contaminato, adeoq;
eligendum Papam nequaquam idoneo. Nec tamen etiam
ita

Bernhard. l. 4 de Conſident. ita omni ex parte conſultum fuit electioni. Ad Eugenium III in hæc verba ſcribit Bernhardus: *Quem dabis mihi in tota maxima Vrbe qui te in Papam receperit, pretio ſeu ſpe pretij non interveniente?* Schiſmata quoque varia ſunt exorta & ejus pertinaciæ diſſidia ut nova lege in Conclavi aliquo recludendos electores Gregorius X ſancierit. Paulò ante ſane Clemente IV *vita functo, Cardinales* (verba ſunt Onuphrij) Onuphr. ad Gregor. X. Plat. *qui tunc in curia Romana præſentes erant numero ſeptemdecim, in creatione futuri Pontificis diſſentire cæperunt, electionisq; ratio adeo diſcordiis agitata eſt, ut prope in triennium protraheretur. Sæpius ſiquidem congregati negocium conficere nulla ratione valuere; dum unuſquiſque ipſorum ad Pontificatum adſpirans, nemini cedere vellet. Quo interim tempore ad curiam Romanam Viterbium venerunt Philippus Francorum & Carolus Siciliæ reges, collegiumque pro celeri & matura Pontificis electione rogantes, parum profecerunt, ſed rebus infectis reverſi ſunt. Tunc Joannes epiſcopus Cardinalis Portuenſis videns Cardinalium pertinaciam, iis in comitio exiſtentibus & Spiritum S. invocantibus, publice dixit: Domini, diſcooperiamus tectum cameræ hujus, quia Spiritus S. nequit ad nos per tot tecta ingredi. Qui etiam cum Papam Gregorium renunciatum animadvertiſſet, hos de ejus electione verſus edidiſſe fertur:*

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

Poſtremo poſt longiſſimum duorum annorum menſiumque novem interregnum, quod maximo reipubl. Chriſtianæ malo fuit, à Viterbienſibus propemodum coacti, cum diſcordantibus animis ut unum ex ſe eligerent fieri non poſſet, tandem per viam compromiſſi in ſex Cardinales facti, in Pontificem maximum renunciaverunt, Theobaldum Vicecomitem, extra collegium Cardinalium & abſentem. Hæc omnia Onuphrius: quæ in medium adducere viſum operæ fuit pretium, ut appareat, quid tandem Conclavi

conſti-

conſtituendo occaſionem cauſamque dederit. Quanquam vero Gregorianas illas de Conclavi leges merito laudes, Hadrianus tamen V & Joannes XXI eas iterum abrogavere, eoque ſex ordine Pontifices extra Conclave ſunt creati uſque ad Bonifacium octavum. Etiam hic vero licet in Conclavi creatus ſuo exemplo oſtendit, quam etiam Conclave parum ſit aptum electioni Pontificum intra limites recti coërcendæ. Platina utique teſtatur; adeo *illum cum adhuc Cardinalis eſſet dignitatem Pontificatus exoptaſſe, ut nil ambitione & fraude prætermiſerit, quod ad eam rem conſequendam pertinere arbitraretur.* Conclave reſtitutum non emendaſſe priſtinos Cardinalium mores, ſed electionem Paparum etiam ita plurimum, perinde fere ut antea, laboraſſe, cum ſchiſmata varia magis quam opineris manifeſtum faciunt, tum crebra illa & diuturna interregna. Quid? quod nuſquam ante ita à ſchiſmate male habuerit ſeſe Romana ſedes ac poſt Bonifacium? quippe quorum unum integros quinquaginta annos, ſuccedentibus ſibi per factiones Pontificibus aliquot, duraverit, ſummâ cum omnium Europæ rerum perturbatione. Cum ſtupore legas quæ cum alij tum inprimis Theodericus de Niem, Scriba ejus temporis Pontificius, ſingulari libro eſt perſequutus: qui etſi hodie per Indicem Expurgatorium eſt proſcriptus, à fidei tamen & doctrinæ præclaro illo Onuphrio *egregij voluminis* titulum promeruit. Sed & hiſtoriæ Pontificum, ab ipſiſmet eorum clientibus & Pontificio nomini ſtudioſiſſimis deſcriptæ, non ſilent alios perquam multos, qui malis artibus pontificium ipſo in Conclavi impetraverint. Quinimo illæ crebo hactenus repetitæ, & varijs modis anxie huc illuc flexæ de Conclavi leges, vitia comitiorum numquam non repullulantia, quamvis ſtudioſe omnia tegas, in claram lucem producunt. Perpetuum ſcilicet eſt illud Platonis oraculum, legum multitudinem morum corruptelam comitari: illa ſane minime fallax hujus indicium eſt.

Plat. in Bonif. VIII.

Onuphr. ad Petrum Platin.

Quod ſi vel leviter ipſos in mores Conclavis animadvertas, jure merito pronunciaveris, vix quenquam Paparum eligi, *ſi non pretio ſaltim ſpe pretij*, ut dicebat ad Eugenium Bernhardus, *non interveniente.* Qua enim alia de cauſa, non vitæ ſanctimonia, non ſacrarum rerum peritia ullam munit ad Papatum viam; ſed ſola liberalitas, & à purpuratorum patrum ac magnorum Principum ſtudijs non alienus animus? Quei adeo candidatos ſenectus commendat? *Nihil magis in votis habent*, ait doctrina probitate & fide perinde illuſtris Thuanus, *populus in Vrbe & Cardinales in Conclavi, quam ut brevis ævi Pontifex creetur: dum hi ad illud faſtigium adſpirant, & crebra mutatione in ſpem ejus adipiſcendi eriguntur; populus autem qui ædium direptionibus gaudet, cum aliquis à collegio, plerumq; falsò Pontifex renunciatur, id quotidie evenire exoptat.* Quei fit, quur ſolis hodie Italis pateat, cum aliarum omnium gentium injuria, ad Papatum aditus, niſi quod Cardinales illius populi ſicut numero potiores ſunt, ita ſuis rebus maximum hinc fructum ſperent? Quid movet hodie Hiſpanum, Gallum, Hetruſcum, & alios, ut magno redemtos ære Cardinales, ſuæ quiſque factionis alat, quorum ſuffragijs Papam inveniant ſtudijs ſuis ſaltem non inimicum? Ridicula ſane eſt ſimplicitas Petri Matthæi JCti illius qui ſeptimum Decretalium librum congeſſit, quando ſcribere non dubitavit: *Tanta integritate inauguratio Pontificis peragitur, ut nihil ſanctius nihil incorruptius judicetur: quamobrem leges in comitiis Conclavis obſervantur pro electione Papæ religioſiſſime: obſervatur & fides, ut eluceſcat omnibus quàm longe abſit à fuco & ambitu, tum ſimoniaca pactione.* Mirum verò, niſi hæc homini imperitia rerum & cœca ſuperſtitio expreſſerint. Magis miteris, eam utriuſque vim eſſe tanta in rerum luce, & uſu adeo frequente. Quæ fides in Conclavi obtineat multo rectius Thuanus obſervavit, notans in Gregorij XIII electione ita

Thuan. lib. 134.

P. Matth. l. 7. Decr. tit. 3. c. 3. in notis.

Thuan. l. 100. hiſt.

Cardi-

Cardinales mutuò ſibi dediſſe verba, *ut ex ea occaſione verba Conclavis quaſi ſubleſta fidei plena in proverbium abierint.* Verùm Matthæo & ejus ſimilibus forte haud injuriâ ignoſcas, ſit enim ruditas pro excuſatione: at qui Conclavis artium rerumque eſt gnarus, ille profectò nequaquam, ſi quidem ſapit, paria ſenſerit. Leve ſane & ineptum quamvis Franciſco Lottino aliiſque vulgò probatum indicium eſt intercedentis electioni Spiritus Sancti, quod illa contra primam eligentium exſpectationem identidem eveniat. Quei enim fieri aliter poteſt, in illa diſcordiâ omnium & ſciſſis ſtudijs, inque illo Conclavis tædio & moleſtia? Si de peſſimo tyranno conſtituendo comitia ejuſmodi haberentur, num alio illa ſucceſſu queant procedere? Quanto veroſimilius ſpiritu hujus mundi agitari comitia illa dixeris, ubi, ſanctimoniæ poſthabita aut certe exigua habita ratione, omnia commodis & incommodis profanarum rerum & ducuntur & æſtimantur! Quicquid tamen hujus ſit, utque interdum dirigat illa comitia Spiritus Sanctus, (interdum inquam: ſemper enim id fieri quamvis ſuperſtitioſiſſimus & imperitiſſimus non affirmaverit) vel ſola tamen illa quæ circa Paparum electionem contingunt, ceu jam ante diximus, liquidò demonſtrant, non eſſe eum Papam, quem illum Romana curia orbi venditat, ſanctiſſimi numinis unicum in hiſce terris Proregem, unicumque Chriſtianæ fidei infallibile columen, ac ſine quo Eccleſia ſalva eſſe nequeat. Quei enim ille ſit adeo orbi neceſſarius, ſine quo & orbi & Eccleſiæ per complures annos, imo per integrum ſeculum & quod excurrit, ſua ſalus conſtat? Utique enim interdum nullus eſt Papa, interdum illegitimi complures, quod perinde cenſetur ac ſi nulli ſunt. Quei Proregem ſuum & fidei δημιουργὸν per ſchiſmata orbi terrarum & Eccleſiæ præficiat Deus; quæ nonnunquam ea ſunt, ut nemini hominum conſtare poſſit quiſnam tandem verus ſit

Papa? Deſui temporis ſchiſmate ita conqueſtus olim eſt Joannes Gerſon, prudentiæ probitatis & doctrinæ laude inter primos tum clarus: *Ad tantam ambiguitatem univerſalis Eccleſia devenit, quod ignoravit apud quam partem vera ſedes Romana erat, niſi forſitan Deus alicui revelaſſet, aut Salomonis judicium de puero dividendo & vera ac falſa matre, hoc perſuaderet.* Et vero quis hic non aberret, cum ipſoſmet Papas ejus rei ignaros eſſe, manifeſto ipſi prodant numeris nominum ſuorum? Liquidò certe hinc patet, alios atque alios ex Antipapis in ἱερατικῷ ordine cenſeri. Sic Gregorium duodecimum ejuſdem nominis decimus tertius quartus & quintus: Gregorij Antipapam Alexandrum Alexand. ſextus agnoſcunt. Alios adducere eadem ratione diſſidentes nihil attinet. Quo magis laudaveris Germanos noſtros, qui Eugenio & Felice Papis quondam contendentibus neutri adhæſere, neutraliſtæ hinc dicti! etſi ut recte judicat Platina, ea res *Romanæ ſedi eſſet pernicioſiſſima, & cum magna imminutione majeſtatis Pontificiæ* conjuncta. Quei porro vix aliter, quàm per vetitas artes aut prava ſeculi ſtudia Proreges ſuos conſtituat Deus, quos tamen ſimul velit devotiſſime ab omnibus coli? Atqui tacito naturæ inſtinctu abhorret pius animus ab eo quem impiè conſtitutum noveris. Quei velit Deus à belluis & meris monſtris orbis univerſi & ſanctæ ſuæ Eccleſiæ ſalutem conſervationemque ſuſpendere? Agnoſcimus Dei indignationem in tyrannis: ſed aliunde virtuti cautum eſt. Agnoſcimus & verbera Dei in perverſis Epiſcopis: ſed nequaquam ab ijs dependet Eccleſiæ ſalus perinde ut à Papa creditur ſuſpenſa; & in promptu ſemper ſunt divina eloquia quæ pium gregem in ſemita detineant ne aberret. Quei poſtremo velit Deus obligari homines ad id ut Papæ tanquam Dei vicario obediant, cujus tamen electio ſi non fuerit legitima non pollet ille Papali auctoritate, nec poteſt interim non merito ſemper cuivis

Gerſ. ſerm. de ſignis ruinæ Eccleſiæ.

Plat. in Nicol. V.

eſſe

eſſe ſuſpecta num ſit legitima nec ne, ſi ſtudia eligentium videas & cupiditatem eorum qui eliguntur? Ut taceam, quàm ſit incertum, num vel cum intentione baptizantis Papa ille ſacro ſit fonte initiatus: quod tamen ipſemet Papa ceu neceſſarium quid exigit. Imo quàm ſit dubium, num qui eligunt Cardinales non ſint vitio creati. Multos ita creari certum eſt: ſed & quei aliter creentur in diuturno ſchiſmate quando ipſimet Papæ ſibi non conſtant? Enimvero qui unum illud ſeriò perpendit, quam bene Deus velit Eccleſiæ ſuæ, quàmve ex adverſo ea ratio, quam in Papis eligendis videmus obtinere, inepta ſit ad id ut ἀνυπεύθυνος aliquis unus Prorex divinus, & unus quis Chriſtianæ fidei falli neſcius arbiter conſtituatur; illi non poteſt non ſaltim ſuſpectum reddi id omne quod Papæ vulgò adſcribitur: imo ſi contendas cum aliarum civitatum quarumlibet hæc Romana comitia, neſcio, an uſpiam averſam adeo numinis curam queas deprehendere. Non ſane in hunc modum Prophetas & Apoſtolos olim legit Deus. Omnis illa miſſio divinitatis aliquid præ ſeſe tulit: Papæ miſſio nihil minus habet, & tamen ille Apoſtolis ac Prophetis reapſe major cenſetur. Ita verò, uti diximus, habere ſeſe etiam hodie poſt tot ſeveras & merito laudandas leges comitia illa, nemo intelligens poteſt dubitare, niſi ſuperſtitione ductus ipſimet ſibi velit imponere. Quam ipſa nuperrima bina quæ Urbanum octavum & decimum Innocentium præbuerunt, nequicquam contra nitente Gregorij decimi quinti bulla, nihilo plæriſque alijs rectius ſeſe habuerint, & tametſi non fuerint peſſima, à virtute tamen & ſanctis Eccleſiæ canonibus plurimum diſceſſerint, ipſæ illæ quas libellus hic comprehendit, clariſſime exponunt.

Te ſane nihil horum latet, ſcio, PRINCEPS RUDOLPHE AUGUSTE: indubie enim ut alia omnia quæ univerſo geruntur orbe Sereniſſimi Patris curâ ſtudioſe accipis,

pis, ita & Papalia negotia, quandoquidem creduntur tanti & multos adeo dementant, non pateris à conſcientia Tua aliena eſſe. Eoque non in id ego mitto commentarios hoſce: quo Tu ex ijs diſcas quod te hactenus fugit; ſed uti illuſtri exemplo tuo etiam alij ad ejuſmodi & legenda, & curate expendenda invitentur. Niſi autem vehementer fallor, etiam illi qui rerum minus quam par eſt ſatagunt, circumſpicient ſolito attentius & ad hæc quoque advertent, ubi à Tuis etiam ſtudijs non aliena hæc eſſe intellexerint. Fiet autem idipſum magno eorum commodo: quippe quum unum hoc pene ſatis ſit vel retinendo alicui in regia hac veritatis via, vel aberranti in eam reducendo. Commendaverit autem fortaſſis haud injuria tales libellos ea etiã quæ præclaris omnibus ingenijs inſita eſt, varios hominum mores & omnis generis diverſa inſtituta cognoſcendi cupiditas. Et verò tanquam in ſpeculo optimo hic videre eſt fraudes, dolos, & σοφίσματα, quibus in comitijs poteſt alicubi eſſe locus. Quis etiam paulò curioſior non ſtudeat arcana illius reipublicæ pernoſcere, quæ omni pene mundo facit fucum, & quam latiſſime, etiam poſt tantam jacturam, per orbem univerſum dominatur, eſtque hodie omnium omnino celeberrima? Certè ignorare hæc etiam is non debet, qui ad plenam Imperij Germanici notitiam adſpirat: ſaltim ut intelligat, quò nunc denique reciderit priſca Cæſarum circa Pontifices conſtituendos auctoritas. Me profectò mirifice hæc delectant; ac proinde ubi ſenſero non diſplicere Tibi, PRINCEPS OPTIME, conſilium meum, alioſque ductu quaſi Tuo ad ejuſmodi ſtudia allici: dabo operam ut alia quamplurima curiæ Romanæ ſacra χήματα, & occultæ imperandi diteſcendique artes, omnium oculis exponantur. Invitabis me etiam iſthac Tua gratia, ut auſim aliquando gravioris curæ ſcriptum in Illuſtriſſimum Tuum nomen elucubrare. In præſens Deum veneror, uti

Celſi-

Celſitudinem Tuam Germaniæ univerſæ, cumprimis vero hujus terræ Tuæ avitæ, quin imo & Academiæ Juliæ commodo, in plurimos annos ſoſpitem felicemque tueatur.

XXXIIX.

Præfixa Commentariis de Electione Vrbani VIII. & Innocentij X Pontificum.

AD BENEVOLVM LECTOREM.

QUas tibi hic exhibemus, LECTOR, binas Papalium electionum hiſtorias, debemus induſtriæ & laudabili hanc curioſitati, qua fertur in variarum rerumpublicarum notitiam, virtute non minus ac doctrina quam genere eximius juvenis Franciſcus Henricus Witzendorffius, Luneburgenſis patricius; qui eas in Italico itinere nactus, verſas Latine nobis edendas tradidit. Auctorum nomina ignorari non eſt mirum; quum omnis ejuſmodi ſcriptio lege ſit vetita. Indubie verò ex Conclaviſtarum, quos appellant, ordine fuere; à quibus vulgo ejuſmodi ſcripta ſolent proficiſci. Fidem omnium præſtare non eſt noſtrum: ſed & vix fieri poteſt, ut in tam callida verſutiæ humanæ palæſtra omnium ſtudia & arcanas ſingulorum artes adſequaris. Quum tamen nihil præter ſolitum hic occurat (eadem enim in omnibus Conclavibus fabula agitur, mutatis duntaxat perſonis) nihil cauſæ videmus, quare ſaltim de plærisque merito ſubdubites.

Adjunximus Gregorij XV Bullam, quam de Pontificum electione noviſſimam promulgavit; quo lux major hiſtoriæ affulgeat, utque ſimul luculento exemplo appareat, quam eſſe verſutia & cupiditas hominum, quibus cruda virtus & pietas non eſt cordi, nullis quantumvis exquiſitis legibus in rationis gyrum patiatur redigi. Damus autem illam (ne de fide dubites) qualem in opere ſuo Archontologiæ Coſmicæ edi-

cæ edidit neſcio quis Gallus minime ſane Proteſtantibus addictus, & poſt illum I. Lud. Gothofredus.

Lottini (hominis Itali, & qui non diverſus videtur ab illo Volaterrano cui Marcellus II Papa unum ſuorum trium quæ hactenus obtinuerat ſacerdotiorum conceſſit, in carcerē vero conjecit Paulus IV, Onuphrio Panvinio in vita Marcelli & Pauli Pontificum teſte) diſſertatio legi cumprimis meretur, quoniam breviter, etſi nonnihil confuſius & cum quadam obſcuritate, omnes omnino artes ſacri illius Conclavis nos docet, idque poſt multa facta experimenta. Edita illa typis jamdudum eſt, primùm quidem Italice, quemadmodum eam auctor ipſemet conſcripſit, Mediolani ipſo anno ſeculari ſextodecimo, una cum diſſertationibus alijs Politicis quamplurimis, in volumine cui Theſauro Politico eſt nomen: inde cura Caſparis Ens Latine reddita, mutilatim tamen, inſerta eſt eodem nomine operis parti primæ: per eadem tempora &, Philippo Honorio ſatagente, Italice ac Latine cum alijs prodiit Francofurti: nec multò pòſt ab Nicolao Bello in Diſſertationum Politicarum tomum primum eſt cooptata.

Ex eodem volumine adjunximus ſimilis argumenti neſcio cujus Itali diſſertationem, ſcriptam circiter annum 1585, excerptamque ex alia majore: quæ Enſio tomi primi apoteleſma ſecundum uſurpatur, Honorio tomi item primi altera eſt relatio, Bello autem diſcurſus eſt decimus primi itidem ſegmenti. Partim vero illa confirmat quæ à Lottino ſunt dicta, partim & alia habet non contemnenda: quanquam & nonnulla poſt mutaverint, ut quod de Gallorum circa electionem Papæ ſtudijs narrat.

In eodem opuſculo de Sixti V electione etiam multa diſſeruntur; ſed illa non addidimus: non quod non & illa lectu ſint digna, ſed quoniam pari jure & aliæ multæ ejuſmodi Conclavium hiſtoriæ debuiſſent addi, id quod procul eſt à noſtro inſtitu-

inſtituto. Quibus id unice nunc eſt propoſitum, clariſſimis documentis oſtendere, Conclave Pontificium antiquis moribus & morbis hodieque agitari, quantumlibet illi curando ſedulam operam poſt alios Gregorius XV impenderit; atque adeo meliorem ejus faciem non eſſe fortaſſis in iſta vitiorum colluvie quod ſperet Chriſtianus orbis.

Tantum majoris lucis ergo ex Onuphrij Panvinij, luculentiſſimi ſane ſcriptoris & rerum Pontificiarum peritiſſimi, notis doctiſſimis, quas ad Platinæ Pontificum hiſtoriam anno ſeculi ſuperioris quadrageſimo ſeptimo edidit, ſubjunximus ad ultimum excerpta nonnulla de Conclavis legibus quas ille compendio in unum collegit: Unde ſaltim hoc diſcere fuerit, quemadmodum ad iſtam uſque ætatem omnia illa ſeſe habuerint.

XXXIX.

Inſerta Centuriæ ſecundæ Epiſtolarum medicarum T. Bartholini pag. 447.

V. C. THOMÆ CASPARIS F. BARTHOLINO Medicinæ in Academia Hafnienſi Profeſſori Regio.

Literæ tuæ, Clariſſime Bartholine, mirificè me exhilaravere, idq; multis nominibus. Jamdudum enim ex quo Anatomica paterna elegantiſſime abs te bis recenſita, & quæ de Animantium lumine, Latere Chriſti aperto, Armilliſque veterum edidiſti, in manus meas pervenere, ſuſpexi ingenium tuum, boni publici ſtudioſum atque ad ſolidam gloriam erectum, nec minus varia doctrina ſubactum excultumque: auſus etiam ſum reipublicæ literariæ & noſtro huic ſeculo præclariſſima quæque de te polliceri, ubi vidi indicem aliorum

abs te editorum librorum complurium. Itaque cum jam ante amarem te, prout merebatur virtus ac doctrina tua, vehementer ſanè ſum gaviſus, quando ex literis tuis intellexi, provocari me quaſi abs te, ad ipſa penitioris amicitiæ ſacra dudum deſiderata. Quidni verò etiam me exhilararent illæ quibus me proſecutus es, laudes? Quamvis enim rectiſſimè omnium ego intelligam quantum illæ captum indolis meæ excedant, non poteſt tamen non me afficere impetus ille magni erga me amoris. Eſto igitur inter nos, mi Bartholine, impoſterum vera & ſolida amicitia, quoniam ita vis: nec enim patiar in me quicquam deſiderari: idque ut tibi perſvadeas etiam atque etiam rogo.

Haud parum vero delectaverunt etiam me literæ tuæ, elegante illâ Pecquetiana obſervatione Anatomica, tuo ſtudio induſtriaque egregiè exculta. Ne fando quidem de illâ hactenus mihi innotuerat quidquam: eoque illa quidem doctrina omnino mihi inſperato accidit. Adeo autem deſiderium, oculis rem illam novam contemplandi, penitus in me accendiſti, ut ſimulac nonnihil otij à laboribus alienis pluribuſque (qui me tantum non conficiunt) nactus ſum, ſtatim ad vivorum canum ἀνατομὴν, vetera mea oblectamenta, redierim. Nec vero ad tuas reſpondere, nullo facto antè experimento, fas duxi; quin haud alia de cauſa perinde fui hactenus in reſpondendo tardior. Ita autē eſt, mi Bartholine, prout narras: omnia qualia deſcripſiſti & ego heic invenio: ſed & vidi præterea ramulos varios à lactea illa thoracica in cavam venam ſparſos. Quin imo ſpem certam concepi, fore brevi, ut alij novi ductus connexioneſq; lactearum cum venis inveniantur hactenus incogniti. Neque vero copia lactei chyli & anguſtia pancitaſque hactenus cognitorum vaſorum, aptorum in id uti chylum ex receptaculo poſſint aliò transferre, me quidem permittit dubitare de alijs hactenus ignotis vijs. Ut ſane per

illum à Pecquetio inventum ductum omnis poſſit meare *&* eſt τῶν ἀδυνάτων. Nimis etiam paucæ ſunt & anguſtæ venulæ, quas in venam portæ, in cava hepatis, in venam cavam, inſeri dudum cum aliis tum etiam mihi (quidquid neget Pecquetius) eſt obſervatum. Jam ante decennium nonnihil ea de re ſum ſuſpicatus, quod habetur pag. 8. libri de Sanguine editionis Batavicæ: impoſterum, ſi ferant negotia, curioſius inquiram; imo vero Tu, feliciſſime Bartholine, invenies: Efficiunt autem adeo diverſæ lactearum connexiones, ut magis magiſq; declinem in antiquiſſimi ævi illam περὶ αἱματώσεως ſententiam: nempe ἐξαιμάτωσιν (ceu loquitur Ariſtoteles) ſive primum ſanguinis rudimentum in venis fieri, adeoque in hepate non niſi κατὰ συμβεβηκὸς, in corde autem quoniam ibi calor eſt maximus ultimum accipi complementum: non quòd omne eo momento quo in cor pervenit ſtatim & perficiatur (id enim vetat me credere is qui ſanguini permiſtus eſt ἰχὼρ crudus, quem per cor traductum eſſe nullum eſt dubium, & tamen nondum plene excoctus eſt) ſed quod tamen ſine vi cordis nunquam ita queat perfectionem ſuam ultimam conſequi. Certe paucitas illa & anguſtia meatuum lacteorum qui in hepar pergunt, non permittunt, uti credamus inpoſterum, hepar præcipua quadam vi αἱματοποιητικῇ valere. Et verò videtur naturæ rerum rectius conſultum, ſi chylus variis multiſque in locis cum venoſo ſanguine miſceatur, quam ſi omnis uno loco temporeque conficiatur; hoc ſanè longe eſt difficilius quàm prius illud. Num illa cum jugulari connexio ſingulatim faciat aliquid ad citam reſtaurationem virium cordis (ut affirmen tibi quod ſentio, Vir clariſſime) multum dubito. Primo enim æquè expedita & brevis via videtur in cor ex hepate aut vena cava abdominis; & omnino ante illam connexionem ramuli, ceu ante dixi, ſparguntur in cavam qua parte eſt cordi propinquior, atque

eſt jugularis externa. Secundo in illa thoracica lactea nihil reperias niſi aliquot à paſtu horis; ut proinde chylus ex cibo craſſiore confectus videatur per hunc meatum deduci, is autem non eſt facilis & idoneus ad reſtaurandas corporis vires. Hæ ſcilicet ſitæ ſunt in iſthoc animali igne; quem pinguiſſimis ſanguinis partibus ali, fortaſſis haud vanis argumentis probavi libro de Animali Igne. Sed quid ego tibi narro cogitationes meas? Tuas potius unicè exſpecto; quanquam pro recentis amicitiæ jure liberè apud te ſententiam inpoſterum ſim dicturus. Vale Vir clariſſime, & plurimùm ſalve. Helmeſtadij 6. Febr. 1652.

P. S. Miſi nuper libellum de Electione Paparum: eum ſpero jam redditum. Ejus auctarium ut & librum de Germanicorum corporum habitu ſecundæ ἐκδόσεως habebis propediem. Quod ſi & reliquorum meorum quid petieris, mittam; ſi quidem ad manum fuerit. Rogo autem, ne graveris meo nomine ſalutare magnum illud Hafniæ, imo omnis Septentrionis ornamentum, Wormium, epiſtolari conſuetudine mihi quondam familiarem.

XL.

Inſerta ex parte Introductioni in Artem Medicam, ex Diſſertationibus meis à Sebaſtiano Scheffero V. C. conſcriptæ.

V. C. JOANNI HENRICO MEIBOMIO & Epiſcopi & Vrbis Lybecenſis Archiatro.

CLar^me^ Vir, D. atque Amice longe maxime & plur. honorande. Dum redeo ab exercitio Anatomico, quod per octo amplius dies jam in virili cadavere obeo, offeruntur mihi literæ tuæ, etiam hoc nomine gratiores, quod nonnihil

avocent

avocent me ab illis perpetuis moleſtijs rei Anatomicæ, quæ tandem neſcio quid tædij ſecanti docentiq; adferunt. Quoniam autē video longe majores mihi labores imminere, & nihil perinde deſiderem atque perfectum videre tuum de Medicorum vitis opus, ſtatim reſpondeo ad tuas, etſi haud parum defatigatus. Schenkius etiam me olim multum turbavit, præſertim cum nemo eſſet dux ijs in Arabum deſertis. Nam teſtatur quidem Andreas Alpagus procemio in Avicennam, verſam à ſe neſcio quam Medicorum & Philoſophorum Arabum hiſtoriam: Johannes etiam Leo lib 3. hiſtoriæ ſuæ Africanæ Vitas Philoſophorum Arabum à ſe ſcriptas refert, in quibus indubiè & nonnulli fuere præclariſſimorum ejus gentis Medicorum: à Ben Caſen item doctiſſimorum Arabum hiſtoriam proditam, non ſemel notant duo illi Maronitæ Pariſienſes ad Geographum Nubienſem: inter libros porrò quos ex oriente advectos Bibliothecæ Academicæ Leidenſi intulit Jacobus Golius, reperiuntur volumina quidem duo Aben Aſebhi de Vitis omnium doctorum qui ſtante Arabum imperio claruerunt, volumen item grande Nuveiri Bibliothecæ Arabicæ, & Pars ſeptima Bibliothecæ Arabicæ conſcriptæ ab Aben Aladir, continens vitam & catalogum Philoſophorum, Mathematicorum, aliorumque artificum qui ad quadringenteſimum à Mahumede annum vixerunt, Aben quoque Alhasli de vitis Philoſophorum, & Aben Chaldim de imperio & doctrina Arabum, ut & volumen de vitis & ſcriptis quorundam Philoſophorum & Mathematicorum; qui libri indubie & de Medicis egerunt, ut quorum pleriq; ſimul Mathematicæ quoq; & Philoſophiæ peritia inclaruerint: quin & ſeorſim in catalogo Golianorum illorum librorum memoratur volumen de vitis Medicorum qui in Oriente floruerunt, eſt autem, niſi fallor memoria, Saidi Ibn Patric, celeberrimi illius Chronographi & Patriarchæ

Alexandrini, qui etiam ipſe Medica arte inclaruit: In Britannia quoque ſuperat Gregorij Abulpharaji Hiſtoria ſucceſſum omnigenæ doctrinæ adeoque & Medicæ artis ſimul ſtudioſe referens: imo ſunt & aliæ hujus tui argumenti Hiſtoriæ complures Arabicè ſcriptæ. Verum ex tanto numero nihil horum hactenus typis editum, multo minus mihi eſt lectum. Vereor autem ut quis poſſit in rebus Medicorum Arabum per tempora ſua dirigendis, ijs libris deſtitutus, facere pretium operæ, aut cavere lapſum. Eoque mi Amice, nec à me exſpectaveris aliquid certi, adeo malè à libris qui huc faciunt inſtructo. Non dubito tamen Schenkij conjecturam, ſi non omni ſaltim magna ex parte futilem pronunciare. Vtrique enim ſi Galaf eſt Judæus Catalanus, non poteſt non eſſe diverſiſſimus ab Alpharabio, homine Turcomanno & nequaquam Judaicæ religionis. Neque à Schenckio potuit ex ſcriptorum aliqua collatione colligi, Alpharabium eundem eſſe cum Alſaharavio: utpote quum nihil Alpharabij, titulo quidem ſcripti medici, Latinè hactenus ſit verſum, nec Alpharabij nomen inter Medicos multum claruerit, quantum licet capere ex ſcriptis Arabum Medicorum quæ Latina lingua legimus; utut Arti quoque huic ſtudiuiſſe illum credam, referentibus illud ex Ben Caſen ad Caput II & XIII Nubienſis Geographiæ Maronitis. Fortaſſis etiam ex nominũ levi ſimilitudine haud certò ſtatueris, Alſaravium & Alpharabium diverſos non eſſe. Albumaſarem autẽ ſive Abunaſarem, Averroi ſæpe adeo laudatum, eſſe eundem cum Alpharabio equidẽ non dubito: nomen enim magni illius Philoſophi Baldacenſis integrum eſt Abunazar Alpharabi, quod vel ex Juchaſin Abrahami Zacuti Judæi liquet, qui ætatem illius in eadem tempora rejicit cum BenCaſen. Non eſt mihi hodie ad manum Alſaharavius: lego autem in Adverſarijs meis, videri illum antiquiorem Avicenna, quod nec alibi nec *tr. 3. c. 2.* Theoricæ

libros εἰσαγωγικοὺς artis noſtræ laudans, etſi meminerit quidem Humein, Raſis, Ben Algezar, Iſaac ben Amram, Iſaac filij Salamonis Iſraelitæ, vel verbulo Avicennam commendaverit. Certe ijs quos modò nominavi vel par vel vetuſtior fuerit neceſſum eſt. Non fit porrò veriſimilis mihi ejuſdem Schenckij conjectura, quaſi Abulcaſis, (cujus extat libellus Servitoris titulo, ἀποσπασμάτων magni operis) ſit cum Alſaharavio idem: nec enim illius Servitor cum hujus Antidotario multum convenit; utque jam ante dixi, Servitor eſt pars viceſima octava magni operis medici de medicamentis compoſitis cui Servitoris titulus erat inditus, quod apud Latinos hactenus deſideratur. Autor quoque ille Servitoris Hiſpanus fuit, niſi nos fallit interpres tractatus 1: Alſaravius autem videtur eſſe Aſiaticus. De Albucaſi ipſemet facile videris, quam ſit ab hiſce omnibus diverſus; cum libri ejus chirurgici tibi ſint in promptu. Joannicij videntur complures fuiſſe, quantum ex Schenckio apparet. Is qui inter Arabes inclaruit, videtur potiſſimùm notus librorum quorundam Hippocratis & Galeni in Arabicum verſione. Humein ut & Hunein, celebrius videtur inter Medicos Arabes nomen: paſſim enim ſolet in teſtimonium vocari. Num idem ſit cum Joannicio, tecum dubito; nec tamen Alpago auſim temere refragari, viro Arabicæ doctrinæ inter primos gnaro. Uno verbo: de hiſce & alijs Arabum hiſtorijs nihil audeo definire ab idoneis libris deſtitutus. Nec fortaſſis eſt quare hæc cura remoretur operas tuas, modò de potiſſimis certiora attuleris. Neſcio an uſui eſſe tibi queant mea illa quæ de Arabum Scholis *Diſſertatione 1. De Antiquitatibus Academicis*, aut de Chemico eorundem ſtudio *c. 26. Hermeticæ Medicinæ* habentur. Plura fortè poſſem ſuggerere interdum, ſi propius abeſſem. Nunc quî poſſum? Non tamen per epiſtolam ſymbolæ aliquid addere, unquam gravabor. Quæ de morbo narras interpre-

terpretor ego de Podagra. Abſit enim ut alius valetudinem tuam infeſtet. Huic precor mite & molle imperium; Teque Amicorum optime plurimum ſalvere ac valere opto. Helmæſtadij XIV. Febr. 1652. D. Doct. Neukranzio ſalutem plurimam.

XLI.

In alteram editionem libri de Habitu Corporum Germanicorum quæ prodiit Helmeſtadij 1652.

Illuſtriſſimis Comitibus ac Dominis ENNONI LUDOVICO, GEORGIO CHRISTIANO, EDZARDO FERDINANDO, Fratribus, Comitibus ac Dominis Oſtfriſiorum, Dominis Eſenæ Stedeſdorpij & VVitmundæ.

LIbellus hic iterata modo editione auctus caſtigatuſque, ad gratiæ veſtræ aram, PRINCIPES, non tam affectat viam, quam ſuapte ſponte feſtinat propemodum; idque memoria cumprimis ductus ejus benignitatis, qua illum abhinc ſeptem annos, recenti tum fœtura editum, Illuſtriſſimus veſter quondam parens excepit. Et vero eram ego optimo iſti Principi non niſi fama cognitus, ut qui maximam vitæ partem extra patriam à prima uſque pueritia exegiſſem; ubi tamen libellum hunc mole quamvis exiguum pietatis cauſſa nomini ſuo vidit conſecratum, id quaſi operam ille confeſtim dedit, uti intelligerem, & me & munuſculum meum gratum ſibi eſſe, ſimulque res meas majori inpoſterum curæ futuras. Sed erant turbulenta tum reipublicæ tempora; & non multo poſt gravis Principem morbus tandemque mors præpropera abripuit, ut optime cogitata expedire minus licuerit. Poſteaquam vero in patris locum, cui ille ceu primogenito patriæ legibus debetur, ENNO LUDOVICE, ſucceſſiſti, cum ætas

ætas Tua adhuc tenera gerendis rebus minus eſſet idonea, Illuſtriſſimæ quidem matris voluntate, cum valetudinis Tuæ Tuorumque, tum præcipue nutantis nonnihil reipublicæ, curam ego ſuſcepi: ſuperiore tamen anno, quum ex longa peregrinatione redux clavum regiminis aggredereris, multis modis ita oſtendiſti mox ipſemet, quantum tibi placeant res omnes conſilio operaque mea hactenus geſtæ, ut & gratias tibi hoc nomine ego debeam, & haud injuria de favore tuó queam forte gloriari. Proinde quum libellus meus hereditario quaſi jure, PRINCIPES, ad omnes Vos optimo patre dignos filios pertineat, & vel eo quod jam olim benigne adeo fuerit à patre habitus, Veſtram quoque gratiam merito ſibi ſpondeat, Tuus vero erga me animus, ENNO LVDOVICE, ſingulatim mihi ſit perſpectus, forte peccem ego ſi illi patronum alium quæram. Hic ipſe tamen annus (fateor) me monet, ut alio potius ſcripto quodam, quod nempe patriæ reipublicæ majori ſit uſui, Illuſtriſſimum affectum Veſtrum demerear. Ducenti ſcilicet adeo nunc anni ſunt, quando omnis Oſtfriſiæ populus pertæſus ingentium malorum, quæ non libertas amplius ſed licentia longo jam tempore pepererat, Principatu in familiam veſtram collato, tranquillitati publicæ veræque libertati conſulere impoſterum propoſuit. Ea res quam feliciter illi ceſſerit, quamve proſpero ſucceſſu libertas Principatu legitimo, (ſecus quam nonnulli exiſtimant, qui res illas natura ſua inſociabiles exiſtimant,) fuerit temperata, & publice intereſt ut omnes intelligant, & mei muneris quo apud Te fungor, ENNO LVDOVICE, videtur eſſe ut ſingulari libro doceam. Verum fortaſſe poteſt hæc ſcriptio aliquantulum differri. Id quod ſi Vobis etiam videtur, PRINCIPES, jure nunc acquieſco; in magna ſatis felicitate hodie habiturus, quod libellum hunc eo, quo olim Illuſtriſſimus Veſter parens, clemente vultu dignemini.

XLII.

Præfixa Operi de Finibus Imperij Germanici Helmſt. editi Anno 1654.

Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principi ac Domino D. FRIDERICO WILHELMO Marchioni Brandenburgenſi S. R. I. Archicamerario & Electori Duci Magdeburgenſium, Pruſſor. Iuliacenſ. Cliyenſ. Bergenſium, Stetinenſium Pomeranorum, Caſſubior. Venedor. ut & Croſſenſium ac Iegerndorfenſium Sileſiorum, Burggravio Norenbergenſi, Principi Halberſtadenſium & Mindenſium, Comiti Marcano & Ravenſpergico, Domino Ravenſteinij, Domino ſuo clementiſſimo.

PUblicanti hoc de Imperij Germanici finibus opus, citra longam deliberationem ſtatim occurrit, patrono illi opus fore & magno potenteque, & cui Imperij ſalus præ alijs eſt cordi, & denique iſto qui res meas non omnino ignoret, imo qui me jam tum gratia quadam proſequatur. Arduum ſcilicet ac partium præpotentum ſtudijs impeditum argumentum pertractavi; quod neſcio an fieri potuerit ſine aliqua offenſa illorum, qui aliter omnia credi atque à me diſputatum eſt, intereſſe ſua fortaſſis exiſtimabunt, quorum tamen dignitas auctoritaſque longe eſt in terrarum hoc orbe maxima. Horum ego indignationem haud ſperaverim quidem jure me commeritum, quando cauſam ago Imperij Germanici: quippe qui procul amore & odio, nulla lucri nulla alterius alicujus commodi ſpe impulſus, ſolo patriæ reipubl. & recti verique amore ductus, cuncta exaraverim: non tamen latet me quam ſit in vita omni difficile, verum dicere. Cæterum eo quem diximus patrono ſuffulta veritas tuta, niſi fallor, erit ab injuria:

licebitque Germaniæ fines ſecure defendere ſub clypeo quaſi magni & ſalutis Germanicæ ſtudioſi Principis. Aſt in Tui unius Celſitudine, SERENISSIME DOMINE, ego quidem invenio quæ deſidero omnia. Enimvero unus ſimul, & latiſſime per Germaniam omnem dominaris: & ſingulatim ex officio Electoralis muneris præ multis alijs honori & commodo Imperij, ceu decet Senatorem ejus principem, cupis: & poſtremo (ſi hoc etiam fas eſt adjicere) non obſcura gratiæ favoriſque indicia jamdudum mihimetipſi exhibuiſti. Quin liceat igitur, DOMINE, libro huic meo, frui iſto patrocinio, quo uno fretus veritatem audebit publice profiteri. Et vero exigit fortaſſis ipſa Imperij ſalus linguam liberam: ne longo ſilentio & hinc nata ignorantia cum poſſeſſionibus & poſſidendi pariter jura amittantur. Deum veneror, ut Sereniſſimam Celſitudinem Tuam ejuſque potentiſſimam familiam bono Imperij diu ſoſpitet.

XLIII.

Eidem Operi de Finibus Imperii Germanici præmiſſa.

BENEVOLO LECTORI S. P. D.

CUm primum ſcriptioni huic manum appellerem, aliud mihi conſilium fuiſſe atq; poſt reapſe quod egi, ipſamet operis frons indicat etiã me tacente. Fuit ſcilicet animus non niſi Diſſertationem edere, & quidem illam quatuordecim circiter plagulis comprehenſam: quæ brevitas ne qua foret deſpectui, volui aliquam illi molem quærere à charactere grandiore. Simulac verò cœpi argumentum hoc majore nonnihil cura aggredi, ſenſim mutata ſententia, & laxato quaſi freno, liberior ſtilo curſus indultus eſt. Deprehendebam nimirum argumenti & nobilitatem, & amplitudinem, & (quia

vix à quoquam ex profeſſo eſt tactum, vel certe maligne traditum,) obſcuritatem difficultatemque, exigere diffuſam magis curam, nec vaſtum adeo campum, ea quam inſtitueram brevitate, poſſe ſine aliqua Imperij injuria conſtringi. Ita accidit mihi quod fere ſolet in ſcriptione extemporanea, ut ejus initio non uſque adeo bene progreſſus operis reſpondeat: quod vitare poſſunt qui non niſi perfecta jam ſcripta ſolent typis committere. Quorum ego morem ut laudo, ita hactenus nunquam imitari licuit, per neſcio quod ingenij vitium: quo ductus quicquid calamo excidit non patior deſcribi, ſed mox, licet minus pulchro charactere formatum in ſchedis, trado typothetis, illis ſæpe ringentibus: ne relegere quidem ſemel ſcripta ſuſtineo, niſi ex typographeio reddita, quo emendentur. Id quod ideo nunc commemoro, uti & ne ignores, Lector, cauſam inſolentis primæ inſcriptionis, & ſimul ignoſcas. Nec vero ab extemporanea illa mea ſcriptione aliud aliquod ſperaverim crimen magnum commiſſum: quod videlicet, ut mos eſt, aut eadem ſæpius repetita, aut nonnulla alieno loco poſita, aut denique ea ſcripta fuerint quæ mutata mallem: ac proinde eo faciliorem mihi unius peccati, in titulo operis commiſſi, veniam polliceor: præſertim cum non pro amphora inſtituta urceus, ut illi quondam, ſed pro urceolo penè amphora exierit, etſi ab argumento meo ne latum quidem unguem ut ajunt diſceſſerim. Sed & correxi jam illum primum male natum nomen, & in libros duos mutavi falſo dictam Diſſertationem; ut alter contineat Finium rem omnem, à primo uſque Imperij exordio ad fatalem illam ruinam, quæ cum Friderico II Cæſare tertio decimo ſeculo contigit, alter cœptam materiam ad noſtram uſque hanc tempeſtatem perſequatur.

Continui vero me in omni hac ſcriptione in explicandis duntaxat juribus Finium: cauſſas quur illi quondam ita amplificati

plificati & rurſum contracti adeo ſint, quidve horum vel profuerit olim vel hodie proſit ſive obſit, ne quidem verbulo attigi; idque conſulto: propterea quod ea eſſet prioris illius loci difficultas & amplitudo, ut alter commode non potuerit ſimul agitari. Ingens nimirum eſt inter jurium illam peritiam, quæ circa τὸ ὅτι occupata tantum eſt, & illam qua ſimul & cauſſas jurium illorum adeoque & uſum & noxam eorum aſſequeris, quæque proinde fere ſola prudentiæ nomen promeretur, diſcrimen. Certe facile illud quivis ſanæ mentis fatebitur, etſi Taboricus ſtupor id non capiat. Igitur non quod neſcirem cauſſarum illam cognitionem pertinere demum ad exactam jurium illorum Imperij ſcientiam, aut quod exiſtimarem non eſſe pretium operæ in exponendis illis laborare, non tactus à me ille locus eſt; ſed quoniam, cum & ipſe prolixus ſit ac difficilis, non potuit hac vice unà cum altero illo negotio recte expediri. Et vero ſedet ſententia ſeorſim aliàs exponere, cauſas & incrementi omnis & decrementi, quod Imperium hoc noſtrum à prima origine ſua ad hæc noſtra uſque tempora varijs eſt viciſſitudinibus hactenus expertum. Fortaſſis etiam addam, qua ratione exiſtimem ego collapſam rempublicam erigi rurſum poſſe, quidque inpoſterum ſperandum ſit metuendumve. Fortaſſis, inquam. Minus enim tutò aut commode talia in publico differuntur: nec forte fas eſt conſilium in tam arduis publicæ rei negotijs dare, niſi iſtud curare in officio tuo ſit. Tamen & veteris & noſtri ævi magnorum hominum exemplis, qui non dubitaverunt editis in publicum libris conſulere in medium quod uſui fore arbitrati ſunt, ad ſimilem operam queam invitari. Cæterum quicquid hujus aliquando futurum ſit, in præſentia omne illud à me conſultò eſt in hoc de Finibus opere omiſſum. Ne tamen ſententiam ſuper hac re meam omni nunc ex parte diſſimulem, viſum fuit ſubjungere ſaltim ea, quæ ante hos

ſeptemdecim annos de negotio hoc diſſerui, illa in præfatione quam operi Politico Ariſtotelis tunc præmiſi. Quamvis enim neququam omnia quæ huc pertinent ſim ibi perſequutus, quod & laterent me tum nonnulla, nec permitteret argumentum aliter hæc quam duntaxat obiter tangere, dixi tamen jam tum, pro ætatis meæ & occaſionis ratione, nec pauca nec fortaſſe paſſim obvia & omnibus æque in vulgus cognita: quæque proinde haud incommode heic legas expendasque, donec majora & pleniora depromere licuerit.

In opere ipſo ita verſatus ſum, ut univerſa à prima Imperij origine arceſſiverim, non contentus ultima hæc noſtri ævi duntaxat proſequi: idque quoniam ſentio ipſa hæc ultima probe exponi non poſſe, niſi re omni altius repetita, & priſca tamen illa quadam caligine tecta deprehendi, vix quoquam noſtrorum illuc uſque excurrente. Obſervavi porro in omni expoſitione temporis ſeriem, & veterem regnorum, ex quibus hoc vaſtum Imperij corpus coaluit, diſtinctionem: quo major lux ex probo ordine lectori affulgeat, evitata omni confuſione. Eapropter ſeorſim quoque perſecutus omnia ſum, quemadmodum ſeſe habuerint ad Friderici II Cæſaris ævum, ſeorſim reliquam tempeſtatem univerſam exhibui, quandoquidem uſque adeo ingens inter illa tempora diſcrimen invenitur, & fortuna Imperij quaſi binas in partes illas diſſecta eſt. Ad leges provocavi, non illas Romanis proprias, ſed quas natura aut gentium conſenſus inſtituit: quod illæ controverſiis hiſce decidendis minus ſint idoneæ, etſi vulgo utramque ſoleant paginam facere, imo tertium pene quodvis verbum interpolare. Hujus facti & hujus ſententiæ meæ rationes & alibi fuſius, & breviter hoc ipſo in opere capite nonodecimo, eas attuli, ut ſperem æquum judicem quemvis ijs cum cura expenſis, aut omnino mihi aſſenſurum, aut certe erranti veniam non denegaturum:

rum: aliorum voculas nec moror nec pertimeſco. Cum vero ipſa naturæ & gentium jura de acquirenda & amittenda rerum poſſeſſione viderentur habere haud parum obſcuritatis, duxi operæ pretium, digreſſione quadam facta illuſtrare nonnihil hunc locum, ne qua caligo remoraretur controverſarum Imperij poſſeſſionum dijudicationem. In ijs quæ facti ſunt arbitrandis, uſus ſum cum tabulis publicis quas potui nanciſci, tum teſtimonijs hiſtoricorum quos gnaros maxime rerum & integræ eſſe fidei cenſui. Nec vero non excuſſi monumenta omnia vetera, nova, quæ licuit inſpicere, ſi ad illuſtrandum hoc argumentum facere aliquid poſſe viſa ſint: indignum ratus, controverſiis de caſa agreſti obortis chartas omnes magno ſtudio evolvi, rogari teſtes, & juratos quidem, rem ipſam oculis luſtrari, & tamen in latiſſimarum maximarumque urbium & provinciarum poſſeſſionibus dijudicandis levi quadam opera defungi. Verum hoc agenti multa mihi defuiſſe, fere nunquam non & deprehendi & dolui. Nec enim dubito in ſanctioribus tabularijs plurima latitare, hunc locum illuſtrare peridonea; monumenta etiam hiſtoricorum alia nondum typis publicata, alia edita quidem ſed in manus meas non perveniſſe. Plurimum igitur abeſt, ut exiſtimem, pro dignitate argumentum hoc univerſum à me tractatum, aut ab errore omni ſatis cautum eſſe. Quei potuit hoc à me fieri à monumentis ita deſerto? Quod potui præſtiti ego: quibus in promptu ſunt tabularia & in arcano hactenus deliteſcentia monumenta, aut omnibus numeris inſtructæ bibliothecæ, illis ſi accuratiora & pleniora meis attulerint in medium, cedam lubens, non invidebo. Erroribus interim meis ut & ignorantiæ veniam ſpero ab omnibus æquis boniſque lectoribus. Homines ſcil. ſumus omnes ac erroribus proinde obnoxij, eoque & humanitus mecum actum iri confido. Ut illo animo ſane mea expendantur, Reges & Princi-

Principes, quorum ex ſententia fortaſſis non omnia diſputavi, ea qua par eſt ſubmiſſione, rogo obteſtorque. Occulto reipublicæ amore abreptum me interdum, haud negaverim. Quomodo enim hoc caveris bonus civis? At vero lucri aut potentiæ aliqua ſpe vel metu à veri profeſſione me ſeductum, nemo, ſcio, dixerit quibus res meæ perſpectæ ſunt. Utinam æque ſincerum judicium attulerint ad hæc arbitranda alij! Id ſane ſi fiat, operi meo ſi laudem non impetro, ſaltim magnum aliquod vituperium non vereor. Efficietur autem ſimul hoc ipſo, ut ab illuſtrandis Imperij reliquis negotijs ne deinceps abhorream, ſed currenti quod ajunt calcar potius aliquod addatur. Unum adjungo: ne quem turbet, quod Imperium non Romanum ex recepto more ſed Germanicum appellaverim. Feci illud, ne quis ambigua locutione deceptus opinetur, de veteris & proprie dicti Romani Imperij finibus opere hoc actum. Sed & jam tum ſingulari libro oſtendi, majeſtatem vimque Imperij noſtri non Romanis deberi, ſed Germanis vel ſolis vel ex parte præcipua, nomenque illud Romanum nulla gravi ratione ad univerſa hujus Imperij translatum eſſe. Helmeſtadij prid. Non. Apr. CIϽ IϽC LIV.

XLIV.

Præfatio in Concuſſionem Fundamentorum fidei Pontificiæ editam Helmeſtadij anno 1654.

Illuſtri & Generoſo Domino HENRICO Lib. Baroni â FRIESEN, Sereniſſimi & Potentiſſimi Electoris Saxonici Conſiliario & in Comitijs Imperij Reginoburgenſibus Legato primario &c. S. P. D.

ITa eſt GENEROSE FRIESI: feci ego aliquam ſpem libri de Eccleſia conſcribendi, & fortaſſis ex iſthoc promiſſo factus ſum debitor. Ego vero ſi me plurimis varijſque negotijs dixerim

dixerim impeditum id quo minus hactenus præſtiterim, haud habebor forte malum nomen alijs: qui utique non ignorant labores meos, quamvc ſim ab otio ſaltim alienus. Verum non utar illa excuſatione; nulla quippe negotia, utut magna, utut multa, obſtare oportet ijs quæ Deo & publico uſui debemus: nec ego ad ulla alia, quamvis in ſpeciem magis lucroſa, vel alacrior ſum vel pro virili promptior. Vera cauſa procraſtinationis meæ, ne quid diſſimulem, fuit hactenus: quod magnis amicis illis, quibus ſpes iſthæc à me facta erat, jam tum de Eccleſia prolixis literis perſcripſiſſem, quæ ſatis erant illis in ſalutari via retinendis; quodq; ſimul nuperrime adeo in illo proœmio quod hiſtorijs Papalium electionum præfixi, publice de Romano Papa illa diſſeruiſſem, unde nemini non, ſi non amplius, ſaltim hoc poſſit conſtare, quam ab omni, non dicam vero, ſed etiã ſimilitudine veri, abſit ea, quæ vulgo creditur primum Pontificiæ fidei principium, Deo propemodum æmula, certe vicaria, Paparum poteſtas. Poſſit autem exinde idem facile conſtare de Eccleſia Romana omni, quam nonnulli malunt agnoſcere fundamentum ſuæ fidei; modò in Papæ locum ſubſtituatur Eccleſia iſthæc: quum iiſdem argumentis hæc quoque ſubruatur. Adhoc deſperavi ego, fateor, apud illos præclaros amicos rationibus quidquam effici poſſe, etſi ſolem manibus portem: eo ſubitaneo glaucomate luminibus ipſorum ſuffuſis, quod ſolet medelam omnem, ab optima quamvis & robuſtiſſima doctrina petitam, reſpuere. Viderant illi, quæ in literis diſputaveram ab ipſis rogatus: viſa & lecta vehementer probaverant, voce, calamo; ſecuro me eſſe juſſo in futurum, tantum abeſt ut verbulo ſeſe objecerint diſputatis meis: & tamen illicò mutatis animis ivere in adverſa, ratione facti ſui nullâ omnino adducta. Hæc aliàs quidem temere fieri forte non ſolent, niſi quando non argumentis, qualibus ſe tuetur veritas, ſed alijs quibus

Servator repoſuit & exemplo ſuo docuit reponere unum illud *apage Satana*, mens percellitur: amici autem noſtri quibus ſacris telis confoſſi ſint, divinando aſſequi nequeo, forte etiam latere me voluerunt. Hæc fateor, Generoſe FRIESI, tardiorem me hactenus fecere in ſolvendis, quæ ex promiſſo debere forte videar. Nec TV, opinor, ſciens volenſque operam velis perdere: quæ mihi ſimul cum oleo fuiſſet perdenda. Si exiſtimes tamen non fruſtra me fore, etſi fortaſſis non apud illa uſque adeo mihi hactenus dilecta pectora (quibus multum vereor, ne ex Pythagorico inſtituto denique cum lacrumis cogar κενοτάφιον condere) ſaltim apud alios, quibus adhuc mens ab occulta illa labe eſt integra, non equidem labori illi ſancto me ſubducam impoſterum. Quo de ne dubites, mitto nunc in anteceſſum opuſculum quod vides, mole quidem perexiguum, idoneum tamen fortaſſis concutiendæ magnæ moli Pontificiæ Eccleſiæ, fundamentis ejus admotum. Studioſe ſcilicet vitavi inane multiloquium, & ab omni orationis purpuriſſo abſtinui: veritate nimirum ſuo ſimplice amictu, quo gaudet & ſplendet maxime, in lucem producta. Si quod pretium laboris fecero, TIBI illud debebitur; qui nonnihil obtorpeſcentem excitaſti quaſi ad ſacras iſtas excubias. Placuit vero in præſens pauca duntaxat iſthæc, alijs, quæ cæteroquin ad manum mihi ſunt, plurimis ſepoſitis, producere: cum quod exiſtimem ſatis illa eſſe obtinendo propoſito, tum ne in tanti momenti, æternæ nimirum ſalutis, negocio ad captiones & inania effugia ac diverticula quærenda, videar cui anſam aliquam dediſſe. Summa diſputationis in eo verſatur: nec Papam nec Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, qui in Concilijs congregantur quæ œcumenica illi vocant, divinis indubitatæ fidei tabellis poſſe oſtendere, ſe eos eſſe quos volunt ſe credi & quales à vulgo miſere decepto creduntur, ſanctiſſimi numinis in hiſce terris circa fidem & mo-

res

res Infallibiles vicarios: adeoque forte committere eos graviſſimum læſæ divinæ majeſtatis crimen: certe omnibus Chriſto fidelibus non minus ab ijs quam à Pſeudoprophetis ſibi cavendum eſſe. Bene an ſecus cauſam veritatis egerim, TV SAPIENTISSIME FRIESI, alijque rerum gnari & prudentes facile judicaveritis; utpote quum ad axiomata omnibus ſanæ mentis hominibus communia, ad hypotheſés item inter univerſos Chriſtianos receptas, vim omnem diſputationis nunc revocaverim. Neque vero TE alioſque magnorum Principum Legatos magiſtratuſque fugit, quibus documentis fidem ſibi Legati & Proprincipes facere dēbeant, & quid falſarij quive cum ijs colludunt promereantur.

XLV.

Præmiſſa Defenſioni Eccleſiæ Proteſtantium adverſum duo Pontificiorum argumenta, à ſucceſſione Epiſcoporum ac Presbyterorum ab Apoſtolis uſq; derivata.

Viro Generoſo RABANO A KANSTEIN Sereniſſimo Electori Brandeburgico à conſilijs reipubl. arcaniſſimis & Sereniſſ. Viduæ Brunſvicenſis Aulico Marſchallo, &c.

S. P. D.

QUæ ad bina illa Pontificiorum πολυθρύλλητα σοφίσματα, à ſucceſſione Apoſtolica petita, reſponderi haud incommode poſſe duco, ea prout ſubito in calamum ſeſe dederunt mitto. Non quod arbitrer vel illa ſolutu eſſe difficilia, vel non jamdudum ab alijs ſoluta, ſed ne videar deſiderio, me quoq; audiendi, eorum defuiſſe, quibus nihil equidem aut debeo aut poſſum denegare. Enimvero & haberi illa in pretio ab adverſarijs, & quenquam noſtrùm ijs nonnihil moveri, perinde admiror & doleo: idque multo magis, quod id fieri au-

diam ab hominibus cætera intelligentibus & rerum civilium uſu peritiaque eximijs. Quis enim eorum ferat aliquem de arbitrarijs inſtitutis reipublicæ alicujus differentem, quemadmodum illa ſeſe habeant, quid Princeps juſſerit quid vetuerit, quales voluerit ſuos eſſe magiſtratus, & quos quove modo eligendos, inconſultis legibus ſtatutis & conſvetudinibus illius reipublicæ? qui pro argumento ſcilicet unice uſurpare voluerit ſuas quaſdam, nullis legibus ſubnixas, cogitationes. Et hi homines de Eccleſia, hoc eſt ipſius Dei republica, ſive potius collegio aliquo, à ſolius Dei nutu & liberrimo arbitratu pendente, Deum ipſum audire negligunt; & per quam qualemve Eccleſiam ducere ille nos velit ad æternam vitam, audent docere mera quædam animi ſui figmenta, inſuper habito ipſius divino verbo; quum tamen via quæ ad ſalutem ducit, ipſo Spiritu Sancto diſerte affirmante, nunquam cuiquam hominum in mentem venerit, prius quam voluntatem ſuam hominibus nobis Deus prodidit. Quis civilium rerum non infans neſcit, frequentiſſime mutare reſpublicas, & varias induere ſpecies, manente perpetua quadam magiſtratuum ſucceſſione? Et tamen ſi de Eccleſia ſermo ſit, ſucceſſio illa creditur ab iiſdem certum argumentum perpetuò ſuperſtitis ejuſdem Eccleſiæ ſtatus. Quis paulò prudentior doctrinæ alicujus vim veritatemque æſtimat, ex magiſtri electione? Quis omne illud quod exigente neceſſitate extra ordinem fit in republ. vitio factum criminatur, aut propterea univerſam illam rempublicam veræ civitatis nomine & auctoritate audet fraudare? Quis id quod temere eſt juratum, citra perjurij crimen & poſſe & debere omitti, non confitetur? Et tamen, ſi quando de Eccleſiæ miniſtris agitur, in contraria eunt ipſi illi magni Solones. Vehementer vereor, Amice, ne quæ ſubſit arcanior vis divinæ indignationis, contemptu Sacrarum literarum provocatæ; quæ fœde adeo homines

ines acutos & intelligentes, in mero ut ita dicam meridie
ciat cæcutire. Eam ſane mentis caliginem Deus jam olim
ıdæis minitatus eſt, ſi neglecta divina Lege velint ratiun-
ılis ſuis obſequi: nec minitatus tantùm eſt, ſed & reapſe in
lam paſſus eſt eos, cæteroquin perſpicaces ſatis & ſuarum re-
ım ſatagentes, incidere. Verùm nolo ego hoc nunc agere,
e, quem morer auditurum meas ad bina illa non argumen-
, ſed σοφίσματα reſponſiones. Proponam autem omnia bre-
iter, nude, & ſcholaſtico quodam more; ut eo clarius omnia
ateant, neve quis ab oratione fucus acceſſiſſe poſſit exiſti-
ıari. Qua omni in re ſi quid Tibi quoque, generoſe Kan-
cini, acceptum præſtitiſſe me intellexero, multùm mihi
ratulabor: quum non ignorem, quanta cura quantave ju-
icij acrimonia ſacra etiam hæc negotia agites, ad Apoſto-
ca & primitivæ Eccleſiæ aurea monumenta, ſtudioſe abs te
ecta, religioſas ævi noſtri controverſias expendens; nequa-
uam ſolis reipublicæ ſecularibus actis intentus, improbo
ui ordinis hominum plærorumque exemplo.

XLVI.

Præfixa Epiſtolæ Clementis Romani Epiſcopi ad Corinthios, curante Madero Helmeſtadij editæ anno 1654.

JOACHIMO JOANNI MADERO
Viro doctiſſimo
S. P. D.

PRæclare de publico mereris, Doctiſſime Madere, illas ho-
ras, quas ſuccidere tibi licet ordinario muneri, in id im-
endens, ut hominibus noſtris exhibeas primæ illius aureæ Vinc. Li-
empeſtatis quæ ſuperant monumenta. Etſi enim *perfectus* rinenſ.
it divinarum *ſcripturarum canon*, & jamdudum cum S. Augu- Aug. epiſt.
ſtino *didicerimus, ſolis illis libris hunc honorem timoremque defer-* 19. ad Hier.
re, ut nullum eorum ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credamus:

per tamen ſimul eſt jucundum atque utile, Apoſtolorum quóque diſcipulos auditoreſque conſulere: quid illi ſcil. à tantis magiſtris acceperint, aut certe quanta fide doctrinam acceptam ſervaverint, qui non dubitavere ſanguinem ſuum profundere in Chriſti teſtimonium, *induti* jam proinde *ſtolis candidis, & ante thronum Dei conſtituti ſerviunt illi die ac nocte in templo ejus, illo qui ſedet in throno habitante ſuper illos*, quo elogio martyres Spiritus Sanctus proſequutus eſt. Saltem illa nefas eſt contemnere, quæ publicâ auditione ipſa vetus & ſancta Eccleſia dignata eſt: ut Polycarpi epiſtolam *in Aſiæ conventibus*, Clementis *in nonnullis locis* publice lectitatam eſſe, & Euſebij & S. Hieronymi teſtimonio novimus. Hanc certe utramq; epiſtolam magni facere par eſt, vel ideo, quoniam ad utramque, ceu ad ſecundarium quendam ſinceræ fidei canonem, jam tum olim adverſus hæreſes ſui ſeculi provocaverit ſanctiſſimus martyr Irenæus. In utraque autem illa publicanda hactenus tuam operam collocaſti, primùm Polycarpi nunc & Clementis ſanctas illas literas edens.

Ioan. Apocal. III, 15.

Euſeb. lib. 3 Hiſtor. Hier. l. de Scriptor. Eccleſ.

Iren. l. 3. c. 3.

Neque vero quidquam video cauſſæ, quur ſuſpicemur, alias eſſe illas noſtras ab ijs quas tanto in pretio priſca Eccleſia habuit. In Polycarpi ſane epiſtola deprehendere eſt ipſam illam de Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto ſanam doctrinam, cujus nomine refellendis ſui ſeculi hæreſibus ἱκανωτάτην illam pronunciavit commendavitque S. Irenæus: deprehendere eſt locum integrum unum alterumque, quem adducit Euſebius, & poſt illum Nicephorus Calliſtus, & quidem ita ut liquido appareat fraude nulla inſertos eſſe: deprehendere eſt ex prima Petri epiſtola deprompta haud pauca, quæ idem Euſebius notaverat: deprehendere denique eſt illud omne, quod Photius, accuratiſſimus librorum cenſor, in lecta Polycarpi epiſtola animadverterat, *multis nimirum refertam admonitionibus*, μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος κατὰ τὸν Ἐκκλησιαστικὸν τῆς ἑρμηνείας

Euſeb. l. 3. Hiſt. c. 36. l. 4. c. 14.

ιηνείας τύπον, quodque in ea dicat auctor *ſe Ignatii epiſtolas ad ...ilippenſes miſiſſe, petereq; ab illis edoceri ſi quid de eo inaudiant.* ...orum inquam omnium deſideratur nihil. Adhoc ipſum ...piſtolæ exordium oſtendit, ſcriptam illam, quo tempore ...on unius exſortis Epiſcopi in manu Eccleſiæ erat admini...atio, ſed communi Presbyterorum conſilio & auctoritate ...nnia regerentur: quod non diu poſt Polycarpum mutavit. ...d & videre eſt damnata placita Marcionis de carne & paſſi...e Chriſti, reſurrectione item & judicio mortuorum, illam...e adeo ſolennem & uni illi martyri propriam deteſtatio...m, qua obviam ſibi Romæ factum Marcionem exceptum Polycarpo, πρωτοτόκε ſc. τοῦ Σατανᾶ, memorat Irenæus. Ex ...verſo, quibus Flacius eumque ſecuti alij dubiam reddere ...iſtolam illam tentavere, talia ſunt ut in commodum συλλο...γισμὸν referre nequeas quamvis coneris. Simplicitas certe ...ctionis & inelaboratus ſermo, quæ illi cauſantur, arguunt ...otius Apoſtolicam ætatem ſcriptionemque: ut quæ uni illi ...mpeſtati & ſolis Apoſtolis eorumque diſcipulis familiaria ...erint. Iren. l. cit.

Par ratio eſt Clementinæ illius epiſtolæ ad Corinthios, ...iam ex vetuſtiſſimo Alexandrino codice nobis non adeo ...idem Patritius Junius Vir Clariſſ. communicavit, & tu ho...e ex Londinenſi exprimis. Etiam hîc enim invenire eſt, ...æ cum de illa tum ex illa Veteres omnes prodiderunt. Ob...rvamus ſane & ςάσιν οὐκ ὀλίγην Corinthi ortam inter fratres, ...ogreſſam nimirum ad vim & bellum ſive duella: & *Romana ...cleſiæ* non autem unius Clementis nomine exaratas literas, ...ſque ad pacem & concordiam Corinthios flectentes, me...orantesque eorum fidem quam recenter ab Apoſtolis ac...perant; plane quemadmodum epiſtolam illam laudavit Irenæus. Leguntur etiam hîc, quæ de Patre Deo in Epiſto... docuiſſe Clementem, refert idem martyr ſanctiſſimus.

Quæ

Iren. l. 3. c. 3. Quæ Clemens Alexandrinus & Origenes ex illa epiſtola pro-
Clem. Al. ferunt, verbis totidem in noſtra reperiuntur, & quidem ita ut
l. 4. Str. ibi nata dixeris non autem doloſa manu introducta. Euſebius
Orig. l. 2. quoque prodit, diſſidio apud Corinthios orto ſcriptam à Cle-
περὶ ἀρ mente noſtro epiſtolam, ὡς ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας; aut ut alibi
χῶν. loquitur, ἐκ προσώπου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας: eamque dictionis
Euſeb. l. 3. charactere & ſententijs cum Epiſtola ad Hebræos plurimùm
Hiſt. c. 12. & 32. convenire: quæ omnia hîc luculentiſſime apparent. Qualem vero epiſtolam illam Euſebius, talem & S. Hieronymus eam
Hieron de Scriptor. nobis deſcripſit: ut proinde noſtra hæc ab illa quæ Hierony-
mo ad manum fuit, nihil abeat. Sed & quæ idem S. Hiero-
Id. ad 52. cap. Eſa. & 4. cap. ad Epheſ. nymus ſemel iterumque ex epiſtola in medium adfert, haud in noſtra deſiderantur: perinde ut hic reperitur etiam illa phœnicis commemoratio, quam ex Clementis epiſtola pro-
Cyrill. Catech. 18. ducit Cyrillus Hieroſolymitanus. Omni ex parte quoque noſtra hæc reſpondet illi deſcriptioni quam Photius in Bibliotheca habet: argumento videlicet, dictione, & doctrinâ de mundis trans oceanum, de phænice, & de Chriſti perſona. Tan-
Iuſt. Reſp. 74. Baſil. c. 29. tùm deeſt fortaſſis, quod S. Juſtinus martyr, ſive quis alius auctor *Reſponſion. ad Orthodoxos* ex epiſtola illa refert, quodque ceu Clementi dictum laudat Baſilius ad Amphilochium. Verum non eſt quod propterea ſequius ſuſpicemur, cum quatuor integra folia nobis deeſſe, teſtetur is cui editionem primam debemus Patricius Junius, & Baſilius (vel alius libri illius ſcriptor) illa ſua ex hac epiſtola forte non promſerit. Nihil ſane ex omni antiquitate produxeris de Clementis illa germana epiſtola, quod merito quem fecerit de noſtrâ dubitare.

Jam vero cum cura noſtram hanc legenti nihil occurrit fucati aut ſubdoli; & tamen omnia referunt plane Apoſtolica tempora, charactere ſcribendi, ac doctrina ipſa. Quod firmo eſt argumento, ſaltim ex illo ævo ad nos epiſtolam illam perve-

perveniſſe, etſi de auctore forte non conſtaret. Sermo ſane is eſt qualem ſummus criticus Photius judicavit, *ἁπλῶς κατὰ τὴν φράσιν καὶ σαφὴς, καὶ ἐγγὺς τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ χαρακτῆρος*: extra autem primum illud Eccleſiæ ævum fruſtra formam illam ſcribendi quæſieris. Sic quod epiſtola Romanæ Eccleſiæ, non verò Epiſcopi & Presbyterorum aut Epiſcopi ſolius, nomine exarata ſit, alteri ætati quam ſoli Apoſtolicæ non convenit: paulatim creſcente auctoritate primum collegij presbyteralis, inde unius Epiſcopi, & ſenſim à curatione ſacrarum rerum ſemoto populo. Sequens etiam ævum longe ſublimius de perſona Chriſti locutum eſt: cum hîc non fere alia reperias, quam illa quibus S. Paulus eſt uſus. Videre præterea hîc eſt in ordine hierarchico numerari, non alios quam Epiſcopos & Diaconos, Epiſcopi nomine omnes presbyteros comprehendente, & promiſcuo tum etiam uſu vocum Presbyteri & Epiſcopi: ſecus quam infra Apoſtolica & Apoſtolicis viciniora tempora obtinuit. Huic uni ætati etiam congrua eſt ſacrificiorum celebratio in Hieroſolymitano templo, cujus hæc epiſtola ſaltim videtur meminiſſe; nec enim id certò aſſeruerim. Quid? quod Petrus & Paulus Apoſtoli hîc numerentur inter athletas proximos, & illius ævi generoſa exempla: quodq; effuſio Spiritus Sancti pag. 3. & ab Apoſtolis conſtituti pag. 56 ceu res illius temporis memorentur. Multa alia non ſimulatæ vetuſtatis indicia congeſſit Hugo Grotius vir ſummus epiſtola quadam ad Hieronymum Bignonium (in libro Epiſtolar. ad Gallos eſt CLIV) quæ non poſſum non probare: niſi in eo erraverit ille *ὁ πάνυ*, quod neget Clementem aliquid ex Evangelijs quæ appellamus adduxiſſe, cum tamen ex S. Lucæ cap. VI verba Domini noſtri ſint repetita. Satis vero vel illa à nobis allata ſunt paria vindicandæ ſuæ dignitati illi noſtræ Epiſtolæ: eoque nihil attinet plura in confirmationem nunc producere. Et ſane Tibi

quidem, mi Madere, fortaſſe ſatis eſt id, quod nemine adverſante omnes omnino, penes quos hodie criticæ regnum eſt, epiſtolam hanc ut germanam admittant. Quidni enim tutò ſequaris hac in re Grotios, Salmaſios, Calixtos, Horneios, Voſſios, Rivetos, Blondellos, Seldenos, Petavios, Patricios, aliosque cenſores librorum exactiſſimos? præſertim ſi nemo doctior diſſentiat, ut heic diſſentit quod ſciam nemo.

Loquor vero, uti noviſti, tantum de Epiſtola illa prolixiore ad Corinthios, non de altera iſta, cujus fragmentum itidem publicavit Patricius ille Junius. Quanquam & hanc exiſtimem eſſe illam Photio lectam, imo illam cujus Euſebius Hieronymus & alij meminerunt, ut Clementi quidem auctori tributæ, ſed perperam. Utique enim in hoc ipſo fragmento deprehendas quod Photius notavit, nempe νυθεσίαι καὶ παραίνεσιν κρείττονος βίυ, καὶ ἐν ἀρχῇ τὸ κήρυγμα χριςῦ τῦ Θεῦ. Solam nimirum illam primam cum omni antiquitate germanam agnoſco: alteram non item, etſi ſit vetuſta, & longe melioris notæ atque ſunt illæ quæ vulgò apud Latinos Clementis nomine circumferuntur. Et vero non niſi unicam à Clemente epiſtolam profectam eſſe, reliqua autem omnia, quæ ſive Conſtitutionum Apoſtolicarum ſive Recognitionum ſive Epiſtolarum nomine veniunt, mentiri auctorem, vel illud unum pro ſufficiente eſt argumento, quod S. Irenæus non niſi unicam illam laudet in veritatis catholicæ teſtimonium, dum ſtudioſe oppugnat hæreſes Epiſcoporum Romanorum conſenſu. Imo tanti eſt roboris illa Irenæi commendatio, ut par ſit reliquorum etiam Epiſcoporum Romanorum ejus ævi epiſtolis, quas Iſidorus Mercator edidit, falſi convincendis. Quod ulcus tangere non eſt hujus inſtituti.

Ut redeam igitur ad epiſtolæ hujus meæ initium: laudabilem profecto operam præſtas bono publico, Vir Doctiſſime, aurea illa primitivæ Eccleſiæ monumenta, rariora inventu-

ventu hiſce in oris & paucis lecta, noſtris typis publicans. Non poſſum ſane ego non tibi auctor eſſe, in illo inſtituto ſtrenue pergendi. Ejuſmodi utique ſcripta volvere, longe præſtabilius utiliuſque eſt, quam rixoſis, imo contumelioſis, libellis legendis tempus terere: quales hæc noſtra ætas æternâ cum infamia edit paſſim plurimos.

Vale mi Madere & ſalve plurimum. Helmeſtadij in Acad. Julia CIↃ IↃC LIV. VI Kal. Decembr.

XLVII.

Subjuncta Epiſtolæ Archiepiſcopi Mechlinienſis de non promulgata Bulla Papali vibrata in Ianſenium, editæ Helmeſtadij anno 1654.

BENEVOLO LECTORI.

S. P. D.

Quæ Romanam Eccleſiam ſeptuaginta jam amplius annos multum exagitavit de auxilijs divinæ gratiæ & libero hominis arbitrio controverſia, illa quemadmodum ſeſe habuerit, donec, quod Cornelius Janſenius, gente Batavus, munere primum Theologus Lovanienſis inde Epiſcopus Iprenſis, conſcripſerat Auguſtini titulo opus, alterô poſt auctoris obitum anno, Liberto Fromondo curante, Lovanij ac Pariſiis ante hoſce quatuordecim annos ederetur, & gliſcens certamen quaſi in aciem prodiret, memorantem ipſum Belgij Primatem, Janſenij tamen partibus addictum, audiviſti. Narravit idem, Auguſtinum illum à quammultis quidem ſummo cum applauſu exceptum, ab Urbano IIX tamen proſcriptum eſſe: quique hinc in Gallia cumprimis & Belgio motus orti ſint. Edita autem bis eſt aſpera ejuſmodi Pontificis Bulla, ſemel anno ſeculi hujus quadrageſimo primo Kal. Aug. iterum ſequente anno pridie Nonas Martij: quarum poſterior illa eſt cujus promulgationem, adductis mul-

tis rationibus, libello hoc diſſuadet conſultus ab Hiſpaniæ Rege Belgii ille primas. Longe majores autem ipſamet hæc diſſuaſio turbas in Romana Curia excitavit. Cum enim Hiſpanus rebus ſuis nonnihil afflictis Pontificium favorem unice crederet expedire, ac proinde cum damno etiam juris ſui in promulgationem Bullæ conſenſiſſet, tantum nihilominus tamen apud Belgas Præſulis hujus aliorumq; valuiſſet auctoritas, ut *cognita Regis voluntate Belgæ ad promulgationem quidem Urbanianæ Bullæ, ſed veteri ritu, ſalvo majorum more, & ſecundum regionis privilegia procederent, emiſſo inſuper edicto Regis, quo turbantibus publicam tranquillitatem tam clericis quam laicis condigna pœna irrogabantur:* uſq; adeo ægre id tulere Romanæ Curiæ proceres, ut Proteſtatione typis emiſſa auctoritatem Regiam ſugillare, inde Pontificio Brevi tempeſtatem in optimum Archiducem convertere non contenti, ipſum Belgij Primatem & Seniorem ejus Coepiſcopum, quod non ſatis accepta Romanis auribus admiſcuiſſent de Bullæ Urbanianæ publicatione ſententiam dicentes, Romam in jus vocare, atque ad cauſſam dicendam ſeveris & antehac inauditis mandatis urgere non dubitaverint. Nec tamen Curiam doctrinæ Janſenianæ negotium adeo momordit, quam quod Bulla Urbaniana per ſingulas diœceſes & nonniſi addito Regio Placito promulgata eſſet; cum illa credi vellet, publicationem novarum conſtitutionum Papalium, Romæ ſi illa fiat in Acie Campi Floræ, ſolam ſufficere obligandis mortalibus. Is Curiæ inſolens conatus occaſionem dedit conſcribendis duobus longe doctiſſimis opuſculis, quorum alteri titulus, *Defenſio Belgarum contra evocationes & peregrina judicia:* alteri, *Jus Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptionem:* utriuſque evulgationem debemus induſtriæ viri eximij Numæ Sedulij. Et vero in ſolos Belgas adeo ſævitum eſt, cum tamen in Gallia nihilo reverentius habita fuerit Vrbaniana illa Bulla,

majore

majore parte cum Epiſcoporum Regni illius tum Sorbonæ ſociorum Janſenianis ſententijs favente, licetque haud alio quam illo Belgico ritu Papales Bullas Gallia ſoleat recipere. Quod tamen nemo mirabitur, gnarus morùm Curiæ: infeſtam ſcil. maxime illam eſſe ijs qui eam metuunt, in alios perquam clementem & indulgentem, ut quæ *fama & hominum patientia potiſſimum conſtet*, ceu quondam ingenue eſt faſſus Cardinalis Sanctacrucius. Excepit vero Urbanianam illam Bullam ſuperiore anno alia Innocentij, quinque propoſitiones ex Janſenij libro excerptas condemnans.

Nolo de re ipſa verba nunc facere. Satis mihi eſt ſi, Lector, ex negotio hoc diſcas: *primum*, perperam vulgo credi, in Romana Eccleſia omnia eſſe pacata, & diſſidijs ſolos Proteſtantium cœtus laborare, cum & Janſeniani & Jeſuitæ alijque Moliniani variarum hæreſeon hactenus ſeſe mutuò poſtulaverint, & quidem intra hoſce quatuordecim annos libellis tantùm non infinitis: *Secundo*, etiamnum operam dare Curiam Romanam unice, ut in Fidei litibus Pontifex arbiter infallibilis habeatur: *Tertio*, longe tamen aliter eſſe animatos perquammultos in ipſa illa Romana Eccleſia, magnates certe plærosq; à ſervili Paparum cultu multum alienos eſſe. Quibus *quarto* hoc etiam merito addas: vel hinc apparere, quam miſera ſit ſub Papali dominio viventium conditio: quippe quibus aut colluctandum perpetuò ſit cum Curia, aut ex ejus nutu vivendum ſentiendumque. Et ſane quamvis multum reluctati hactenus ſint Belgæ, manus tamen dare Pontifici ſenſim indubie cogentur: ut qui per Nuncium ſuum, Abbatem S. Anaſtaſiæ, dudum hoc in Belgio jam egerit, ut nemo ad officia Eccleſiaſtica, & Secularia & Regularia quæ appellant, admittatur, niſi in Urbanianam Bullam juraverit Janſenio damnato. Quo movendis hominum animis robuſtius argumentum haud temere reperias.

XLIIX.

Præfatio in in Simonis Starovolſcij Poloniam, editam VVolfenbutteli anno 1656.

BENEVOLO LECTORI.

S. P. D.

QUæ tibi nunc exhibetur Starovolſcianæ Poloniæ editio, Lector optime, illa expreſſa quidem eſt ex iſta, quæ ante hoſce quatuor annos, curâ Georgij Forſtneri Gedani in Pruſſia in lucem prodiit; innumeris tamen locis emendatior eſt, atque ad uſum civilem aptior: locupletior quoque, ſaltim ob indicem & mappas, quæ maximè deſiderabantur in libello chorographici præcipuè argumenti. Auctorem ipſum Polonum eſſe, palam eſt. Ipſius autem viri doctrinam & mores non patiuntur nos ignorare præter hunc libellum, etiam alia illius nonnulla, Eques præſertim Polonicus, Elogia bellicâ virtute illuſtrium Polonorum, & Hecatontas ſcriptorum Polonicorum: in quibus Latina eloquentia, prudentia, ſtudium libertatis, amor patriæ, odium Proteſtantium immane, perinde ut Romanenſium ſacrorum inconſulta veneratio, nuſquam pene non elucent.

Hunc libellum initiò quidem conſcripſit auctor Rege adhuc Sigiſmundo: at paſſim interpolavit, quo tempore Polonis Rex præfuit Uladislaus, anno circiter ſeculi hujus quadrageſimo. Quare interdum multa turbata ſunt: (utpote quum rerum ſtatus paſſim mutaverit paucos intra annos) libellus verò nunc Sigiſmundi nunc Uladiſlai tempora referat: & quidem poſteriora hæc interdùm non expunctis prioribus; auctoris ipſius incuria, an culpa librarij, incertum. Occupatur porrò libellus potiſſimùm quidem ἐν τῇ γεωγραφίᾳ omnium Polonici regni, quod ſane ampliſſimum eſt, regionum provinciarumque; idque adeo argumentum ita pla-

nè pariter nitideque exſequitur, ut aliorum induſtriam longè ſuperaverit. Attingit verò etiam alia quammulta quæ ad rempublicam attinent, non minore felicitate. Nam & præclarè ſentit ſaltim de pleriſque; & ſine fuco ſententiam promit in publicum; quorum alterum prudentis, alterum generoſi eſt animi. Ipſa ſane etiam reipubl. patriæ vitia uſque adeo non diſſimulat, ut niſi illa jam tum nimium quantum in univerſi orbis conſcientiam veniſſent, poſſit videri peccaſſe in patriam iſthac propalatione. Nec verò arcana civitatis mala fas eſt nudare; tegenda illa ſunt, pallianda, etiam purpuriſſo nonnunquam fucanda, ſi res ferat. Quorum nihil tamen patitur hiſtoria, nudam quippe veritatem profeſſa: in jam apertis quoque reipubl. vitijs id conari, ridiculum eſt. Infeſtus auctoris in Proteſtantes animus (quem cui ſcholæ debeamus, haud temere quem fugit) ſæpenumero judicium, cætera ſatis exquiſitum, tranſverſum rapit, ac linguam fœdâ deturpat maledicentia. Quàm iniquus ſanè ſit in Rigam Livoniæ metropolin, vel ex uno Paulo Piaſecio diſcas, etſi & hic Romana ſacra amplexus ſit, imo ſuæ gentis Epiſcopum egerit. Non tango hominis ulcera reliqua: quum hoc unum ſatis oſtendat, quàm ille in ſimilibus nihil mereatur fidei. Et vero alijs quoque in libris ſuis perinde futili maledicentia in Proteſtantes injurius eſt. Quàm intoleranda enim illa ſunt convitia, quibus tanquam gemmis Hecatontadem ſuam illuſtravit! dum Lutherum *lutulenti ſubulci*: Melanchthonem Pomeranum aliosque, nunc *cœnoſorum VVittenbergenſium porcorum*, nunc *lutulenti Saxonicorum porcorum gregis*, nunc *lenonum Saxonicorum*, nunc *perditorum ac perfidorum hominum*, alijsque ex trivio petitis contumelijs inceſſit. Cæterùm in omnes quoque Germanos quàm ſit animo maligno, imo quàm contemptim tantùm non omnes populos exteros præ ſuis Polonis habeat, vel hic ipſe libellus loquitur.

Non.

Non eſt tamen, quod illa nos moveant, quò minus au-ctorem in præclarorum ſcriptorum cenſum recipiamus; imò quo minus hunc libellum annumeremus melioribus rerum-publcar. deſcriptionibus. Nec vero ille pretio ſuo fraudandus eſt propterea, quoniam nævis iſtis ſit deformis; perinde ut nec ideo mereatur rejici, quàndoquidem reipubl. Polonicæ omnia non eſt perſecutus. Nam hoc quidem ipſi commune eſt cum omnibus rerumpublicarum vulgatis hactenus deſcriptoribus: quorum tamen nonnulli laudem ſibi æternam jure ſunt hinc conſequúti. Multa ſcilicet pertinent ad plenam reipubl. alicujus notitiam: id quod libro de Civili Prudentia pluribus docemus: illorum autem nonnulla haud fas eſt vulgare: alia occultiora ſunt, quam ut facile poſſis aſſequi, quorum proinde ſilentium per injuriam cui vertas vitio. Quin tamen longè uberiora & licuiſſet & potuiſſet & debuiſſet de Polonica republ. Starovolſcius dicere, haud diffitemur; eoque ab omni illum culpa vacuum non pronunciaverimus. Majore ſanè induſtria locum hunc tractavit Martinus Cromerus, ſcriptor cum antiquitate comparandus. Vel ideo tamen Starovolſcium Cromero ipſi prætuleris, quod hic doceat nos recentiſſima, quæque adeò hodie magis ex uſu ſunt: ille vero ea tradat, quorum pars eximia in deſuetudinem jam abiit. Ut ſolent reſpubl. pleræque perpetuo quaſi motu agitari, nec unquam ſtabili pede conſiſtere; etſi eorundem vocabulorum inanis ſpecies imprudentibus illudat.

Non unâ autem ratione poterit nunc Starovolſcius prodeſſe in publicum. Nec enim non quivis civilium rerum curioſior obſervator deſiderabit ſcire cauſam lapſus illius, quo nunc ferè concidit, illa hactenus robuſtiſſimis annumerata Polonica reſpublica. Illam verò quaſi oculis ſpectandam exhibet hic libellus, interim dum deſcribit vires, opes, militiam, & regimen Po-

...en Polonicum. In hunc ſcilicet modum habentibus ſeſe aliqujus civitatis rebus, fieri non poteſt, ut vel ſalus ipſa ... am conſervet; tantum abeſt ut non concidat reſpubl. ſi quo graviore malo præter ſolitum afficiatur. Simul autem iſt... hoc exemplo alij ad res ſuas cautius meliuſque inſtituendas excitari poterunt: ac proinde ex Starovolſcio diſcere omnibus in proclivi erit, quæ fugienda & vitanda ſint ſibi rebusque publicis ſuis, niſi parem cum Polonis fortunam velint experiri. Taceo nunc, quod ipſa Poloniæ vicinitas meritò ſaltem omnes illos, qui ad clavum Imperij ſedent, ad reipubl. vicinæ notitiam invitet; quum non ſatis ſit ad id, ut civitati alicui exacte conſulas, res domeſticas noviſſe, verùm ad omnes etiam alias, quibuscum poteſt commercij aliquid intercedere, veniat reſpiciendum. Quidquid verò hujus ſit, neminem lectionis & operæ in Starovolſcium impenſæ unquam pœnitebit.

XLIX.

Præmiſſa editioni Helmeſtadij anno 1656 curatæ libri H. I. Mithobij de Controverſiis Sueco-Polonicis.

BENEVOLO LECTORI, S. P. D.

NOn nuper demum ſed jam annos integros amplius quinquaginta ſex, armis inter ſeſe concertavere duo validi populi, Sueci Poloniquc. Ea vero diuturnitate hoc effectum eſt, ut hodie quidem fere ignorentur tantorum bellorum primæ cauſſæ: præſertim quum in remota & peregrina inquirere grave ac moleſtum, etſi judicare de ijs prout affectus movet, perquam multis promptum ſit ac familiare. At vero nemo prudens non aut ſuſpendit judicium, aut non niſi ſedulò & accuratè expenſis omnibus judicat. Certe vel in lite

de caſa ruſtica non admiſeris temere judicem, qui pronunciare auſit partium rationibus utrinque non auditis, imo non cum cura diſquiſitis. Quanto minus ferendi ſunt temerarii illi cenſores earum, quæ inter Regna & populos intercedunt contentionum! Quum hodie igitur diuturna illa inter Suecos Polonoſque controverſia uſque adeo in aciem quaſi producta ſit, ut univerſum pene orbem commoveat, & in omnium incurrat judicia, operæ videtur pretium, proferre in medium ſaltim potiora, quæque rei iſti arbitrandæ idonea: Potiora inquam. Sunt enim complura hinc inde & ſcripta & edita: verum illorum nonnulla ſatius eſt æternis tenebris involvi; alia lectu non indigna ſunt, imo intereſt, ut legantur attamen denuo publicare onerosum nonnihil fuerit, non eſt ſane neceſſarium. Interea vero, quæ pro Suecorum causa prodierunt hactenus in lucem, mihi quidem nihil viſum eſt, quod comparari mereatur cum hoc opuſculo; ſi videas accuratam brevitatem cum rationum pondere ſimul & argumenti amplitudine conjunctam: utpote quum alia plæraque vel non omnia attingant, vel à rationibus aptis non ſatis idonea, vel denique diffuſa tractandi ratione lectori nonnihil occupatiori moleſta ſint. Et vero edidi libellum Auctor ante hoſce annos quatuor, quum ſecunda vice de pace inter Suecos Polonoſque componenda Lybecæ ageretur: conſcripſit autem anno priore, quo tempore prima habebatur eodem loci de pace congreſſio. Voluit tamen non niſi initialibus nominis ſui literis Auctor innoteſcere: intereſt vero nomen integrum haud ignorari, eoque à me iteratæ huic editioni eſt additum. Neque vero eſt hodie quidem, quare vel invidiæ vel odio declinando Auctor latere amplius debeat: multo minus pudere illum jure poteſt tam eruditi libelli. Me certe in laudando illo nihil dediſſe amori, quo Virum longe eximium, doctrinæ virtutis & induſtriæ ſingularis

latis, ut & quod gnavum auditorem illum in hac Julia habuerim, nomine proſequor: ipſemet libellus ſatis teſtabitur. Tria nimirum ſunt, quæ in ejuſmodi ſcriptis omne pondum merentur: provocatio ad leges & jura controverſiis liberorum populorum judicandis idoneas; facti aut geſtarum rerum ex teſtimonij monumentis & tabulis fidelibus inſtituta recenſio: & denique expenſio accurata facti ad legum illarum normam. Exegit igitur omnia Auctor ad leges illas, quas ipſa rerum natura ſanxit aut moratiorum gentium conſenſio inſtituit: quibus ſolis liberi populi, quales Sueci ac Poloni ſunt, merito obligantur. In controverſia porro, quæ inter Regem Sigiſmundum & Suedici Regni proceres interceſſit, provocavit adhæc prudenter ad Inſtituta & conſuetudines Suecorum Regno proprias. Atq; adeo caute vitavit illum vulgo receptum errorem, ejuſmodi gentium lites ad unius populi Romani dudum extincti, uniuſque adeo longe à noſtrjs diverſiſſimæ civitatis, jura examinandi. Præſertim cum neutra gens Romana iſthæc vel in fora ſua admiſerit, imo illa de Principe legibus ſoluto, tanquam carmina ſervituris (verba ſunt Staniſlaï Orichovij Poloni) ex omni felice republica cenſeat eliminanda. Narrationem geſtarum rerum fide & induſtriâ præclarâ itidem expreſſit Auctor ex optimis quibuſque monumentis: uſus in id familiari opera magni ſane viri, Regni Suedici Legati & Senatoris Joannis Adleri Salvij, cujus ſummam gerendarum rerum peritiam orbis admiratus eſt, ipſe amicitiam ſancte mecum cultam grata ſemper mente recordabor. Beneàn ſecus omnia in libello diſputata ſint, nolo ego nunc definire, ſed tuo, Lector, judicio integrum relinquere. Niſi tamen vehementer fallor, audeo mihi promittere ſaltim in plæriſque tuam aſſenſionem. Eſt autem inter controverſias haſce, tempore quidem prima illa de Æſtiæ poſſeſſione: gravitate vero maxima, quæ de ipſiuſmet

Regni Suedici imperio, inter Regni illius incolas & Sigiſmundum ejuſque filios Poloniæ Reges primariò, donec auxilijs ferendis ſuam illam fecere Polonorum quoque optimates, jam pene ſexaginta annos viguit contentio. Quapropter huic jure auctor primum locum dedit. Quæ de Livonia (nobiliſſima heu nuper Imperij Germanici provincia!) vertitur lis, bello jam fervente demum nata eſt. Recentiſſimam dixeris de utriuſque Regni prærogativa quæſtionem: niſi quod jam tum in Baſileenſi Concilio acriter Regni Suedici dignitatem adverſus omnes tutatus ſit Nicolaus Ravallus Archiepiſcopus Upſalienſis: cujus eruditam nobis orationem conſervavit Johannes Magnus *hiſtor. Gothicæ l. 16.* Ut proinde & juſtus ordo ſic ſatis recte in libello hoc ſit obſervatus. Unum non poſſum diſſimulare: perperam Polonis credidiſſe auctorem, quod jam ab Ottone III Imperatore regiam coronam Polonia acceperit, quâ ſit uſa uſque ad Gregorij VII Papæ interdictum: id enim fabuloſe tradi, nos jam evicimus *cap. 18* operis *de Finibus Imperij Germanici:* oſtendentes Poloniam fero admodum jugum Germanici Imperij excuſſiſſe. Quod ad dignitatem Regno Suecico contra Polonos aſſerendam facit plurimum.

L.

In libellum de Juſtificis cauſis armorum Suecicorum contra Polonos, recuſum Helmſtadij anno 1656.

BENEVOLO LECTORI.

S. P. D.

Ecce tibi, lector, recuſum denuo libellum, qui juſtificas Armorum Suecicorum in Polonos cauſſas, publica auctoritate jam tum Stetini editus, exhibet: ut & exemplum literarum cùm earum quas ad S. Cæſar. Majeſtatem Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Carolus Guſtavus eodem de argumento

perſcri-

perſcripſit, tum quibus Illuſtriſſ. Suecici Regni Senatores queſti de injurijs, ad ſeria pacis conſilia Senatores Polonicos, re adhuc integra, flectere ſtuduerunt: quorum utrumque ſeorſim itidem alibi typis eſt publicatum. Conjunctim enim hæc legi intereſt, ut alterum alteri lucem affulgeat, donec majore opere, quod fiet propediem, omnis hæc cauſſa plenè illuſtretur. Perculerunt ſcilicet non Europam duntaxat, ſed orbem pene univerſum, hæc inclyti Suecorum populi arma, inuſitati fulminis modo; gaudentibus alijs, alijs invidentibus, alijs ſibi metuentibus, alijs plurimum dolentibus: prudenter itaque data opera eſt, ut ſub initia ſtatim juſtæ tanti belli cauſſæ omni quaſi orbi ſaltim brevi tabula proderentur, in grandioris libri anteceſſum. Et vero juſtitiâ armorum perceptâ habent quare meritò plus ſolito gaudeant amici, quare ſerio culpam ſuam doleant victi, quare inani ſe metu ſolvant innoxij ſed meticuloſi, quare iniquitatis damnent invidiam ſuam ambitioſi, quare denique temperent ſibi à ſimilibus injurijs improbi. Uſque adeo ſcilicet magnam in omnem partem vim habet, ſi non ipſe tantùm juſtitiæ armorum tuorum tibi ſis probè conſcius, ſed benigna quoque ſit æqui cujuſvis judicis ſententia. Nec enim vetus illud nunc adducam:

Frangit & attollit vires in milite cauſſa:

quoniam venalium corporum, quibus hodie peſſimo more magnam partem conſtat militia, rara iſthæc cura eſt. Abſit verò, ut ſaltim Chriſtiani populi armis ſua juſtitia deſit: utpote quâ remotâ quid aliud ſint bella quam magna & immania latrocinia propterea pejora quod decretis publicis ſuffulta? Ipſimet ſane olim Romani, non perinde atque nos divinitus inſtituti, *ideo felicia eſſe bella ſua, quia juſta eſſent præ ſe ferebant, nec tam exitu eorum quod vincerent quam principiis, quod non ſine cauſa ſuſciperent, gloriabantur.* Quod Rhodig. ex vero affirmaſſe, indicant, quæ etiamnum ſuperſunt juris fecialis ſacræ reliquiæ.

Turpe autem fuerit, Chriſtianum populum pietate & morum honeſtate ab aliquo gentili ſuperari.

LI.

Præmiſſa Ioachimi Hopperi de Vera Iuriſprudentia Operi Brunſvigæ recuſo Anno 1656.

Viro Magnifico Nobiliſſimo Ampliſſimo & Conſultiſſimo HENRICO Langenbeck JCto, Sereniſſimi Brunſv. & Lyneburgenſium Ducis CHRISTIANI LUDOVICI Cancellario & Sanctiori Conſiliario &c. Amico ſuo magno,

S. P. D.

MAGNUM eſt nomen Prudentiæ Juris & ingens apud omnes gloria. Si rem ipſam verò ſpectomus, non unum quid ſed multiplex variumque iſthac voce uſurpatur; idque adeò inter ſe diverſum, ut de nonnullis fortaſſis haud injuria dubites, num tanti nominis menſuram adimpleant. Enimverò nulla gens, civitas nulla, imò nulla omnino ſocietas, quamvis exigua atque ex hominibus pretij contempti conflata, reperitur aut eſſe poteſt, cui non ſint jura & leges. Quæ jura proinde numero ſunt infinita, quemadmodum & cœtus ejuſmodi civiles numero nullò queunt comprehendi. Has leges verò inter cumprimis celeberrimâ dudum fuerunt famâ, apud Judæos quidem non illæ duntaxat quas per Moſen, Deus ipſi Iſraelitico populo promulgavit, ſed etiam (& præcipuè quidem) quas magiſtri Judæorum, tanquam à Moſe arcanâ traditione acceptas, falſo quidem & inepte, venditantes tamen, proceſſu temporis in grande unum volumen Miſchnæ & Gemaræ compegere: in Europa autem tantum non universâ, cùm illæ quas Juſtiniani Romanorum quondam, magni ſane Imperatoris, auſpicijs & juſſu, vaſto

itidem

itidem volumine Tribonianus eſt complexus, tum quas Romani Pontifices proximis aliquot ſeculis ediderunt, mole & varietate cæteris haud impares. Etſi autem harum legum præcipua hodie paſſim ſit auctoritas atque exiſtimatio, ac proinde harum cognitio dignitate prima ſit: cum tamen & reliquarum Legum in ſuis civitatibus, quarum ſunt in uſum conditæ, haud minor ſit vis, illarum quoque notitia parilem fermè, ſaltim in ſingulis rebuſpublicis, locum ſoleat invenire. Eo tamen diſcrimine, quod ubi leges ſunt paucæ & intellectu faciles, non ea Peritorum juris auctoritas eſſe poſſit, quanta eſt alibi, ubi præ copia & obſcuritate leges in paucorum notitiam perveniunt; utpote quum hi eo ipſo legum penè fiant domini.

Cæterum & illarum, quæ ſingulis civitatibus propriæ ſunt, Legum cognitio varijs ſeſe modis habere ſolet. *Primum* I.
enim, cum ipſum cujuſque civitatis Jus, aliud ſit Publicum, aliud Privatum: eſt quidem interdum ut utriuſque juris peritiam quis teneat, interdum tamen abeſt altera; nec minus tamen illa in vulgus audit peritiæ juris ſplendido cognomento. Romani ſanè olim privati juris ſolitaria cognitio iſthoc titulo fuit plærumque venditata. Unde Antonium, virum magnum, Cicero ita diſſerentem producit: *Si quæreretur, quiſnam Juriſconſultus verè nominaretur? cum dicerem, qui Legum & Conſuetudinis ejus qua privati in civitate uterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, peritus eſſet.* Pauci ſanè tùm fuere ad exemplum Atteij Capitonis compoſiti, quem Gellius, *publici privatiq; juris peritiſſimum* nuncupavit. Nec vero non hodieque idem obtinet, idq; moribus Europæ tantùm non univerſæ. Quoniam verò omnes inter populorum Leges II.
primâ dudum famâ fuerint Romanæ, & quidem Juſtinianeæ, uſque adeò ut hæ Civilis juris nomen præ alijs per excellentiam adeptæ ſint; hinc *ſecundo* has Juſtinianeas noviſſe, id præ-

ſertim,

ſertim, eſſe Jus civile tenere, exiſtimatur. Et tamen multum id abeſt à peritia juris illius, quod in civitate quavis hodie obtinet. Nec enim Juſtinianeum illud jus uſquam terrarum, niſi aliqua ſui parte & quidem exigua, vim legis amplius habet. Alicubi nullum illi pretium eſt. Ubivis ſtatuta & conſuetudines domeſticæ prævalent; & rebuſpublicis libera eſt poteſtas jus illud vel de novo acceptandi, vel rejiciendi etſi jam quadantenus receptum. Eóque nec ipſe Tribonianus hodie quidem ſit idoneus in ulla civitate jus dicere ſecundùm leges. Perindè atque obſervare paſſim eſt, quamvis peritiſſimos juris illius, ipſi pares Cujacio, in foris noſtris exiguum admodùm poſſe, ſive agendæ cauſæ fuerint ſive judicandæ.
III. Hæret *porro* legum illarum ſingularium peritia, interdum in nuda cognitione ſenſus legum. Ut nimirum intelligas duntaxat, quid Legibus ſit ſancitum, quidque adeò illæ ſibi velint. Eſt verò & illud ſcire haud levis operæ; tùm præſertim, quando leges ſunt vetuſtæ, & præ nimia quadam copia aut verè aut certè in ſpeciem inter ſeſe diſſident. Id quod uſu venit præcipuè circa Romanas leges; illas etiam quas Juſtiniani cura accepimus. In ſola ſanè earum mente exponendâ laboraverunt plurimi; præ alijs verò pretium operæ fecerunt eximij iſti, Cujacij, Balduini, Pithœi, Fabri, Gothofredi, Fabrotti, & ſi qui alij Romanarum rerum veterum notitiam accuratam ad hoc Romani juris ſtudium attulerunt. Perinde atque illis adminiculis deſtituti, vix eſt, ut integri quidem legum illarum Corporis: (nam de quibuſdam legibus, quarum maximus eſt uſus, non equidem id dixerim) plenum intellectum aſſequantur. Ea ſanè eſt & difficultas & prolixitas ſtudij hujus, ut qui huic animum appulerunt, ipſum fori uſum plærumque negligant, imò ad judicia cauſarum inidonei penè reddantur, niſi vel ampla ingenij capacitas eos erigat, vel
IV. nonnihil ipſi remittant ab iſthac cura. Cæterum plærumque hæc

hæc legum cognitio comitem habet *ſolertiam*, quâ cauſæ ad leges tanquam normam poſſunt exigi. Et verò in id potiſſimùm ſolet peritia iſthæc comparari, ut nimirum vel poſſis judicare controverſias quaſque civium, vel illis patrocinari ad legum præſcriptum. Plane autem poſterior illa ſolertia à legum peritiâ ſtrictim ita dictâ (etſi uno communi nomine vulgò veniat) multum diverſa eſt. Nam omnis quidem civilis ac forenſis contentio eſt de eo, quod contra leges ab aliquo actum creditur; attamen potiſſimùm verſatur in ijs dubitationibus: factum ſit quidpiam ab illo qui accuſatur nec ne, & ſi factum, ſponte an invite, ſi ſponte an deliberato conſilio an repentino aliquo animi motu; ſi invite an per ignorantiam, eamque aut vincibilem aut invincibilem, an verò per violentiam. Quæ quatènus veriſimiliter queant perſuaderi, Rhetoricæ, quatenus autem certis argumentis judicanda ſint, ejus peritiæ eſt quæ in judice poſtulatur. Ut ad cauſas ſive agendas ſive arbitrandas tum demum legum cognitio ſit neceſſaria, quando jam de ijs, quæ diximus, conſtat. Solâ nimirum ſuperſtite quæſtione: utrum conſentaneum fuerit legibus necne id quod eſt factum. Et verò hanc ob rationem, apud Græcos pariter & Romanos (in quibus olim primò omnium cauſidicina in artem redacta eſt) illi qui egerunt in foro cauſas, rarò legum ſibi peritiam comparavere, contenti in dubiis Juriſconſultum aliquem, (quorum nemo tum egit cauſas) adiiſſe. Adhoc ſolet plerumque, etiam illa ad forenſem uſum compoſita legum peritia abſolvi, non attento, num V. lex bene an ſecus lata ſit. Imò verò ea in vulgus obtinet ſententia: non eſſe fas rationem & commoda legum quærere; utque liceat, inveniri tamen non poſſe; certè operam eſſe inanem. Quod verum ſit nec ne, nunc haud definio. Cauſſas legum vulgo ignorari, & tamen illas qui ignorant Peritos ac Conſultos imo Prudentes legum exiſtimari, palàm eſt. Poſſe VI.

tamen etiam rationes uſumque legum haud ignorari, & illam ſcientiam cumprimis laudem mereri perfectæ latarum legum prudentiæ; non difficile adeò eſt perſpectu.

Enimverò fatemur quidem & nos, veriſſimum eſſe Juliani JCti illud: *non omnium quæ à majoribus conſtituta ſunt ratio reddi poteſt:* ſi *rationis* voce intelligas, id quod primam ferendæ legi occaſionem dedit. Quî enim aſſequamur illa omnia, præſertim ſi lex ſit vetuſta, & geſtarum in republica rerum nulla in vulgus ſuppetant monumenta? Attamen & illa primordia legum noviſſe, quin plurimum faciat ad veram legum intelligentiam, quantum arbitror, vacat dubio. Certè ad legum aliquot Romanarum interpretationem Franciſcus Balduinus, (is enim niſi fallor princeps id vidit) cumprimis verò Jacobus Gothofredus V. V. C. C. plurimum lucis ex hiſtoria temporum, quibus leges fuere olim latæ, attulerunt. Et huc pertinet Wolfgangi Freymonij labor in conficiendo Indice Conſtitutionum Imperatoriarum, (quæ præ alijs legibus Romanos περισυνηκοὶ ſunt, imò πρόσκαιροι) ad temporum ſeriem diſpoſitarum. Imò collimaverunt iſthuc, qui Romanorum Juriſconſultorum veterum illa fragmenta, unde Pandectæ Juſtinianeæ conſtructæ ſunt, in libros quoſque ſuos poſtliminiò revocarunt. Quos inter eminent Indicibus editis Antonius Auguſtinus & Jacobus Labittus. Nam & ita in conſpectum quodammodo venit, quâ occaſione quove ſenſu plæraque illorum jurium, quæ in Pandectis nunc lacera & disjecta viſuntur, olim ab auctoribus ſuis ſcripta ac pronunciata fuerint. Sed & illis, qui Leges duodecim Tabularum, aliaſque antiquas Romanorum juris conſtitutiones, cumprimis verò qui Edictum perpetuum reſtituere ſunt anniſi, eadem videtur mens fuiſſe. Ut nimirum, quoniam Pandectæ ſunt conflatæ ex fragmentis illorum ſcriptorum, qui cumprimis ad Leges illas veteres & Edictum perpetuum ſunt commen-

tati,

tati, factâ collatione occaſio dictorum eò rectius eluceſcat. Verum illa quidem interpretandi Juris Romani diligentia ſaltim ſententiæ Juſtiniani non ſatis convenit. Utpote qui iſta interpretationis adminicula omnia partim aboleverit, præfationibus Conſtitutionum præciſis, & obſcuris multumque disjunctis librorum Juridicorum veterum fragmentis in centonem conjectis; partim incerta reddiderit, ſub antiquis librorum auctorum annorumque inſcriptionibus, pluribus novis Cæſarea ſua poteſtate editis: in univerſum quoque nihil ab ſeſe cautum voluerit amplius veterum illorum JCtorum aut Cæſarum cenſeri, ſed ſua. Quod exemplum in Baſilicis promulgandis alij Cæſares ſecuti, quicquid illorum (ut ita dicam) adminiculorum in Juſtinianeo Corpore ſuperfuit, totum abjecerunt. Benè an ſecus vel à Juſtiniano vel ab alijs id actum ſit, jam non diſputo. Id patet, illam interpretandi Juris Juſtinianei rationem Juſtiniano ipſimet non probatam fuiſſe. Liquet etiam, quod illa inquiſitio in Legum Romanarum verum ſenſum, & rationem factæ earum lationis; ad illam qua de nos jam loquimur Prudentiam juris nihil faciat. Hoc nimirum volumus: latarum legum omnium talem aliquam cognitionem poſſe accipi, ut ſciamus, num latæ leges, ante omnia æterno illi & nobiſcum nato juri, deinde & reipublicæ alicujus uſui, ſatis conveniant nec ne. Ad quæ cognoſcenda, parùm præſtat ſcire originem & occaſionem factæ lationis legum. Tum nempe duntaxat aliquid valet, quando expendere animus eſt uſum latæ legis ad tempora ejus prima: quamvis etiam ad ſenſum legum accuratè percipiendum, noviſſe illa omnium primordia, referat ſemper plurimùm. Certè vehementer errant viri magni, inque his ipſemet Jacobus Gothofredus, qui in illa primordiorum (ut ita dicam) cognitione, veram accuratamque Romanarum Legum ſcientiam collocatam eſſe arbitrantur.

tur. Eſt enim quidem illa præſtabilis eruditio, quæve pauciſſimis contingat; eſtque adeò illa, quâ olim videtur ſeſe multum adeò commendaſſe, C. Plinij Secundi judicio, Titus Ariſto Juriſconſultus: ab ea tamen quam modò tetigimus juris peritia immane quantum diſſidet.

Poſſe verò talem aliquam acquiri, qualem nos ante indicavimus latarum legum cognitionem, non eſt quod dubitemus. Utique enim expendi omnia ad naturæ jus queunt: nec reipublicæ cujuſvis ſingularis commoda atque incommoda noviſſe intellectus humani captum excedit. Ubi noveris igitur, & quid ipſa rerum natura quaſi ſanxerit, & quid exigat uniuſcujuſque reipublicæ ratio, poteris utique latarum legum examen ejuſmodi quale diximus inſtituere, atque adeò talem tibi illarum ſcientiam comparare.

Et verò omnes inter ſpecies peritiæ latarum legum, quas modò commemoravimus, hæc maximè videtur elucere, & Prudentiæ legum nomen promereri. Quis ſanè meritò Prudentiæ grande nomen dederit ſaltim illi legum peritiæ, quæ circa ſolum lati juris ſenſum hæreſcens inidonea eſt conſulere humanæ vitæ? Tali autem peritia legum nonnullos eſſe inſtructos, jam audivimus. Non equidem diffitebimur, etiam hanc peritiam mereri eximiam laudem: imò jam tum profeſſi ſumus, Romanarum legum talem peritiam non poſſe quem perfectè conſequi ſine magnæ doctrinæ ſubſidijs, ac proinde hactenus illam ſolos Cujacios & primæ notæ alios paucos aſſequutos eſſe. Si tamen dicendum quod res eſt, Philologica potius quædam, ſive, quod perinde eſt, Grammatica aut Hiſtorica hæc legum eſt peritia quam Scientia, vel Ars, vel Prudentia juſti & æqui civilis. *Civilis* cum ajo, intelligo tantùm illud jus, quod in aliqua ſingulari obtinet civitate: nec enim nunc ago de eo, quod diverſitate rerumpublicarum multiplex eſt & diverſum. Et verò etſi illa quæ plene

aſſecuta

aſſecuta eſt omnia, quæ in aliqua ſingulari republica hodiè obtinent, poſſit civilis hodierni alicujus juris ſcientia aliquatenus dici, Romani tamen illius juris pleniſſima etiam cognitio non id nomen pari ratione meretur; quoniam illud jus nuſquam terrarum omni ex parte reapſe vim civilis legis retinet. Hujus certè perquam multa noviſſe perinde ferme eſt, atque leges Atticas aut Spartanas noviſſe: quod indicio maximo eſt, verum eſſe quod diximus, ejuſmodi cognitionem eſſe hiſtoricam.

Longè ad vitam & communem uſum eſt utilior illa recepti juris peritia, quæ comitem habet juris ad facta applicandi facultatem. Imò illam qui fraudant Prudentiæ titulo, injuriam profectò faciunt inſignem peritiâ iſthac inſtructis plurimis Juriſconſultis. Et verò cum Prudentia ſit illa vis, quæ circa humana occupatur bona, atque adeò quæ id quod in vita utile eſt aut noxium aſſequi & conſulere idonea eſt; quo merito Prudentiam non dixeris illam peritiam, quæ & novit quid ſit moribus atque inſtitutis civitatis conſentaneum (hoc eſt autem illud, quod in publicum eſt utile) & ſimul actus omnes civiles ad normam inſtitutorum civilium arbitratur ac dirigit? Hoc omne verò præſtat illa juris peritia quam nunc tangimus. Communis ſane omnium gentium uſus ſemper ejuſmodi peritiam Prudentiæ nomine decoravit. Non alia utique peritiâ fuerunt inſtructi olim Romanorum Juriſconſulti; quos tamen Prudentes juris appellatos eſſe ab omnibus, vacat controverſia. De C. Aquilio Juriſconſulto ipſemet Cicero pronunciat: *Ejus prudentiam populus Romanus in cavendo non in decipiendo perſpexit.* Jamdudum ante C. Ælium *catum* h. e. cavendi prudentem Ennius cecinerat illo ſuo:

Egregie cordatus homo catus Ælius Sextus.

Tullius certè *ſapientiæ* quidem nomen immerito priſcis illis

Romani juris peritis tribui cenſuit: Prudentiæ autem ultrò largitus eſt, illa etiam pro Muræna oratione, quâ Juriſconſultis iſtis iniquior fuiſſe creditur. Quid, quod illis peritiæ hujus contemptoribus, cum Ariſtotelis voluerint haberi ſectatores, ipſemet Ariſtoteles debuerit meritò linguam temperare? Is videlicet ipſe Ariſtoteles paſſim laudat δικαστικὴν peritiam *Prudentiæ* cognomento: nec tamen aliam ille legum peritiam judici ineſſe debere exiſtimavit, quàm illã qua de nunc ſermo eſt. Ineptè ſanè Prudentiæ titulus ideò denegatur huic peritiæ, quod rationem juris neſciat. Ipſæ ſcilicet leges & mores huic Prudentiæ ſunt loco rationum. Inverſo nempe ordine procedit ἡ νομοθετικὴ & δικαστική. Illi leges ſunt opus aut concluſio: huic principium concludendi aliquid de negotijs civilibus. Nec verò cui legis auctoritas pro norma eſt, is abs ratione agit. Id ſane affirmare, cum injuria eſt conjunctum non duntaxat legibus obſequentium, ſed etiam judicum omnium.

Etſi verò Prudentiæ nomine digna omninò ſit talis judiciaria legum peritia: indubiè tamen majoris eſt Prudentiæ, ipſas legum illarum rationes, atque adeò commoda & noxas, quas illi queant reipublicæ alicui præſtare, poſſe expendere atque judicare. Hoc certè uſum maximum humanæ vitæ adferre eſt idoneum. Certè civitati plus commodi præſtare aptus eſt is, qui tenet legum civilium utilitatem & noxam; quàm qui novit duntaxat, ſecundùm leges & mores uſitatos controverſias civiles decidere. Ac proinde plus in illa peritia eſt prudentiæ. Et ſanè in illo qui reipublicæ præſidet, ſive auctoritate ſive conſilio, non tam illa quam hæc Prudentia unicè requiritur. Proinde ut Judici illa ferè ſufficit, ita hæc non niſi leviter adſit neceſſum eſt. Nec verò rempublicam probè adminiſtraveris, ſi ignores, num leges & mores recepti rectè ſeſe habeant; & ſi non habeant, quatenus corrigi debeant & mutari. Enimverò non eſt quod nos turbent illa

Nera-

Neratij: *Rationes eorum quæ conſtituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex his quæ certa ſunt ſubverterentur.* Agit enim ille non de reipubl. præſide ſed de judice, & quidem illo, qui in judicando non tam legum normam velit ſequi quam ſui animi ratiocinationes. Judici ſanè illam ſi permittas licentiam, ſubvertentur multa ex his quæ ſunt certa, & legum tandem ipſis in judicijs non niſi inanis umbra ſuperforet: quo nihil eſt civitati pernicioſius. Diſpar verò multùm eſt ratio Judicis, & illius qui ad reipubl. ſedens clavum civitatem omnem gubernat atque adminiſtrat. Uſque ſanè adeò, ut quod huius eſt in officio; id alteri ne quidem extremo, ut ajunt, digito fas ſit attingere.

Sed hoc diſcrimen variæ lati juris peritiæ, quodque adeò hæc demum præ alijs Prudentia juris ſit, quum reliquæ nonnullæ non niſi commune illud Peritiæ nomen mereantur, intelligere fortaſſe non multum eſt difficile. Videtur ſane iſta jam aſſecutus ipſemet ille meus ſtupidus adverſarius. Noviſti hominem, Vir Magnifice, adeoque nolo ejus nomine chartas maculare. Etſi enim antehac me petiiſſet iſthaç ſua quæſtione: *An probabilis ſit novatorum diſtinctio inter juris Peritum & juris Prudentem?* inque ſolemni Panegyri eam adverſus me curaſſet ab aliquo dupondiorum ſuorum magnis clamoribus agitari; in nuperrimis tamen cerevisiarijs theſibus ſcripſit, *cardinem controverſiæ noſtræ* verſari, in ijs quæ Hopperus habet initio tituli 23 libri quarti, ibi vero ab Hoppero graviſſimis verbis ſententiam meam damnari. Summa autem doctrinæ illius loci eſt: *Politicam legum interpretationem in Senatu & republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrum rectè latæ ſint inquiritur, potiſſimum verſari: eoque nec in communibus ſcholis tractari debere, ubi leges ipſas juvenes, niſi triginta quinq; annos nati & compoſito ſint animo, non autem judicium de legibus, quas ut decet colere oportet, addiſcere debent:*

bent: neq; in foro & tribunali, ubi ſecundum leges non de iis eſt judicandum. Quorum cum nihil adverſetur illi à me propoſitæ inter juris Peritiam & Prudentiam differentiæ, ſed potius ipſo ſtatim initio illam roboret, videtur ille homo, velle hoc jam incauto lectori perſuaſum: quaſi de ipſa illa differentia nihil inter nos fuerit controverſiæ, ſed fortè de eo, an juris lati Prudentiam vel cenſuram Politicam fas ſit in communibus ſcholis doceri, idque ipſe negaverit cum Hoppero, ego affirmaverim. Qualibus figmentis (nec enim illam quam fingit controverſiam ego unquam verbulo tetigi) mos eſt hominis, quærere effugia, quando captus & convictus eſt: tanquam ſcilicet hac ratione in tuto collocetur illius priſtina jamque agnita inſcitia.

Viderunt verò & alij nonnulli magno ingenio doctrinaque illuſtres Juriſconſulti Romani, pragmaticam illam forenſemque peritiam non æquare pondus, quod ineſt nominibus, quibus in ipſis Pandectis Juſtinianeis Romani juris Prudentia extollitur; eòque cogitaverunt de facie aliqua Artis aut Scientiæ illi conciliandа, modis tamen & conatibus multùm diverſis. *Alij* nimirum id dederunt operam, ut legum illarum cum æterno jure æquitateq; conſenſum oſtenderent, rati hoc eſſe demum veram & non fucatam juris Philoſophiam profiteri. Laborarunt *Alij* in eo, ut communiſſimis quibuſdam axiomatibus niti plurima Corporis Juſtinianei pronunciata, docerent: hoc ſanè potiſſimum fuit curæ Matthæo Gribaldo. *Alij* denique, ſi ex pronunciatis Iuſtinianeis communioribus, nullo naturalis aut poſitivi juris facto diſcrimine, fluere multa alia monſtrarent, hoc ipſo ſeſe Iuris ſcientiam tradere arbitrati ſunt: qua in ſententia fuiſſe Antonium Fabrum prodit ſanè ejus Scientia Iuriſprudentiæ Papinianeæ. Verùm enimvero tot præſtantium virorum conatus nemo æquus arbiter non laudaverit quidem plurimùm:

neque

neque ſibi tamen illi neque alijs cordatioribus ſatisfecerunt. Quo factum, ut nonnulli haud dubitaverint apertè profiteri, nulla eſſe latarum legum certa principia, & fruſtra in Scientiâ legum comparanda laborari. At verò de hiſce quidem aliàs. Ut autem cum illis reliquis nunc agamus. Utique demum in principiorum verorum indemonſtrabilium neceſſariorumque notitiâ rerum ſcientiam ſitam eſſe, caret dubio. Quæ illi verò attulerunt, non profectò ſunt Legum, ſive Romanarum ſive aliarum, vera fundamenta ac propria principia. Faber ſanè quæ produxit ab illo ordine abſunt longiſſimè; quod nemo non mecum judicabit Analytices peritus, ſaltim qui inſpexerit opus illud Papinianeæ ſcientiæ, cœtera eximium. Axiomata à Gribaldo producta ſunt illa quidem principia legum atque actionum humanarum, perinde atque rerum naturalium aliarumque penè omnium, (ſunt enim ex Metaphyſicis magnam partem petita) attamen illa Metaphyſica atque adeò communia (perinde atque Phyſica Mathematica atque Moralia, quæ itidem inveniunt ſuum locum in Politicis aut Nomotheticis demonſtrationibus interdum, ceu alibi docemus pluribus) non ſunt verè propria domeſtica & proxima potiſſimaque Legum principia, quæ maximè tamen idonea ſunt demonſtrandæ Legum rectitudini. Et verò etiam illa communia tum demum in demonſtratione inveniunt locum, quando ad materiam ſpecialem reſtricta merentur pro domeſticis accipi. Magis ad rem ſolent accedere illi, quos primo loco commemoravimus. At profectò in nulla republica leges omnes condi ſolent, quoniam ita jubeat naturalis æquitas: eoque illa quidem non eſt legum civilium primum principium. Enimverò, ſaltim plærarumque, legum etiam optimarum ea eſt natura & conditio, ut naturaliter juſtæ ſint haud alio ſenſu, quam quod non ſint injuſtæ, ſive quod naturali juri haud adverſentur: (prout vox juſtum

eſt πλύσημ@) non quod Natura ipſa ita ſanxerit. Poſitivæ enim utique ſunt leges plæræque: atque adeò vim juſti naturalis non aſſequuntur. Quæ Natura nimirum ſimpliciter quidem juſſit per ſunt pauca, plura ex hypotheſi conſtituit; at negotia civilia longè ampliorem normam exigunt. Quinimo ea etiam quæ Natura vetuit impunè permitti, quæ mandavit non mandari, in civitate interdum eſt neceſſum.

Enimverò mirari ſæpè ſubiit, quî potuerint multi adeo præſtantes doctores ita ceſpitare circa ipſa Juris principia: cum Juſtinianus tamen Cæſar diſerte & frequenter adeò, idque verbis optimorum maximorumque Romanæ Juriſprudentiæ ſcriptorum, quæ Iuris quidem Civilis Romani in univerſum rationes ſint ac fundamenta, omni orbi propalaverit. In ipſum Titulum de Legibus recepit utique Cæſar ille hæc Pauli: *Jus ſingulare eſt, quod contra tenorem rationis propter aliquam VTILITATEM, auctoritate conſtituentium introductum eſt.* Hæc item Modeſtini: *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro VTILITATE hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum COMMODVM producamus ad ſeveritatem.* In ipſo Titulo de Iuſtitia & Iure hæc Ulpiani ſunt verba: *Publicum jus eſt quod ad STATVM rei Romanæ ſpectat, Privatum quod ad Singulorum VTILITATEM: ſunt enim quædam publicè VTILIA, quædam privatim.* Ibidem ſcripſit Paulus: *Jus dicitur altero modo, quod omnibus aut pluribus in quaq; civitate VTILE eſt: ut eſt Jus civile.* Ipſiuſmet Papiniani hæc verba ſunt de jure Prætorio: *Ius Prætorium eſt, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi Iuris civilis gratia: propter VTILITATEM PVBLICAM.* Titulus de Conſtitutionibus Principum habet hæc verba Ulpiani: *In rebus novis conſtituendis evidens eſſe VTILITAS debet, ut recedatur ab eo jure quod diu æquum viſum eſt.* Idem planè de Iure publico & privato Romano,

mano, tyronibus ipſis inculcatum voluit Cæſar, ſtatim initio Inſtitutionum. Imò idem quoque non obſcure de Iure gentium voluit doceri illos ipſos Titulo ſecundo: *Ius gentium*, inquiens, *omni humano generi commune eſt; nam VSV EXIGENTE ET HVMANIS NECESSITATIBVS, gentes humanæ jura quædam ſibi conſtituerunt.* Mitto alia complura, vel enim ex hiſce paucis ſatis conſtat, principium, ſaltim magnum, Civilis & Gentium juris, Iuſtiniano Cæſare & ipſis illis Iuriſconſultorum Romanorum omnium primatibus auctoribus, eſſe *utilitatem.* Quid? quod (ſi benè rem explices) non alia ſit ipſiuſmet Naturalis *juſti propè mater & æqui.* Etiam hoc ſcilicet producitur quaſi ab Utilitate naturæ ejus quæ humano eſt generi communis. Verùm id ſubtilius eſt fortè quàm ut huic loco conveniat: alibi tamen ſeorſim à nobis demonſtratur. Illud abunde jam eſt manifeſtum, Romani atque adeò omnis Civilis juris, maxime proprium atque domeſticum principium ac fundamentum eſſe, civilem utilitatem. Si ſane fides habenda eſt Cæſari ipſi Iuſtiniano atque optimis maximis illis conſultis juris: habenda autem merito eſt, cum pariter omnium prudentum ſententiâ, & evidentibus rationibus, demonſtrare id in promptu ſit. Hoc ipſo autem ſimul palàm fit, quantum illi & à recta ratione & ab ipſorummet optimorum juris Romani conditorum ſententia aberrent, qui Leges poſitivas civiles nullo certo niti fundamento, ſed ſolo cœco arbitrio ſtare vel cadere arbitrantur. Verùm non eſt quod illa nunc nos morentur.

Cæterum utilitatem conſtituti juris intelligere, (quâ in re conſiſtere ſi non omnem ſaltim potiſſimam ejus, ſi qua eſt, ſcientiam, quamve notitiam ſummè commodam eſſe omni illi qui ea quâ par eſt ratione reipublicæ ſuæ ſtudet conſulere, affirmavimus) poſſit forte videri difficilius, quàm ut hominibus aſſequi ſit conceſſum. Certe pauciſſimos reperias,

qui viam rationemque id conſequendi tradere ſint aggreſſi. Verum enimverò nec ego quidem negaverim, paucos admodum id certâ quadam via ac ratione agere: uſus tamen docet, tantâ ſic ſatis multos pollere judicij acrimonia, ut vel naturâ vel uſu longo comparatâ ingenij facultate, commoda & noxas recepti juris optime atque exacte comprehendant. Utiq; enim videas multos leges receptas corrigere, ſupplere, mutare, antiquare, imò & novas condere, inſigni felicitate: quod profectò fieri non poteſt, niſi utilitate & noxa legum intime perſpectâ. Vobis certe, Magnifice LANGENBECI, qui ad clavum reipublicæ ſederis, familiare hoc eſt; inque eo non exigua pars veſtræ eſt prudentiæ, & præclarorum de publico meritorum laudis, collocata. Si faciunt autem hoc multi (ut faciunt) vi quadam ingenij, ergo etiam certâ quadam viâ & arte idem effici poteſt. Licet enim utique obſervare, & in unum cogere illos modos, quibus utuntur in iſto felice Legum judicio illi ingenioſi. Quod eſt viam certam atque artem quandam producere. Hac ſanè ratione omnes artes initiò ſunt conditæ. Si verò certa quadam via judicium inſtituatur, non poteſt non profectò illud cum ſummo reipubl. gerendæ commodo eſſe conjunctum; multum ſanè illa methodus præſtiterit iſti ſolis ingenij dotibus innixæ facultati.

Evidens hoc uſque eſt adeò, ut etſi pauci, nonnulli tamen, meditati ſint Iuris quam vocarunt artem condere. Utinam verò par ſucceſſus omnem illorum conatum excepiſſet! At nonnulli ſtatim in ipſa janua, ut ajunt, impegerunt, Artem iſtam juris collocantes in diſpoſitione quadam concinna legum Iuſtinianearum: quaſi illam qui teneat jam ſit artifex legum ſimpliciter omnium. At nec ego quidem haud negaverim, iſthoc ſenſu memorari: Ciceronem cogitaſſe *de jure civili* (Romano ſcilicet) *in artem redigendo*, & Celſum ICtum dixiſſe; *jus*, h. e. Leges Romanas, probo ordine

colloca-

collocatas, *artem eſſe boni & aequi.* At illa quoque ipſa vocis *artis* uſurpatio multum abit à verò ejus uſu: & ejuſmodi ars, ad commoda atque incommoda legum pernoſcenda, omnino nihil valet. Nec verò vel ipſius Romani juris utilitatem aut noxam illius beneficio aſſequaris; tantùm abeſt, ut illa te idoneum reddat alterius civitatis legibus arbitrandis. Haud me latet, ea nonnullos erga Romanum jus duci ſuperſtione, ut tanquam certum indubitatumque habeant, eſſe illud omnibus numeris perfectum commodumque; non correctionis porrò, non mutationis capax; aptum denique & ſufficiens omnibus rebuſpublicis: eoque ad illud Ius, quicquid alibi tenetur, tanquam ad normam exigendum; ut illud ſcilicet ubivis ſit utile quod huic conveniens, illud noxium quod ab hoc diſſentit. Verùm hæc quidem poſtulata (poſtulant enim hæc credi, nulla cùm ſint ratione inſtructi) excedunt modum. Et verò ſatis inſaniæ illi (inſania enim mera eſt) confutandæ ſufficit communis omnium gentium, omnium rerumpublicarum, omnium ſeculorum, ab hoc placito diſſenſio.

Nec enim ipſoſmet Romanos excepetim; utpote qui nunquam adeò inepta ſuperſtitione leges ſuas ſint venerati, ſed ſemper ultrò faſſi, maximam partem ſuarum legum eſſe Jus ſuæ civitati proprium, ut Athenienſibus Atticum, atque pro uſu exigente mutabile, ſolis *naturalibus legibus ſemper firmis atq; immutabilibus permanentibus.* Imò verò quas ipſimet leges ſuas non mutavere! Utique enim prima & maxima auctoritas fuit decem Tabulis: his ſtatim additæ duæ, ubi animadverſum, *deeſſe aliquid iſtis primis legibus*, (ut loquitur ipſe Pomponius) neve crederetur vel ſic ferend s legibus impoſitum finem, ipſimet undecimæ Tabulæ hanc legem inſeruerunt: *Quod poſtremum Populus juſſit, id jus ratum eſto.* Eopſe pene tempore, (ſi Pomponio credimus; non mereri autem in

 omni-

omnibus fidem, dudum doctis innotuit) *compoſitum prudenter illud Ius Civile* quo *diſputatio fori* comprehenſa, & confectæ *Actiones legis* quæ formulis (non dicam qualibus; Juſtinianus ipſe illas appellat *antiquæ ſubtilitatis ludibria*) conſtabant. *Secutus inde immenſus aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulus*, ceu dicebat Livius; imo (ut Tacitus loquitur) *perventum eſt ad multitudinem ac varietatem legum infinitam*; adeò, ut quemadmodùm *antehac flagitiis ita tunc legibus ſit laboratum*. Quo malo Julius Cæſar permotus, teſte Tranquillo, *Ius civile ad certum modum redigere, atq; ex immensâ diffusâq; Legum copia optima quaq; & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros deſtinavit*. Nec verò manſit duodecim Tabulis primus honor: imo tantam non omnis earum vis, *niſi in Legis Actionibus centumviralium cauſarum*, jam ante Cæſarum ætatem, *lege AEbutia latâ conſopita eſt*: quod Juris peritus quidam jam olim Aulo Gellio reſpondit. Et verò teſtis eſt Ludovicus Charondas, in fragmento quodam Romanæ antiquitatis ſibi repertum: *L. AEbutius Tribunus plebis, vir popularis, legem tulit ad populum, ut XII tabularum capita, quæ inutilia eſſent reipublicæ, tollerentur: quæ lex multis contradicentibus tandem lata eſt*. Ille certè Juriſperitus Gellianus, Hadriani ævo non dubitavit profiteri, interpretationem Decemviralis Juris non magis ad ſe pertinere, quam Juris Faunorum & Aboriginum. Eadem tempeſtate ipſe Sextus Cæcilius, præſtans ſanè Juriſconſultus, faſſus eſt Favorino, *Plerisq; ipſis duodecim tabularum Legibus jam populum Romanum uti deſiiſſe*, addita excuſatione: *Legum oportunitates & medelas pro temporum moribus, & pro rerumpublicarum generibus, ac pro utilitatum præſentium rationibus, proq; vitiorum quibus medendum eſt fervoribus, mutari atq; flecti, neq; uno ſtatu conſiſtere; quin, ut facies cœli & maris, ita rerum ac fortunæ tempeſtatibus varientur*. Et verò utique Romanus Populus non ipſe tantum proceſſu

tem-

temporis plæraque mutavit ſuis Senatuſconſultis & Plebiſcitis; ſed & Prætoribus ſuis facultatem conceſſit (bene an ſecus jam non diſputo) *leges corrigendi adjuvandi & ſupplendi.* Jam verò & Prætorum illud Honorarium Jus, quam inſtabile initiò fuerit, non paſſus eſt nos ignorare Dio; *Prætores*, inquiens, *omnes ea jura, ſecundum quæ jus ipſi dicturi eſſent Albo inſcripti proponebant. Nec enim jura & leges omnes ad contractus pertinentes exprimebant, nec id uno eodemq; tempore faciebant, nec abs ſe ſcripta ſervabant; ſed alibi mutabant ſcripturam ſæpius, & in hac re multa, ceu facile creditu, ad gratiam vel odium quorundam fiebant. Igitur* C. Cornelius Tribunus plebis *rogationem tulit, ut & ſtatim à principio Prætores prædicerent, quo Iure eſſent uſuri, & deinde nequaquam ab hoc deflecterent.* Illa Prætorij Juris major ſolito conſtantia cœpit quidem anno V. DCXXCVI, fuit tamen perexigua. Quemadmodum nimirum ipſa Prætura annua fuit, ita & Edicta Prætorum non niſi annalia. Plurimùm enim falluntur, qui rogatione Cornelia majorem ſtabilitatem arbitrantur Edictis datam eſſe: quum utique Cicero ipſe adhuc diſertè affirmet: *qui plurimùm tribuunt Edicto Prætoris, Edictum Legem annuam eſſe dicunt.* Juſſu demùm Hadriani Cæſaris à Salvio Juliano conditum eſt *Edictum* illud *Perpetuum* vocatum. Non vana quidem appellatione, ſi conferas cum antegreſſis temporibus, quando *variè illud inconditeq; à Prætoribus promebatur*, ut Aurelij Victoris verba mutuemur: at non eo tamen ſenſu, quaſi nec addere nec demere aliquid illi fas fuerit. Ipſe *divus Hadrianus* (verba ſunt ipſiuſmet Cæſaris Juſtiniani) *in compoſitione Edicti hoc apertiſſime definivit; ut ſi quid in Edicto poſitum non invenitur, hoc ad ejus regulas, ejuſq; conjecturas & imitationes, poſſit nova inſtruere auctoritas.* Sed & factâ Juriſconſultis Edictum interpretandi facultate, horum commentationibus penè illud enervatum fuit. Juſtinianus ſane conqueritur: *Antiquos Edicti*

Perpetui commentatores opus moderatè confectum in infinitum diſtraxiſſe, ut penè omnis Romana ſanctio ſit confuſa. Item: *in antiqui Edicti factum eſſe ordinatione, ut illud breviſſimum conſtitutum, ex differentium commentantium differentia ſeu diverſitate, in infinitam extenderetur multitudinem.* Certè ipſum illud Edictum commentariorum mole & diſcordia tandem quaſi ſuffocatum videtur; atque ita evanuiſſe. Eadem inconſtantia fuit Senatuſconſultorum & Plebiſcitorum. Tacitus de ijs non dubitavit profiteri; duodecim Tabulas *finem æqui juris*, ſive ejus quæ æqualitatem conſervârit inter Plebem & Senatum, *fuiſſe: ſecutas autem leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpius tamen diſſenſione ordinum, & apiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaq; ob prava, per vim latas eſſe.* Plæraque verò etiam illorum, ſtatim Cæſarum ævo, vim omnem legis perdiderunt. Ipſiſmet porrò Cæſareis Conſtitutionibus utique nihil incertius fuit & inconſtantius. Citò profectò perierunt omnes quæ Hadrianum anteceſſere. Nec enim aliam temere dederis cauſam, quare ab Hadriano demum uſque Conſtitutiones Cæſareæ in Codicem Gregorianum, Gallieno circiter imperante, collectæ ſint. Non aliæ autem Cæſarum omnium uſque ad Conſtantinum Magnum Conſtitutiones ætatem aliquam ſunt nactæ, quàm illæ quæ in Codice Gregoriano & Hermogeniano locum ſuum invenerunt: cùm fuerint tamen ferè infinitæ. Voluit verò quondam tantùm non omnes, (*Reſcripta* ſcilicet, quæ bonam Conſtitutionum partem abſolvunt) tollere Macrinus Imperator. Ita enim de illo teſtatur Capitolinus: *Fuit in Iure non incallidus, adeò ut ſtatuerit omnia Reſcripta veterum Principum tollere; ut jure non Reſcriptis ageretur; nefas eſſe dicens, leges videri, Commodi & Caracallæ & hominum imperitorum voluntates, cùm Trajanus nunquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſas facta perferrentur, quæ ad gratiam compoſita vi-*

ſita viderentur. Tametſi verò ille Macrini conatus irritus fuerit & (ceu ante diximus) à Gregorio pariter & Hermogene JCtis magna diligentia collectæ fuerint Cæſareæ conſtitutiones, ad Conſtantinum uſque, duos in Codices; omnibus tamen illis vim atque auctoritatem, novo Codice edito, Theodoſius ſecundus Imperator detraxit. In Novella certè ejus primâ hæc verba legas: *Quamobrem deterſa nube voluminum, in quibus multorum nihil explicantium ætates attritæ ſunt, compendioſam Divalium Conſtitutionum ſcientiam ex D. Conſtantini tempore roboramus: nulli poſt Kalendas Januarias conceſſâ licentiâ, ad forum & quotidianas advocationes jus Principale deferre, vel litis inſtrumenta componere, niſi ex his videlicet libris, qui in noſtri nominis vocabulum tranſierunt, & ſacris habentur in ſcriniis.* Poſtremò & Juriſprudentes ipſos Romanos, quibus auctoritatem condendi Juris primus Auguſtus conceſſit, (alios enim non tangimus) uſque ad Marcum Imperatorem, totas in ſectas diviſos fuiſſe conſtat, latiſſime diffundente ſeſe ſententiarum divortio. Exinde nonnihil moderatiores fuerunt res quidem: attamen nec ita diſſidium omne quieviſſe, ex ipſiuſmet Cæſaris Juſtiniani querelis palàm eſt. Ille ſcilicet in univerſum affirmat, *Romanam ſanctionem inteſtinis prœliis vacillaſſe.* Jamque tum Cæſarem illum audivimus conquerentem, de diſcordia interpretum Edicti perpetui: hi vero omnes utique poſt Hadrianum vixere. Tantum nimirum illorum fuiſſe diſſidium, ut ne rurſum daretur *legibus occaſio ſeditionis & dubitationis*, territus exemplo interpretum Edicti, vetuerit Imperator, Codici ſuo commentarios addere. Cum porrò Juriſprudentum illorum ſcripta in duo millia librorum extenderentur, (Amelius enim dicens, *Iuriſprudentiam multorum camelorum onus eſſe*, videtur reſpexiſſe ſimul & illos, *quorum ſcripturæ ſeu libri ad Ius pertinentes nullis auctoribus in forum recepti vel uſitati fuerunt*, quoſque proinde ab aliis

rectè ſegregat Imperator Juſtinianus) pauci tamen admodum in judicijs vim aliquam & auctoritatem denique retinuerunt: ut reliquorum dignitatem tandem periiſſe neceſſum ſit. Imperator ſanè affirmat, *ſex tantummodo libros, & ipſos confuſos, & jura utilia in ſe perrarò habentes, à voce magiſtra Iuris ſtudioſos accepiſſe*. Indubie verò igitur non plures in foro retinuerunt aliquem locum; cum judicia à juris peritis in ſcholâ edoctis regerentur. Imo verò diſerte idem Imperator ait: *Homines qui antea lites agebant, licet multæ leges fuerant poſitæ, tamen ex paucis lites proferebant, vel propter inopiam librorum, quos comparare iis impoſſibile erat, vel propter inſcientiam: & voluntate judicum magis quam legitima auctoritate lites dirimebantur.*

Ex quibus omnibus id utique eſt ſole clarius: ſaltim ante Juſtinianum, ipſiſmet Romanis nunquam fuiſſe perſuaſum, ſuas leges eſſe ſimpliciter omnium optimas, ac tales quas mutare ſit nefas, quaſque adeò recipere debeant omnes populi omneſque reipublicæ, utut à monarchico ſtatu plurimum abeuntes. At verò nec ipſemet Juſtinianus Corpori ſuo tantas laudes tantamque perfectionem attribuit. Id quidem ille ſibi perſuaderi paſſus eſt, omnem ſuis auſpicijs confuſionem, obſcuritatem, diſſonantiam, & ſuperfluitatem Romani Juris, quibus illud vitijs antehac graviſſimè laboraverat, feliciter ſublatam, (aſſecutus id fuerit nec ne, non eſt hujus loci agitare) nequaquam tamen exiſtimavit, ita perfectum ſeſe Jus illud dediſſe, ut vel ſolis Romanis rebus omni ex parte illud ſemper ſufficiat; multo minus ut ſit idoneum omnium aliarum gentium rebuſpublicis moderandis, aut quod debeat eſſe jus commune omnium hominum. Ingenuè & prudenter optimus Imperator, in ipſa Conſtitutione quâ Digeſta confirmavit, aurea hæc verba reliquit ſcripta: *Sed quia divina quidem res perfectiſſimæ ſunt, humani verò juris conditio ſemper*

in infinitum decurrit, & nihil eſt in ea quod ſtare perpetuo poſſit, (multas etenim formas edere Natura novas deproperat,) non deſperamus quædam poſtea emergi negotia, (ſcribendum autem cenſeo: *non dubitamus quædam poſſe emergere) quæ adhuc legum laqueis non ſunt innovata* (rectius: *innodata.*) Mox ſanxit: *ſi quid tale contigerit,* h. e. ſi novam legem Romanæ reipublicæ uſus exegerit, *Auguſtum implorandum eſſe remedium: quia ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus præpoſuerit, ut poſſit omnia quæ noviter contingunt, & emendare, & componere, & modis & regulis competentibus tradere.* Nec vero (ceu ante ſueverat, ſaltim ad Conſtantinum Magnum uſque) Juriſconſultis voluit concedere hanc facultatem: prudentiſſimo conſilio; præſertim cum illorum interpretationes Romanum Jus (ſi Iuſtiniano credimus) diſſidijs ſuis corrupiſſent, & nimiâ oneraſſent mole. Non autem ſanxit ita ſolùm Imperator, ſed reapſe complura eorum quæ in Digeſtis & Codice definierat, totis centum ſexaginta octo Novellis mutavit: idque non unius Triboniani conſilio, ut nonnulli huic iniquiores calumniantur, ſed Triboniano etiam dudum defuncto. Et verò mortuus hic eſt annó Juſtiniani undevigeſimo, Iuſtinianus verò annis triginta octo & menſibus ſeptem Imperio præfuit. Quo anſam dedit infeſto calumniatori Procopio, ut ſcriberet, *illo Cæſare nullum fuiſſe ſtabile jus.* Voluiſſe porrò potentiſſimum Imperatorem, ſuum illud Ius, omnibus populis etiam extra Romanum Imperium collocatis, aut diverſis aliis rebuſpublicis, non tantum non obtrudere, ſed nec commendare tanquam omnibus utile atq; idoneum, argumento vel unicum illud eſt: quod id ipſum nuſquam in univerſo Corpore habeatur. Ineptè profectò huc trahuntur illa: *Omnes populi legibus tam à nobis promulgatis quàm compoſitis reguntur.* Sermo enim ibi eſt, de populis Imperio Romano tunc ſubditis. Quo ſenſu nimirum dixerant jam olim Imperatores, Gratianus Valentinianus &

Theodoſius: *Cunctos populos quos clementiæ noſtræ regit imperium:* & paſſim florentibus Romanorum rebus ſic loqui mos fuit. Ex adverſo autem ita de Jure ſuo omni ille ipſe Imperator etiam tyrones inſtituit: velle ſe *exponere Jura*, non ſimpliciter, ſed *populi Romani.* Hujus porrò Juris id quod *publicum* dicitur eſſe illud, *quod ad ſtatum*, non omnium gentium, ſed *rei Romanæ ſpectat. Privatum jus collectum eſſe ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.* Eſſe porrò *Ius civile Romanorum*, non quo omnis civitas, ſed *quo Populus Romanus utitur: Populum enim Romanum partim ſuo proprio, partim communi hominum jure uti.* Perinde videlicet atque *omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio partim communi omnium hominum jure utuntur: nam quod quiſque Populus ipſe ſibi jus conſtituit id ipſum proprium civitatis eſſe, vocarique Ius civile, quaſi jus proprium ipſius civitatis.* Porrò *naturalia quidem jura quæ apud omnes gentes peræque obſervantur, divinâ quadam providentiâ conſtituta, ſemper firma atque immutabilia permanere: ea verò, quæ ipſa ſibi quæque civitas conſtituit, ſæpè mutari ſolere, vel tacito conſenſu populi vel alia poſtea lege lata.* Denique quandonam nova lex fieri debeat, id utilitate æſtimandum eſſe: *in rebus enim novis conſtituendis evidentem eſſe utilitatem debere, ut recedatur ab eo jure quod diu æquum viſum.*

Hæc eſt perpetua & conſtans ipſiuſmet Juſtiniani doctrina de Jure ſuo; conſentanea rectæ rationi & Prudentiæ civili gubernandarum rerumpublicarum. Quæ immane quantum diſſidet ab illis inſanis placitis, quæ magiſtrorum nonnulli hodie orbi perſuaſum eunt: Juſtinianeum Ius omne eſſe velut cœlitus datum jus, quo omnes reſpublicæ atque adeò omnes homines debeant regi, idque nullâ unquam factâ mutatione: non obſervari quidem illud plenè paſſim, ſed cum injuria id fieri & contra æquitatem. Quæve ſimilia ſunt umbraticorum aliquot hominum: (hi enim ſoli iſta ſolemnia delirant)

porten-

portentoſa ſomnia. Quamvis verò iſtorum craſſiſſimorum errorum ratio non difficulter pateat omnibus, qui in Republ. & Conſilio de civilibus negotijs probè inſtituendis occupati, ſaltim uſu quotidiano edocentur, ſi aliunde fortaſſis haud acceperint, quàm alienum ſit à gerenda republica, eâque bonis legibus moderandâ, ad ſola Juſtinianea reſpicere, iiſque pro unicâ normâ adoratis, id demum ſalutare arbitrari, quod Juribus illis eſt conveniens; ſolet tamen incautiores id nonnunquam reddere aliquantulùm ambiguos; ſi Jus Juſtinianeum eſt uni populo Romano, qualis ille fuit tempore conditi iſtius Juris, commodum, quî ergo fiat, ut illud tantùm non in univerſa Europa ſit receptum, quaſi in communem omnium tot populorum legem, qui tamen reipublicæ forma multùm diſſident. At verò obſervandum eſt, Jus illud Juſtinianeum non ſolùm civilia ſed etiam naturalia & gentium jura comprehendere; quæ communis eſt ratio omnis legum corporis, quo aliqua civitas utitur. Eam porro eſſe omnium civitatum naturam, ut ſalvo ſtatu ſuo multa queant habere communia, etiam civilia inſtituta, præſertim ſi non aſpirent ad accuratam felicitatis civilis poſſeſſionem. Cum Monarchico denique ſtatu omni Imperium Romanum illud vetus maximè convenire; ac proinde, cum Leges illæ Juſtiniani idoneæ fuerint Imperio Romano, ſaltim plurimas earum locum aliquem in ſimilibus Monarchijs poſſe invenire. Sed & nuſquam terrarum plenè Jus illud receptum eſt. Nec recipi poteſt; præſertim ſi publicum Jus ſpectes. Privati Juris non niſi illa paſſim obtinent, quæ communia vel ſunt omnium hominum, vel eſſe poſſunt rerumpubl. illarum, quæ perfectionem ſummam ſuæ formæ curant negligentius, aut certe quæ populi ſubditi rationem non adeò accuratè habentes, permittunt illum quidem vivere ſecundùm leges dominatui idoneas, modo alijs legibus ſit cautum illis quos penes eſt ſumma rei-

publicæ poteſtas. Si quippe etiam illi velint privatum illud Ius Iuſtinianeum inter ſeſe obſervare, brevi tota eorum reſpubl. mutaretur. In Monarchias recipi juris illius plura poſſunt, propter ſimilitudinem quam habent magis minuſve cum Imperio iſto Romano vetere. Certè ſalutem & conſervationem ſtatus ſui non Romano Iuri, ſed proprijs moribus & conſtitutionibus, debent Reſpublicæ quæque ævi noſtri: abs quibus ſi eſſet, dudum cum Romano illo Iure interiiſſent. Hinc multæ ſatis Reſpublicæ cùm incautius Romanorum illorum juſto plura admiſiſſent, magnam priſtini ſtatus jacturam fecere. Quod uſu experti prudentiores, hodie paſſim locorum, ſenſim Romanis illis rejectis, res ſuas proprijs ſtatutis in tuto collocant.

Sed (hem!) quantum me detinet illa nonnullorum ſuperſtitioſa Romani Juris veneratio! Fortaſſis autem haud abs re fuit, nonnihil prolixius (cum rationibus multis abſtinere ipſum noſtrum hoc inſtitutum jubeat) ſaltim propria Romanorum prudentum Cæſarumque ac ſpontanea confeſſione, oſtendere, quàm ſuperſtitio illa non ſit conſentanea ipſimet Romanorum menti; imò quàm illa vehementer iſti adverſetur. Præſertim cum ſpeciem normæ omnium legum Romano Juri falsò affingens, veram genuinamque legum in uſum civilem cenſendi arbitrandique ſcientiam, quantum in ſe eſt, propellat, ſummo cum rerumpublicarum detrimento. Nec verò fas eſt, ut ad tam peſtilentes errores boni atque intelligentes conniveant, offenſæ metu potentis factionis.

Ut redeamus autem in viam; eſſe aliquam ſcientiam, qua liceat examinare leges quaſque, utiles ne ſint rebuſpublicis an non ſint, hoc quidem jam palàm eſt: ut &, fruſtra illam ab aliquâ Romani juris peritia exſpectari. Non difficile verò etiam hoc definitu eſt: non aliam illam eſſe, quàm quæ omnibus in univerſum rebuſpublicis leges ſalutares condere, & noxias

novit

novit rejicere. Enimverò primaria omnium legum cenſura occupatur in earum ad formam quamvis reipublicæ ſive publicum ſtatum expenſione. Utpote quum *prima* legis cujusque civilis dos ſit, ſtatui civitatis ſuæ utilem, *altera* illi non inutilem eſſe, etſi ad alias aliquas neceſſitates civitatis proxime reſpiciat. Juſtè igitur probeque legem ut examines, neceſſum eſt, naturam ante omnia teneas illius formæ aut illius ſtatus reipubl. ad quam examen eſt inſtituendum. Ac proinde, ut ad quamlibet formam queas oblatam quamque legem arbitrari, oportet inſtructus ſis omnis generis rerumpublicarum accuratâ notitiâ; quæ leges ſcilicet, qui mores, quæ inſtituta, cuilibet formæ conveniant, quæ noceant atque adverſentur. Eſt autem hoc illius utique facultatis quam Græci olim Νομοθετικὴν appellavere. Nec verò quæ altera ſcientia commoda & incommoda latæ legis dijudicaverit, quàm illa quæ leges ſuas cuique rerumpublicarum generi condere atque diſpenſare idonea eſt: qualem ſeſe νομοθετικὴ profitetur. Et verò hæc demum ſimpliciter & κατ' ἐξοχὴν JURISPRUDENTIA nuncupari meretur. Quippe quum omnis alia ſingularis civilis juris cognitio, non niſi vel Romani, vel Germanici, ac ſimilis alterius ſit juris; atque adeò ſemper, nonniſi cum aliquâ adjecta nota ſingularis alicujus civitatis, Prudentia juris meritò dicenda veniat. Sola vero Legislatoria hæc, citra omnem exceptionem ac ſimpliciter, Prudentiam abſolvat juris in univerſum omnis; quale ſcilicet in omnis generis civitatibus condi illud & obſervari debeat. Eſt autem & hæc Philoſophiæ Civilis illius, quàm Politicam appellamus, portio, eaque pernobilis. Nec enim Leges ſalubres condere, aut à noxijs diſcernere eſt, niſi ejus ſcientiæ, quæ in univerſum tenet omnia rerumpublicarum diſcrimina, quidque earum quamvis ſervare, quid mutare & corrumpere poſſit: quod omne curæ eſt uni Politicæ Prudentiæ. Etſi enim ſolis Legi-

bus Politica aſſequi nequeat rerumpublicarum ſalutem, imò interdum ex uſu ſit à legibus abſtinere; quoniam tamen leges rectæ & ſalubres optimum ſunt ac frequentiſſimum tutandæ reipublicæ omnis remedium, itaque non niſi portio quidem eſt Politices ἡ Νομοθετική, eximia tamen & uſus maximi. Et verò quicquid in Politica doctrina demonſtratur utile eſſe alicui rerumpublicarum ſpeciei, (variæ autem ſunt & multæ ſpecies) id omne in legem tranſit, ſi opus ſit & res ferat. Perinde nimirum atque in Matemathicis ex Theoremate atque Problemate facili negotio ſit Canon, qui inſtar habet civilis legis. Quandonam opus ſit autem in leges ejuſmodi ſcita recipere, ut & in univerſum, quæ leges, quo tempore, quâ circumſpectione, quo modo, condendæ corrigendæ abrogandæ ſint, atque adeò omne νομοθεσίας negotium, unicè itidem pertinet ad curam Politices ſive Civiles Philæſophiæ.

Utinam verò, quemadmodum hæc omnia ſpectant ad Politicam doctrinam, ita ab ijs, qui magiſtri audiunt nobiliſſimæ ſcientiæ, exactè pleneque ſint tradita! At verò & in veterum pariter & recentiorum ſcriptis haud parum ſupereſt quod deſideremus. Princeps omnium apud Græcos *Plato* de juris & legum veris principijs haud pauca diſſeruit, cumprimis in opere de Republica. Docuit itidem præclara multa de legibus & inſtitutis illis, quæ ex ſua ſententia ſint obſervanda in republica, cum eâ quam optando quaſi finxit, tum alterâ quam exiſtimavit minore difficultate poſſe in uſum transferri. At vero omnis illa de legum principijs diſputatio in eo unicè occupata eſt, ut refelleret peſtilentem errorem, qui jam tum animos hominum cœperat inficere: quaſi jus omne ex ſola hominum libidine & arbitrio ſuſpenſum, nihil verò ejus ſtabile & à naturâ ipsâ profectum ſit. Leges ipſas porrò ſuas & inſtituta adeò laudata, ſoli optimæ reipublicæ ipſemet Plato convenire arbitratus eſt. Longe plura & alia tamen

men exiguntur ad id, ut fias ferendarum legum peritus, & quidem non in civitate duntaxat optima, quæ vel nunquam vel rariſſime reperitur, ſed omninò in quavis. Ne nunc dicam, quam illa Platonica inſtituta à vero & recto in quammultis aberrent. *Ariſtotelis* Politica doctrina longè quidem eſt ad uſum commodior, manca tamen vitio ævi & mutila, pluſquam tertiâ & nobiliſſimâ ſui parte. Itaque de ijs quæ ad ſtatum publicum omnis generis rerumpublicarum ſpectant, ſaltim potiſſima (nec enim dixerim omnia, imò vix pleraque) ſic ſatis feliciter atque exactè tradita invenias in Ariſtotelico opere. Ut facile ſit, ijs quæ ibi ſunt demonſtrata legum aliquam formam indere, atque ad illorum normam omnium rerumpublicarum jura publica ſaltim potiſſima examinare. Ipſam tamen νομοθεσίας (quid nempe in legum latione ſit obſervandum, ut & quænam privatim debeant in optima, aut non malè ordinata, civitate inſtituta teneri) in illo quidem opere, quale hodie ſuperat, fruſtra quæſieris. Quamvis ego haud dubitem, ſaltim horum pleraque virum ſummum eſſe perſecutum in ijs libris qui interciderunt; quum videam & in Ethicis, & in Rhetoricis quoque, præclara multa quæ huc faciant, eum docuiſſe. Præter verò hoſce duumviros nemo ex omni Græcorum numero reliquus eſt, qui vel manum huic negotio admoverit. Latinos inter ſcriptores veteres neſcio an quis præter unum *Tullium* aliquid hoc in argumento fuerit conatus: etſi nuſquam gentium plures legum peritia inclaruerint. Enimverò quotquot Prudentum juris nomen inter illos ſunt aſſequuti, videas ferè in eo ingenium ſuum exercuiſſe, ut jura unius Romani populi interpretarentur ad uſum forenſem. Quod quidem præclarum & in illa republica fuit utiliſſimum: à vera tamen juris legumque Philoſophia toto, quod ajunt, cœlo remotum eſſe, ex ijs quæ ante attulimus jam palam eſt. Altius legum naturam docere exorſus eſt,

Tullius: nec diſſimulavit quas credidit fore maxime commodas. Verùm potiſſima pars nobiliſſimi voluminis, quo argumentum hoc perſequutus eſt, periit; ita ut non niſi de paucis, quid ex ſententia Tullij ſit conſtituendum, appareat. Interiit quoque ejuſdem Tullij opus de Republica, quo indubie doctrina hæc itidem fuit illuſtrata. Ad hoc omnia à Tullio adducta ad uſum unius optimæ reipublicæ ſpectant: de ipſa verò legumlatione habent nihil. Eoque nec ab illo diſertiſſimo viro multum adjumenti eſt quod Νομοθετικῆς diſcipulus exſpectet. Poſt Tullium verò nemo Latinorum ſcriptorum, nemo Arabicorum (qui ſoli tamen aliquot ſeculis ſtudia ſapientiæ æmulati ſunt) ultra mille trecentos annos Civilem Philoſophiam excoluit quamvis veſtigijs veterum inhærens: tantùm abeſt ut eorum quiſquam ipſam νομοθεσίαν, de qua veterum quoque monumenta plerumque ſilent, illuſtraverit. Ex eo tempore, ab eximijs quibuſdam viris, quorum alij, in Theologorum, alij Juriſconſultorum, alij in Philoſophorum claſſibus, locum atque nomen conſecuti ſunt, quæ huc pertinent majore ſolito cura ſunt diſputata, quæ merito laudes: ſi tamen dicendum quod res eſt, non niſi obiter ſparſimque hæc acta, & plæriſque νομοθεσίας partibus neglectis.

Princeps (quod equidem ſciam) imò unus, utiliſſimum hunc civilis Philoſophiæ locum ſeriò & data opera aggreſſus eſt V. C. *Joachimus Hopperus*, magno, omnique doctrina veterum Philoſophorum pariter ac Juriſconſultorum, ut & pietate morumque inſigni gravitate, plane imbuto animo. Etenim juvenis jam tum, quando in Lovanienſi Academia Romani juris diſciplinam Anteceſſor doceret, non dubitavit de Juris Arte tres libros publicare: in quorum primo νομοθεσίας artem ipſam pro ætatis captu non infeliciter tradidit; duobus reliquis Romano Iure in concinniorem methodum redacto; quæ itidem opera Ars Iuris meruit vocari, plane diverſo li-

cet à priore ſignificatu. Aſſeſſor deinde factus judicij Mechlinienſis, quod florentiſſimarum ampliſſimarumque ſeptendecim Belgico-Germaniæ provinciarum erat ea tempeſtate ſummum; imò & in Senatum cooptatus, qui & Bruxellis & in Hiſpaniâ res univerſi illius Belgici imperij tum moderabatur, non fori non reipubl. negotijs, à curâ illuſtrandæ *νομοθεσίας* abripi ſe paſſus eſt. Imo tot inter moleſtias atque occupationes elaboravit integros duodecim libros, de Vera Iuriſprudentia inſcriptos, quorum primi quatuor in *νομοθεσίας* ſcientiâ expediendâ toti occupati ſunt: quod opus tamen ab ejus morte demum filij duo ſuperſtites publicaverunt. Inde etiam Iſagogen conſcripſit in Veram Iuriſprudentiam, quaſi epitomen modo laudati voluminis, Cardinali Granvellano veteri amico, tum forte ex Neapolitano regno, cui annos aliquot munere Proregio præfuerat, in aulam à Philippo Rege accito, Mantuæ Carpetanorum, anno ſeculi ſuperioris quarto poſt ſeptuageſimum conſecratam: quæ ſerius licet confecta priore tamen citius vidit lucem. Etiam hujus videlicet Iſagoges, prioribus quidem quatuor libris paratitla juris civilis Romani docuit; poſteriores tamen libros totidem voluit eſſe Elementa juris, ſive de Principijs juſti & injuſti. Et vero hæc ſunt illa Elementa, quæ in duos libellos ejuſdem nominis non multò pòſt contraxit M. Antonius Delrio: non ineleganter quidem, improbè tamen diſſimulato Hopperi nomine. Adhuc majus uberiuſque ejuſdem argumenti opus, quantum videtur, ſi non confecit ſaltim meditatus fuit idem Hopperus; cujusque non niſi compendium debuit eſſe Seduardus; ſive illud de Vera juriſprudentia ſcriptum. Id ſane ſignificatur ſtatim initio Seduardi hiſce verbis: *Præter illud majorum vigiliarum opus, quo totam rem omnibus ſuis partibus ac membris deſcriptam eſſe ajunt, ſic ut non modo bene fundatam verum etiam penitus exſtructam diſciplinam contineat, quod-*

dam aliud minus ſcriptum eſſe intelligimus, Regi noſtro optimo maximo dedicatum, (innuitur autem Seduardus) *quo quaſi per epitomen ſumma ejus capita unum in locum coacta tanquam in tabula quadam adumbrantur, & ſub unum conſpectum per breves ac dilucidas partitiones ſubjiciuntur.* Fine operis etiam ita in ſcenam quaſi adducitur Hopperus, tamquam aggreſſurus uberrimæ illius doctrinæ planiſſimam quandam tractationem. Hactenus nimirum *non niſi ſcaturigines ab adoleſcentibus tractatas, at rem eſſe longè præclariſſimam, & quaſi fontem quendam perennem, unde omnis omnino Philoſophia, & quæ inde dependet ſcientia civilis deducitur; quem ſit neceſſarium cognoſcere, ut verum ipſum principum teneatur.* Faciunt huc etiam illa verba, quibus libro quarto titulo quinto Seduardi clauditur doctrina Nomothetica illuc uſque tradita. *Atq; hoc quidem modo Deo adjuvante concluſa nobis ſint, quæ de ea univerſalis Jurisprudentiæ parte dicere habuimus, quam Nomotheticen vocavimus, & vere regiam ac Politicam artem eſſe diximus. Cujus quidem ſumma capita hic breviter ſtrictimq; tacta; in majoribus autem patris commentariis, quos diximus, ſingula ſingulis capitibus ac pene libris explicantur.* Et vero videtur, illo opere ſimul juris Romani, cujus ſola ferè paratitla prius dederat, politicam interpretationem fuiſſe adjunctam, aut vero jus publicum privatumque, quale illud vel optimæ reipubl. vel alijs ſpeciebus convenit, fuiſſe traditum. Sed illud quidem volumen confectum ſit nec ne, incertum eſt. Affectum duntaxat fuiſſe, credere me facit, quod Epitomen illam Veræ jurisprudentiæ biennio ante obitum ediderit denique, & ipſe præmatura morte defunctus fuerit, nec à filijs memoriam ejus viderim factam in proœmijs Seduardo præmiſſis. Igitur cum libri de Arte juris juvenile multum ſapiant, illa Epitome autem plæraque Seduardi non tangat, Seduardum ipſum inter omnia Hopperiana

riana hujus argumenti uberrimum eſſe & pleniſſimum palam eſt.

Scriptus autem ille eſt & compoſitus plane ad morem veterem Platoni uſitatum; ficto nimirum dramate, & colloquio inter filios Hopperi habito, eo quaſi tempore, cum Cardinalis Granvellanus, moderator tum conſiliorum regendi Belgii Margaritæ Parmenſis, unà cum Præſide Concilij illius ſanctioris Viglio Zuichemo, viro doctrina virtute & dexteritate agendarum rerum ſummo, & Hoppero ejuſdem Concilij ſenatore, utroque Friſio, reipubl. cauſa in Friſia diverſarentur: circa annum ſuperioris ſeculi ſexageſimum præter propter, ſi quid veri ineſt fabulæ. Enimvero illa quæ libri ſeptimi titulo octavo decimo de Hoppero memorantur, in aula Hiſpanica Philippi jam verſante, ibique conſilij ſtatus & magni ſigilli regij præſide, imprudenti videntur excidiſſe, nec ſatis memori qualem initiò perſonam ſuſcepiſſet. Et vero ita ficta hic omnia ſunt, quaſi colloquium illud habitum ſit, dum inter Snecam & Staveram (eximia duo oppida illius Friſiæ, quæ Flevo maris ſinu & Lavica amne intercepta Occidentalis Friſia audit, atque hodie libera republica partem nobilem fœderis ſeptem BelgicoGermanicæ præpotentium provinciarum conſtituit) navigio (qui mos eſt regionis) filij quatuor Hopperi adoleſcentes cum amicis veherentur. Partes ſanè colloquendi ita ſunt diſtributæ, ut Seduardo primogenito interroganti de Nomotheſia, ſive juris & legum condendarum ſcientia, per integros libros quatuor fratrum alter Gregorius; per totidem libros de Jure publico Juſtinianeo quærenti Gregorio Tydemannus, fratrum tertius; & denique per ultimos libros quatuor ad interrogata Tydemanni de privato jure Juſtinianeo reſpondeat fratrum minimus Cajus Antonius. Unum tamen commune omnibus libris duodecim inditum eſt ab autore nomen SEDU-

ARDUS: in memoriam, quantum ſuſpicor, dilectiſſimi filij ſed cum opus fuit confectum jam defuncti Seduardi. Fuit ſcilicet φιλόπατρις Hopperus, more pene communi populi Friſici, certe optimorum atq; germanorum quorumque gentis civium, & ſtudioſus ſuæ domus amicorumque: quod fere ſolet eſſe ingenium hominum probæ & erectæ indolis, ac bono & libero genere natorum. Nec vero aliam dederis cauſam, quare illum in modum hoc (ut ita dicam) drama adornaverit; aut quare & Themidem ſuam Hyperboream & Ferdinandum effinxerit, unice habita ratione patriæ & gentilium, aut cur denique molitus aliquando ſit de civili facultate tractare, in Commentarijs de Antiqua Friſiorum republicâ, quorum ſpem facit initio operis de juris Arte. Qua omni in re ita ſeſe ad ritus moremque Pythagoricæ ac Platonicæ Scholæ compoſuit, ut poſt Tullium temere neminem dixeris ad diſciplinam illam antiquam propius acceſſiſſe; ſive gravitatem ſententiarum videas, ſive in ſapientibus fabulis & colloquijs mira ſuavitate effingendis eximiam felicitatem. Nec verò facile eſt imitari illam Platonicam per dialogos philoſophandi rationem, niſi ad poëſin dramaticam fueris idoneus. Ideoque territum iſthac difficultate Ariſtotelem, ne ſuccumberet rei quam aſſequi non poſſet, αὐτοπροσώπως philoſophatum eſſe, haud pauci veterum affirmare non dubitaverunt: quamvis mihi fiat veriſimile, ſtudiò Ariſtotelem à dialogo abſtinuiſſe, quod ſcientijs per demonſtrationem tradendis moleſtus potius dialogus quam utilis ipſi viſus ſit. Certe multæ artis eſt, probe diſponere colloquij omnia. Ex ipſis veteribus ſane præter Platonem, Tullium, Lucianum, & Boethium, vix quiſquam id auſus fuit: nec recentiorum quenquam hinc temere laudes, præter Deſiderium Eraſmum, qui Lucianum proxime expreſſit, ut & Hieronymum Fracaſtorium atque hunc Hopperum noſtrum, qui duo adſe-

riam

riam Philoſophiæ tractationem dialogo miniſtro uti ſunt auſi.

Verum laus ſcribendi facultate parta minima eſt earum quas Seduardus Hopperianus promeritus eſt. Virtus operis potiſſima in primis quatuor libris collocatur: qui Νομοθεσίας ſive Juris & legum condendarum ſcientiam comprehendunt. Nec verò elegantius quid temerè dederis, ſive de illo diſcrimine juriſprudentiæ Veræ Vulgaris & Aſſimulatæ, ſive de ipſa Legislatoria ac Judiciaria. Adeo exquiſita certe & ſubtilis partitio omnium ubivis eſt obſervata, ut penè modum dixeris acumen & diligentiam exceſſiſſe; facillimo certe negotio in tabulas memoriæ causâ queant omnia referri. Non enim duntaxat in juris poſitivi civilis, verum & ipſa honeſti aut juris naturalis prima principia ſummo ſtudio inquiſivit: quum tamen hæc poſterior cura non tam ad Politicum propriè ſic dictum, quam ad Moralem Philoſophum pertineat. Pari autem induſtria docuit etiam illa quæ ad uſum (ut ita loquar) ferendarum legum, ſive πρᾶξιν Νομοθετικὴν attinent: imo & δικαστικῆς omnia eſt perſecutus. Ut vere admirabile ſit opus atque ſine omni exemplo; ſive veteris ævi ſive noſtri monumenta placeat adducere in contentionem. Non equidem ego dixerim omnia omnibus numeris perfecta. Eſt ſane ubi abundare, eſt & ubi deeſſe ſic multa ſatis, quin etiam eſt ubi quædam minus bene tradita eſſe, mihimetipſi videatur. Sed impium fuerit, detrahere ſuam laudem ſcripto pulcerrimo ob paucos nævos.

Imo opere in magno fas eſt obrepere ſomnum

Quam maxime ſane ego id doleo, quod in Ariſtotelis Civili philoſophia minus quam in Platonica Hopperus ſeſe exercuerit: ac proinde multa docuerit vocabulis à Scholarum noſtrarum Peripatetica conſvetudine remotioribus, ut & minus plenè tradiderit νομοθεσίας illa diſcrimina quæ à multiplice rerumpublicarum diverſitate ſuſpenſa ſunt. Haud vulga-

rem tamen laudem merentur & reliqui octo libri Hopperiani Seduardi, quibus Juſtinianeum jus complexus eſt: quamvis ultra illam formam, quam paratitlis ineſſe Imperator ipſe voluit, & Græculus ille exhibuit cujus Paratitla priorum trium Codicis librorum edidit Leonclavius, haud aſſurgant. Hoc etiam huic doctrinæ unicum eſt, quod cumprimis jus omne publicum Juſtinianeum exquiſitâ methodo in ordinem quatuor integris libris coëgerit. Nec ſanè à quoquam alio id factum eſt; imo ſolet jus illud publicum Juſtinianeum à pleriſque hodie contemni & negligi, tanquam nulli amplius ſit uſui, quum tamen etſi auctoritatem legis paſſim terrarum amiſerit, queat nihilominus ſalubria conſilia multa ſuggerere cum alijs rebuſpublicis tum præcipuè monarchicis. Certe ad plenam juris, totiuſque adeo regiminis, Juſtinianei intelligentiam Hopperiana hæc publici juris delineatio plurimum valet adjumenti adferre. Minus potuit ſuam, qua valuit, methodi vim Hopperus in Privato jure Juſtinianeo exhibendo oſtendere; itidem tamen quoad licuit ordinem ab ipſomet obſervatum Triboniano præclare propoſuit. Nec inelegantia profectò ſunt opuſcula Seduardo addita; utpote quæ ſapiant veterum Pythagoricam ſapientiam: ut fuit Hopperus plane compoſitus ad antiquæ & gravis illius philoſophiæ habitum. In Themide ſane Hyperborea, quæ Tabula narratur, ficta plane eſt prudente curâ ad exemplum ejus quæ adſcribitur Cebeti Thebano, etſi deſcriptio ſive enarratio Tabulæ illius multò ſit recentior & auctoris incerti.

Cæterum in omni tamen illo opere etſi cuncta ſint eximia, afficit me potiſſimum illa juris & condendarum Legum Scientia: tamquam univerſi operis pars præclariſſima & doctrina à me alibi hactenus fruſtra quæſita. Enimvero cum in libro de Civili Prudentia, illud quod inter Politicam & Iuris

Iuris eſt prudentiam diſcrimen oſtenſurus, jam multa pridem de varia juris peritia veraq; ejus germanaq; prudentia diſſeruiſſem, id maxime indolui, neminem à me inventum qui docuiſſet paria: itaq; quarto abhinc anno forte fortuna oblato ab amico juvene opere hoc Hopperiano, inq; eo repertâ quadantenus meâ iſthac doctrina, velut de fido ſodali deprehenſo mirifice ſum delectatus. Qui amor cum lectione diligentiore (requirit enim Hopperianum omne opus, ſi quod aliud, lectorem attentum, ſedulum, & valentem judicio) magis ac magis exinde crevit uſq; in magnam admirationem. Eoque non dubitavi ſemel iterum in publico laudare Hopperianam illam juriſprudentiam; utque tanti viri auctoritate defenderentur, quæ de ingenti illo diſcrimine vulgaris cujuſdam peritiæ juris & ſolidæ ejuſdem atque regendæ reipublicæ aptæ prudentiæ docueram, ad illius conſenſum provocavi. Quin imo cum exempla operis fruſtra ab ſeſe peti bibliopolæ noſtri conqueſti, paratos ſe oſtenderant ad ſumptus faciendos in novam editionem, non tantum non diſſuaſi, ſed juvi potius illos conſilio & opera, ad hanc ipſam adornandam. Præſertim, ex quo vidi à malevolo illo & imperito, quem noviſti, adverſario meo vix viſum, certe non lectum aut intellectum, Hopperum, publicato libello contemni. Perinde ſanè atque in quavis aliâ, quæ mihi cum illo homine fuit controverſia, ſenſi omnia ejus maledicta & calumnias (his enim non argumentis ſolet certare) evaneſcere, in medium productis ſententijs quas allatrat: ita & conſpecto Hoppero bonum quemvis doctumque judicaturum confido, hâc etiam in re, ut in omni aliâ, hominem calumniæ manifeſtum imperitiam pertinaciamque ſuam prodidiſſe. Quamquam hoc forte non ſit tanti; & vani hominis voces nullam curam mereantur. Et verò ab hac editione id maximè exſpecto, ut quæ, magno reipublicæ malo, hactenus parum fuit culta, vera & non aſſi-

mulata ferendarum ac Politicâ interpretatione arbitrandarum legum ſcientia, impoſterum juſto ſtudio juſtâque diligentia exerceatur. Quod curare provinciæ illius eſt, quam Sereniſſimi Principes in hac ſua Julia, juxta ordinarium munus quo jam ante fungebar, mihi demandaverunt. Eapropter quoque, præ omnibus Tibi, Magnifice LANGENBECI Hopperum hunc meum (liceat enim illum inter meos referre, quem ex tenebris ac ſitu in lucem reduco & hominum uſum) offero nunc atque conſecro. Quoniam nimirum non vales illa duntaxat vulgari aut ſola etiam forenſi legum notitia (nec enim hæc etiam tibi deeſt) ſed quandoquidem multos jam annos, compluribus non ex Juſtinianeo theſauro, ſed ex intimo prudentiæ Politicæ ſinu, depromptis legibus atque inſtitutis, iiſque Sereniſſimo Principe CHRISTIANO LUDOVICO auſpice, in nobiliſſimæ ampliſſimæque reipublicæ commodum promulgatis, omni orbi Te oſtenderis non minus cautum νομοθέτην, quàm conſilio prudentem ac rebus magnis gerendis parem; haud ſanè Te meliorem majoremque patronum vel ipſa Νομοθετική vel Hopperus meus ſibi optaverit. Enimvero id penè commune eſt omnium, quotquot à fori ſtrepitu paulò remotiores in republica moderanda potiſſimum laborant, ut vel uſu magiſtro edocti intelligant, quàm illi craſſis erroribus agitentur, qui Romani juris ſcientiam ad reipublicæ cujuſvis ſtatum felicitatemque conſervandum ſufficere exiſtimant: illos inter tamen Te, Magnifice LANGENBECI, eminere deprehendi. Idque ideo, quoniam omnis literaturæ elegantioris ac univerſæ Philoſophiæ, cumprimis autem veræ, non autem plebeiæ illius civilis doctrinæ peritiam, ad maximorum difficillimorumque reipublicæ negotiorum longum felicemque uſum adjunxiſti. Igitur quemadmodum haud dubito omnium qui ad reip. alicujus clavum ſedent patrocinium & ipſi Legislatoriæ

latoriæ Philoſophiæ & Hoppero ſperare; ita Tuo præcipuè favore tuâque curâ tuta omnia futura, certò mihi polliceor. Nec, enim id quod potes, veritati laboranti ſcutum adverſus imperitiæ tela denegabis. Notus mihi ſane animus Tuus eſt erectus, & contemptor vulgi vel opinionum vel offenſæ. Imò dudum etiam perſpecta mihi eſt benevolentia, qua me conatuſque meos omnes proſequeris: ut in mei quoque gratiam hanc veritatis cauſam, ſi nihil aliud invitaret, te ſuſcepturum non poſſim non exſpectare. Verum peccem ego graviter, ſi privatæ amicitiæ dari velim, quod ipſi veritati utiliſſimæque doctrinæ & debes & ſponte tua præſtare es paratus. Officia quæ nobis mutuò privatim debemus aliàs exequemur. Quare nec hanc Hopperi in nomen tuum editionem acceperis, tanquam de alieno velim ſolvere partem illius nexus, quo tua me beneficia devinxerunt. De illo alias laborabo, modo par fuero: nunc de Hopperi & legiſlatoriæ prudentiæ patrocinio unice ſum ſollicitus. Deum veneror, magne Amice, ut publico bono diu Te ſoſpitem felicemque tueatur. Ita ſanè bene erit reipubl. & optimis ſtudijs, ſimulque potero ipſemet aliquando mea de Juris principijs ac rectâ legum latione, aliaque ad civilem prudentiam facientia monumenta, ſecurius edere. Helmſtadij in Academia Julia Kal. Sextil. Anno CIↃ IↃC LVI.

LII.

Addita Iſagogæ in lectionem Ariſtotelis Michaëlis Piccarti, editæ Altdorfii 1660.

JOHANNI CONRADO DÜRRIO Philoſopho Altdorfino V. C. S. P. D.

Operam egregiam præſtas, Clariſſime Dürri, Piccartiani illius opuſculi, quo is Iſagogen in Ariſtotelis lectionē exhibuit,

hibuit, novam curans editionem. Excidit enim dudum iſte libellus diſcentium manibus; in quibus verſari debebat noctu diuq;. Eorum certe, qui ad Ariſtotelicæ doctrinæ peritiam adſpirant. Quod ut agant omnes, quibus vera & ſolida ſapientiæ ſtudia cordi ſunt, ſi non neceſſarium, apprimè ſane eſt utile. Scilicet quamvis eorum me hæreſis haud teneat, qui unum Ariſtotelem ſapuiſſe, unum nihil ignoraſſe, unũ nec fallere nec falli, exiſtimant: inter ſapientiæ tamen magiſtros hunc familiam ducere, hunc præ alijs quam multis ſapere, hunc non admodum multa ignorare, hunc raro falli raro fallere, omninò equidem arbitror. Quamvis ijs etiam neutiquam aſſentiar, quibus philoſophari eſt nihil aliud quam rimari Ariſtotelicæ doctrinæ mentem, adeoque ipſa Philoſophia eſt nihil niſi peritia illius, quod Ariſtoteles docuit (reapſe enim quicquid ejus eſt notitiæ, opinio ſive δόξα eſt, ſubnixa auctoritate viri perquam quidem ſapientis, hominis tamen, & à quo humani nihil alienum fuit: quod ipſum procul admodum abeſt & à certitudine pariter & ab ipſarummet rerum ſcientiâ, quæ ſola dignitatem philoſophici nominis aſſequitur) quoniam tamen haud temerè magis quo alio magiſtro, quàm Ariſtotele, licet in ſapientiæ ſtudijs proficere, hunc ante omnes conſulendum, hujuſque ſcita ediſcenda eſſe ſapientiæ cultoribus cenſeo; ut tanto magiſtro inſtructus eò citius & certius ad veritatem & rerum ſcientiam pervenias. Qua in re ſanè haud fortè quemquam habebo diſſentientem, præter eos, qui Ariſtotelicæ doctrinæ ſunt imperiti. Nec verò quenquam ita inſanire crediderim, ut ſpernendos ſibi omnes magiſtros, etſi illi in promptu ſint, opinetur; quamvis haud ignorem, ea nonnullis, præſertim ijs qui pruritu novandi laborant, inſanæ φιλαυτίας incitamenta ore & calamo excidere, quæ in omnis magiſterij aſpernationem tandem recidunt. Cæterum & is

qui

qui Ariſtotelicæ doctrinæ non adeò eſt gnarus, ut mihi illam uſque adeo laudanti queat aſſentiri; ſaltim utique haud negabit, ſi quidem ſapit (nam qui Ariſtotelem vix inſpectum, vel ſaltim non lectum de plano damnant, illos ineptis præjudicijs ac faſtu abreptos, tantum non delirare in propatulo eſt) ingentis adeo exiſtimationis doctrinam non poſſe vel debere contemni: ſed diſcendum eſſe atque explorandum, utrum tantis laudibus nec ne reſpondeat. Sane intereſt veritatis ſtudij, neminis temerè ſapientiam profeſſi ſententias non expendere; quanto minus ejus, qui tot ſeculis infinitorum hominum doctrinæ laude florentium admirationem meruit, qualis eſt Ariſtoteles! Etiam igitur illorum quibus fortè ſuſpecta eſt Ariſtotelis iſthæc paſſim quam obtinet opinio, in officio eſt, ſi veritatem ſeriò amant, Ariſtotelicam doctrinam ſibi cognitam reddere; atque adeò & monumenta ipſius diligenter volvere, ut ex quibus Philoſophiæ iſthæc maximè ſincerè queat peti.

Ad lectionem autem ſicut aliorum ſcriptorum, ita & Ariſtotelis, cumprimis opus eſt manuductione alicujus, jam tum in lectione illa verſati. Certè ſi quæ talis haberi poſſit, eam arripiendam eſſe, ceu Hermam vialem, manifeſtum eſt. Nec enim cujuſvis eſt operæ facere pretium in lectione ignoti plane ſcriptoris; præſertim ſi ille à plebejâ ſcribendi ratione abeat: quod facit Ariſtoteles. Velut inſaniæ proximum fuerit ducem ſpernere, ut ita loquar, in denſa ſylva & vaſtis campis. Quod ego autem ſciam, hactenus non prodiit exiguus quidem libellus aliquis, qui pari elegantia, pari brevitate, parique dexteritate id præſtiterit hoc Piccartiano. Nec tamen affirmaverim, omnia quæ ſcire æquum eſt eum qui Ariſtotelis lectionem aggreditur, heic pertractata eſſe. Præterquam enim, quod de nonnullis ſcriptis Ariſtotelicis nihil hîc di-

ctum ſit, haud parvo impedimento cedit Ariſtotelicis lecto-ribus, quod de mendis & lacunis, & turbato interdum ordine, quibus vitijs monumenta Ariſtotelis graviter laborant, nihil hîc moneatur. Debuiſſet autem cum in univerſum hoc ipſum moneri, tum ſeorſim oſtendi ſingulorum librorum multiplex fortuna; alij enim mitiore alij inclementiore fato excepti ſunt. Etiam minus recte omiſſum eſt doceri: quænam præ-cognita debeant eſſe lectionem illam aggreſſuris, ſive univerſim ſive ſingulatim magis. Etſi enim quædam peregregiè ſint tacta, tamen haud pauca videntur neglecta, de dictione & methodo tradendi Ariſtotelica: de notitia illorum quorum ſententias Ariſtoteles vel oppugnat vel laudat: de definitionum nominalium prævia cognitione: de hiſtoria poſtremò cujuſque rei, quâ de ἐπιστημονικῶς agitur, ſive naturali ſive humana, eaque aut morali aut civili, præmittenda quoad licet examini cujuſvis Philoſophiæ. In nonnullis præterea non equidem ego Piccarto aſſenſerim. Sane jam tum, eorum quæ ad Politica quidem Ariſtotelis pertinent, ego multa aliter docui in mea Introductione. Non muto tamen ſententiam: cum hoc libello nihil temerè comparari poſſe. In eâ enim opuſculi brevitate potius admirari eſt adeò locupletem Ariſtotelicæ doctrinæ, & quidem non e vulgo petitum, theſaurum. Nec dubito, ſi hodieque ſupereſſet Adraſti Aphrodiſienſis liber Simplicio alijſque interpretibus ſæpe laudatus, quem de ordine librorum Ariſtotelis ille conſcripſit, vel is, quem ejuſdem argumenti jam ante Adraſtum exaraverat Andronicus Rhodius, etſi illi multa forte nos docerent quæ nunc cum damno ignoramus, tamen palmam huic libello ceſſuros. Et vero ſcripſit quidem opuſculum hoc Piccartus adhuc junior; jam tum valebat autem accurato judicio, eratque præclare inſtitutus à Philippo Scherbio; qui

primus

primus omnium in Germania Ariſtotelicam philoſophandi rationem aſſecutus videtur. Imo jam tum verſatus erat cum cura in lectione Græcorum præcipuè Ariſtotelis interpretum, quos & linguæ peritia & uſus ſcriptorum cum ipſius Ariſtotelis tum auctorum Ariſtoteli ætate parium aut vicinorum (quæ monumenta cum perierint, frequentiſſimè jam nos deſtituunt in multis difficultatibus enodandis) præ alijs aptos reddiderunt ad ſenſus Ariſtotelis integrius accipiendos.

Vt ad Epiſtolæ igitur initia redeam, factum laude dignum præſtas profectò Clariſſime Dürri, curata ejus libelli nova editione. Neq; vero non iteratam editionem merentur Piccarti omnia, utilitatis publicæ causâ: uſq; adeo nihil non ejus perquàm eſt eximium & eruditum. Quin exigunt novas editiones numeroſa illa menda, quibus omnia præclari illius viri ſcripta fœde deturpantur. Cura autem hæc ſummo jure ad Te Clariſſime Dürri aliosque Altdorphinæ Academiæ Philoſophos cumprimis pertinet: ut qui veluti in cathedram viri ſucceſſiſtis, ita etiam heredes quaſi doctrinæ facti eſtis: quem igitur præ alijs tenemini omnibus modis fovere pariter & propagare. Quod cum jam tum fecerit ex parte Clariſſimus Felvvingerus, & tu jam facias, mihi quidem nihil ſupereſt, quàm utrique veſtrum hoc nomine gratias uti publicas agam; utque id quod facitis, pergatis facere, etiam atque etiam cohortor. Sed fortaſſe nec cohortatione mea opus eſt tam ſponte currentibus in iſthoc ſtadio; nec actione gratiarum, qui bono publico ultrò atque unicè laboratis. Deum igitur potius obſecro, ut hæc ſtudia & hos conatus veſtros felici eventu ſecundet. Helmeſtadij in Academia Julia Nonis Januarij Anno CIↃ IↃC LX.

LIII. *Addita*

LIII.

Addita Malthæ Burchardi Niderſtedii V. C. editæ Helmeſtadii anno 1660.

Reverend. Illuſtri & Generoſo Domino CHRISTOPHORO CASPARO L. BARONI DE BLUMENTHAL, Sereniſſimo & Potentiſſimo Dn. ELECTORI BRANDENBURGICO à Conſilijs arcanis reipublicæ, Equiti Ordinis Joannitici & Commendatori Supplinburgenſi, Hæreditario Domino in Stabenavv, Diebavv, Teckvvitz, Wittenſeh & Haus-Nevvendorff, &c.

S. P. D.

MUltis nominibus laudem maximam mereris, Illuſtris Baro, edi curans illum librum, quem de Melitæ Inſulæ rebus conſcripſit, tuus & itinerum per Germaniam, Italiam, Siciliam, Melitam ipſam, Hiſpaniam, Galliam, Belgiumque, ſimul & ſtudiorum, non ſocius duntaxat ſed etiam ductor, BURCHARDUS NIDERSTEDIUS, vir eximiæ profectò eruditionis. Oſtendis enim utiq; hoc ipſo ſaltim inſignem pietatem erga benè de te meritum ephorum: quæ rara hodie virtus eſſe ſolet; plæriſque non ingrata oblivione transmittentibus duntaxat, ſed etiam ſuperbè faſtidientibus illos, quos morum vitæque magiſtros nacti juvenes fuerunt. Oſtendis verò non minus, quod editis præſtantibus propriæ fœturæ libellis jam tùm orbi probaveras, præclarum in re literaria judicium; amari ſcilicet abs te non proletarij argumenti aut ineptè condita ſcripta, ſed ea quæ Genium habent, plenaque ſunt doctrinæ elegantis & accuratæ. Et verò talis omninò eſt hic de Melita liber; omnium quos equidem vidi eo in argumento & optimus, & nitidiſſimus, & abſolutiſſimus. Oſtendis denique, te non fortem duntaxat Equitem, ſed & doctum eſſe rerum honoriſq; ſacræ militiæ ac diligentem curatorem: quorum

quorum etſi illud pluribus conveniat, hoc tamen oppido eſt rarum. Meretur autem & virtus & quod ab illo Ordine accipit Chriſtianus orbis beneficium, illuſtrari militiæ illius res quæq;, ſaltim non ignorari illa ἀκρόπολις, unde propugnatur mari mediterraneo adjacens Europa omnis, adverſus barbaram Aſiæ pariter & Africæ tantùm non univerſæ vim, Chriſtiano orbi ſummè detrimentoſam.

Nec verò ea hodie ſacræ veſtræ militiæ quæ olim primarum in Palæſtinam expeditionum, eſt ratio. Quamvis nimirum & illas religio quædam excitaverit, vix tamen abſolveris ab *injuria*, aut ab *impietate*; non ſanè à ſumma *imprudentia*. Infinitam ſcilicet hominum multitudinem non vulgi ſolùm, ſed Regum, Principum omniſque generoſi ſanguinis, imò ferè quicquid tum fortitudinis laudem vel meruit vel affectavit, per ducentos amplius annos, cruenta ſtrage expeditiones iſtæ, enervata propemodum & opibus ſimul exhauſta omni Europa, è medio ſuſtulerunt. Quod non potuit non regnis populiſque omnibus publicè privatimque per eſſe noxium & damnoſum. Nec verò quod ſimul perierit ita quicquid ferè domi erat turbidum, tanti eſt; cùm in promptu ſint prudentibus imperijs ejus quidem coërcendi rationes multò meliores. Nulli ſanè reipublicæ expeditiones iſtæ vel tantillum commodi attulerunt: id quod ſummæ regentium imprudentiæ certū eſt argumentum. Pontificibus tamen Romanis illas utiles tùm fuiſſe, haud negaverim. Nec enim duntaxat Cæſaribus alijſque Regibus, paratis manu tueri adverſus Curiæ inſolitos conatus priſca à majoribus accepta jura, nova hac, propoſito æternæ vitæ præmio, evocatâ militiâ, ſubductum fuit robur validum, ſed etiam ipſimet illi, ſi ferociores viderentur, animis ſuperſtitioſæ pietatis jugo ſubactis, procul ablegati ſunt, vacuum regnum & opportunum Romano dominatui domi relinquentes. Imò quod multò majus eſt, ipſum illud I.

Tt robur

robur univerſæ penè Europæ, velut Regibus & rebuſpublicis fuit ſubductum, ita ſimul in fidem Pontificum tranſiit; incredibili Pontificij regni incremento. Nec enim in Europa ſola, ſed etiam in Aſia & Africa, quocunq; miles ille ſacer vires ſuas extendit, Pontificum majeſtas immane quantum propagata eſt. Verum ut Paparum in expeditionibus illis provocandis laudes fortaſſe calliditatem, eorum tamen quibus publica civilis rei cura incubuit ſupinam imprudentiam nullo colore excuſaveris.

II. Æquè manifeſta verò eſt & injuſtitia iſtorum armorum. Mota quippe illa ſunt à noſtri orbis hominibus in eos, qui nulla nos injuria affecerant. Nec verò ad injuriam noſtram pertinet poſſeſſio locorum, quæ Deus Iſraëlitis ſingulari benignitate conceſſerat quidem in peculium; ſed ſolis illis non autem nobis, nec illis niſi quamdiu viverent ex præſcripto divinitus ſibi datæ legis. Ubi ſcilicet immorigeri & ipſi facti ſunt, jam ſine diſcrimine poſſidentur jure omnia illa à quavis gente, quamvis Pagana, quamvis Mahumedana, modo juſtus adſit titulus; qui etſi illis forte defuerit, Europæis tamen noſtris fas propterea non fuit terras illas ſibi vindicandi. Spiritualium porrò promiſſionum Sanctis Patriarchis divinitus factarum competit quidem Chriſtianis hereditas; jus hæreditarium autem bonorum civiliū Iſraëlitici populi neutiquam illis conceſſum eſt. Nihil denique refert noſtrâ, quod terræ ſanctis pedibus quondam calcatæ ab impuris hodie ambulentur; niſi quod doleamus meritò impietatis vim, quæ divinam indignationem uſque adeò commeruit: cum ubivis terrarum æquè Deo acceptis, & æque propinquis cœlo, eſſe nobis liceat, & omnis plenitudo terræ perinde ſit Domini. Non ferenda porro eſt illa quorundam perſuaſio, quaſi juſta promiſcuè ſint Chriſtianorum arma, in quoſvis à Chriſtiana fide ſive prorſus alienos ſive nonnihil exorbitantes. Non minus profectò

fectò deteſtanda eſt hæc opinio, atque illa ex adverſo Muhammedanorum in alia ſentientes quosvis, aut veterum Græcorum in omnes quos barbaros vocabant; tanquam illi natura eſſent ſervi, prætenſa bellandi licentia.

III. Quàm impia adhuc fuit illa animis militantium penitùs infixa tum credulitas! *in certamine quod contrà infideles geritur quisquis moritur cæleſte regnum meretur*, quamvis in ipſummet Pontificium jus cum tempore ſit receptum; & ſimili illicio adverſum Chriſtianos etiamnum arment militem ſuum Muhammedis aſſeclæ. Eſt ſanè hoc ferè illud, quod olim impius Cæſar Nicephorus Phocas perſvaſum orbi deſideravit; teſtibus Cedreno, Glyca, Curopalate & Zonara; ut videlicet milites bello interfecti pari cum ſanctis martyribus honore colerentur. Quanta præterea promiſcuè (complures enim vere probos excipio) fuerit multitudinis illius ſacræ militiæ profana impietas, quàm fœda vivendi improbitas, ad poſteritatem memoraverunt, qui bella iſta prodiderunt ipſi ſcriptores *σύγχρονοι*; præſertim Auctor *ἀνώνυμος* Chronici quod appellatur Hieroſolymitanum, Guilhelmus Tyrius, Otto Friſingenſis, Conradus Urſpergenſis, Arnoldus Lybecenſis & alij quammulti: ut non moremur nunc Nicephori Gregoræ querelas, ceu hoſtilis Græcorum in noſtros animi ſuſpectas. Quis vel hodie non obſtupeſcat ad impietatem ſaltim illorum, qui capellam & anſerem, tanquam S. Spiritu afflatas, viæ duces coluerunt? fuere autem ducenta millia equitum & peditum. Enimvero ſpiritus aliqua vi occulta fuiſſe tum homines agitatos & ad arma quaſi abreptos, affirmabit, niſi fallor, omnis qui debita attentione res temporum illorum perpenderit. Spiritum ſanè quempiam, peregrinum quem appellitat, expeditionis illius, quæ Conrado III Cæſare facta eſt, arcanum incitatorem agnovit ipſemet Otto Epiſcopus Friſingenſis, magnus itineris iſtius ſocius. Similem agitationem & in Bullio-

Decret. p. 2. cauſ 23. q. 8

Ch. Hieroſ. l. 1. c. 20. & 32.

nia contigiſſe memorarunt Dodechinus, Albertus Stadenſis & alij. Quin & ſeculo duodecimo impetu fanatico in bellum illud raptos pueros, idem Albertus locuples rerum ævi ſui teſtis prodidit. Spiritu igitur quodam homines tum agitatos haud negandum: Spiritus Sancti verò aliquem in his motum rariſſimo ſanè ſi modò ullo indicio agnoveris.

Sed quo prolabor? Hoc volebam, Illuſtris Blumenthali, etſi prima ſacri belli exordia vitijs graviſſimè laboraverint, aliam tamen eſſe hodie rationem Ordinis tui militaris. Et verò nunc intentus ille potius eſt tuendis Chriſtiani orbis finibus à violentia Muhammedanorum; eoque ipſo vincit, quotquot hodie ſuperſunt, ſacræ militiæ Ordines reliquos univerſos. Perge autem, Illuſtris Baro, tua curâ non hunc tantùm Ordinem, ſed etiam iſtum in quem te Sereniſſimi Electoris providentia nuper cooptavit, exornare. Ut nempe fideli & cauto conſilio patriæ rempublicam adminiſtres. Quod ut ſtrenuè facias, incitamento indubie erit tibi, & Patris, & qui generum (quidni enim Eques ſacer Germanicus ſacro matrimonij fœdere copuleris, dudum præeuntibus ſigno ſuo ipſis Luſitanis?) ſibi te jam fortunatis auſpicijs delegit, ſummorum ſanè virorum, longe præclariſſimum exemplum. Ego verò Deum obſecro, ut conſilia tua cedant in felicem patriæ tranquillitatem, & perpetuum emolumentum: ſimulque domi res tibi ex voto fluant ſuccedantque. Helmeſtadij in Academia Julia Anno CIↃ IↃ C LX. Kal. Febr.

LIV.

Addita à Clar. G. Titio ſuæ Caſtigationi Animadverſionum Viti Erbermanni ieſuitæ; Helmeſtadij editæ anno 1660.

Viro perquam Reverendo Clariſſimoque GERHARDO TITIO SS. Theol. D. & Profeſſori, Collegæ compatri & amicó magno

S. P. D.

Cum

CUm forte fortuna in bibliopolio noſtro inter alia, quæ Francofurtenſes nundinæ miſerant, librum quoque Viti Erbermanni Jeſuitæ, illum quem V. C. Johanni Muſæo oppoſuit, explicarem, ſtatim occurrit cum paſſim nomen meum perſtrictum, tum & *Digreſſio* quædam, (ille ridicule *Opportunam* appellavit, cum tamen ab inſtituto longe ſit alieniſſima,) qua Socius iſte vellicare ſtuduit nuperam meam ad Caſſandrum & Wicelium præfationem. Deprehendi denique & Appendicem, qua vult videri doctiſſimam Tuam Oſtenſionem confodere, cum vix leviſſimam ejus partem vel uno verbulo attigerit. Non improbo conſilium Tuum, quod dicto citius arrepto calamo volueris ineptias Animadverſionum illarum in lucem producere: idq; quandoquidē & eorum quorum ſimplicitati atque imperitiæ facile imponitur, habenda in humana vita eſt ratio, à Tuo cumprimis ordine, cui bella Domini quaſi commiſſa ſunt. Quin hac ſolum mente etiam Clariſſimum Muſæum ad reſpondendum appuliſſe jam tum animum, haud dubito. Ut ego tamen cum illo homine, aut cum alijs ejuſdem notæ, in arenam deſcendam, de ijs quæ jam tum diſputata hinc inde ſunt, vix amplius abs me impetro. Video enim nullum me facturum operæ pretium, ſive apud adverſarios, ut quorum ſumma maledicentia, & altercandi libido, & ſuperbia, intolerabilis eſt ac deploratæ ſanitatis; ſive apud alios, qui judicandi facultate haud deſtituti, legere quæ utrinque hactenus agitata ſunt, procul amore procul odio, haud gravantur, quoniam illorum quidem judicio jam tum omnia mea ex forenſi formula audeo ſubmittere. Nec vero opus eſt litigare amplius, jam excuſſis probe omnibus quæ ad rem faciunt: imo intereſt veritatis, non reſpondere omnibus voculis, cum illa nimium altercando ſoleat ſæpenumero vim ſuam auctoritatemque perdere. Non ſane reſpondit, etiam in judicio, ad calumnias omnes Salvator noſter. Idem jam ante Socrates fecerat. Lectu digna eſt bina diſſertatio Maximi

Tyrij de Socratis illo ſilentio: utriuſque autem ea ſumma eſt, quod veritas atque innocentia interdum apud æquos bonosque judices defenſione haud egeat, apud improbos nihil obtineat. Sed & Sophiſtarum illa inepta ars jam olim à ſapientioribus, tanquam indigna homine Philoſopho, exploſa eſt; ex perpetuis vitilitigationibus gloriam in vulgus captare, & triumphos ſibi ſpondere modò ultimi fuerint in clamando; ferè ut proſtrati quidam luctatores, ſi morſu calcem petierint robuſti victoris. Bene de illius ingenij hominibus S. Auguſtinus l. 2. de Civit. Dei: *Qui vel non poſſunt intelligere quid dicitur, vel tam duri ſunt adverſitate mentis, ut etiamſi intellexerint non obediant: reſpondent (ut ſcriptum eſt) & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties velimus refellere, quoties obnixa fronte ſtatuerunt non curare quid dicant, dum quocunque modo noſtris diſputationibus contradicant, quàm ſit ærumnoſum & infructuoſum vides.*

Quæ ſane in Concuſſione Fundamentorum Fidei Pontificiæ diſputavi, in medio ſunt. Conſtant illa paucis plagulis: propoſita ſunt perſpicuè, obſervatâ ipſa mathematicâ docendi ratione; qua nulla eſt brevior, nulla apertior, & veritati arbitrandæ magis idonea: denique ad principia nobiſcum nata omnis controverſia expenſa eſt. Nihil hic difficile, nihil tædioſum, nihil obſcurum occurrit. Aut principia, aut deductiones ex principijs, aut ipſa diſputandi ratio laborent, neceſſum eſt; ſi diſputatio mea mendoſa eſt. Quid in officio fuerit ex adverſo eorum qui impugnanda ſibi ſumpſerunt mea, ignorat nemo qui Logicæ atque Artis Diſputatoriæ (veræ quidem non autem Novarum quas nunc maleferiati nonnulli confingunt) paulò peritior eſt. Officium illud num tresviri illi mei, bini inquam illi Jeſuitæ Haunoldus & Erbermannus, ut & Capuccinus Valerianus (quartum enim piget memorare) præſtiterint, aut num à me obſervata ſit recta diſputandi ratio;

ratio; ſubmitto judicio omnium Logicorum, qui vetera ſapiunt. Num principia abs me adducta firma ſint ac ſolida, an autem ab hoſtibus iſtis ſubverſa: num deductiones poſtremò meæ rectè proceſſerint, aut illæ etiam elumbatæ ſint ab iſtis triumviris: permitto judicium itidem omnibus, qui ſapiunt mente haud infecta partium ſtudio; permiſſurus cuivis etiam extra Chriſtianum nomen verſanti, ſi quis talis præſto fuerit. Jure an injuria ad aliena ab diſputatione inſtitutâ, Haunoldus, cumprimis autem Erbermannus, niſi me ſint ſeducere; iidem omnes judicent. Fateor quidem, ſemel iterum, invitum licet, abiripi etiam me paſſum eſſe (ut ſolemus *in vitium vitio flecti alieno*, ceu olim loquebatur S. Hilarius) ut ſequerer vocantes: An non vero conſultius ſit abrumpere intempeſtivas illas concertationes, quàm fovere ulterius, quorum prius mihi præplacet, aliorum arbitrio non minus permitto. Mihi ſane illa ideo nunc ſunt inviſa; quoniam ſi alam illas, Concuſſioni meæ videor eo ipſo robur ſuum dubium reddere: quod ne fiat, intereſt veritatis. Num tamen etiam in alienis illis vel ego vel adverſarij hactenus vicerint, intelligentium æquo judicio lubens ſubmitto. Judicent iidem, num operæ poſſit eſſe pretium aliquod, teſtimonijs Eccleſiaſticæ antiquitatis cum illis certare, qui auſi ſunt falſare S. Baſilij verba, & aliorum Patrum nominibus jactare quæ nuſquam reperiuntur; id vero convicti feciſſe, non erubeſcunt excuſare facinus exemplo Becani, Jodoci Coccij & aliorum, qui idem crimen commiſerint, (hoc autem fecit utique Haunoldus:) aut qui adeo monumentorum illorum ſunt rudes, ut verba Innocentij primi Papæ pro S. Auguſtini dictis venditare, eaque ex cap. 93 Auguſtini citare non dubitant (fecit autem hoc Magnus Capuccinus:) aut qui pro Vicedeatus Papalis potentiſſimo omnium teſtimonio jactitant quædam nomine Auguſtini, quæ ſunt Innocentij I Papæ, vel incerti potius auctoris,

ris, alia nomine Hieronymi quæ ſunt Pelagij hæreſiarchæ, nonnulla porro Gregorij Nazianzeni & Auguſtini, ſed vi detorta in alienum ſenſum (quorum omnium à me convictus fuit ipſe ferociſſimus Vitus Erbermannus:) aut deniq; illi qui adeo ſunt rudes priſcæ lectionis, ut negent hactenus Papas uſpiam dictos vicarios S. Petri; quod non erubuit aſſerere Haunoldus. Judicent poſtremò iidem arbitri, num debeam contendere porro cum hominibus ad ſcurrilitatem uſque maledicis, & calami petulantiſſimi: quales utique ſeſe mihi præbuerunt Jeſuitæ præprimis illi duo, etſi Chriſtophorus prima vice mitior viſus ſit, & in ſecundo demum libello, ad Viti exemplum, ſcurrilia in me maledicta plurima ſparſerit. Hæc ſane & alia nonnulla me à litigijs, cum illius notæ hominibus, de ijs quæ in Concuſſione diſputavi quidem, efficiunt plane abhorrentem.

Par vero ratio eſt & illorum quæ allatravit (quidni enim ita loquar de more hominis canino?) Erbermannus ad Hiſtoriam Electionum Papalium pertinentia. Equidem nullum & heic video pretium operæ me facturum, ſi cum illo pergam contendere. Num Hiſtoria Alexandrinæ Electionis abs me edita ideo fidem non mereatur, quia hoc dixerit Jeſuitarum unus alterque, & quidem unus quorum negat iſthæc ita contigiſſe & ſimul fatetur, nihil certi de ijs quæ in Conclavi aguntur haberi poſſe; cum ex adverſo illa Hiſtoria Romæ in ipſo Conclavi ſit conſcripta, & conveniat cum ijs quæ publica fama per univerſam Europam diſtulit, quæq; referuntur in pleniore illa Hiſtoria quam Generoſus Domin. Moltkenius publicavit: non eſt difficile judicatu. Et qui velit comparare mea reliqua cum Erbermannianis facillime perſpexerit, quàm pauca vel auſus fuerit Erbermannus, utut ferociat, vellicare, & quam infeliciter etiam iſthæc egerit.

Ut tibi quidem igitur, Clariſſime Collega, non deeſt quod

ad ſcribendum impellit; ita longe plura me à ſcribendo, ſaltim de ijs quæ jam tum venere in contentionem, reddunt plane alienum. Eoq; permultū ſane dubito adhuc, num aliquando bonas horas velim perdere, & denuo ſaltim petulantibus illis Viti chartis, quas Examini objecit, quidquam reponere.

Qualia vero & illa ſunt quibus nunc admordit Præfationem meam! Me præfatum libellis *quos alter Auctorum moriturus deteſtatus eſt, alter pro ſuo fœtu non agnovit.* At vero Caſſandrum morti jam proximum ſuam Conſultationem deteſtatum eſſe, figmenti manifeſtum à me jam tum factum eſt altera ad Lectorem præfatione. Wicelium autem Viam Regiam non agnoviſſe, jamdudum prima editione confutavi, idque Vitum monui in Examine §. 70. Ut tandem deſinat Socius iſtarum nugarum, ſi poteſt deſinere, quæſo, ubi commodum fuerit, porrige homini Epiſtolam illam ipſiuſmet Wicelij ad Caſſandrum, quæ continetur Centuria prima Epiſtolarum Illuſtrium Belgarum & ad Belgas, loco quinquageſimo quinto. Quamvis enim bilem indubie illa ſit concitura in nares iracundi illius & ferocientis Socij, fortaſſis etiam effectura, ut bonus Wicelius, cui hactenus omnes Indices Expurgatorij (neſcio qua fati benignitate) pepercerunt, curantibus Socijs, quæ in aula Alexandri eorum hodie eſt auctoritas, in hæreticorum claſſem brevi referatur: potior tamen habenda eſt ratio veritatis, quam offenſæ vel ſuperciliosorum aliquot Sociorum vel ipſiuſmet Alexandri. Epiſtola autem hunc in modum ſeſe habet. *Clariſſimo Viro D. Georgio Caſſandro Theologo, apud Clevenſes moranti, Dom. fratrique ſuo chariſſ. in Chriſto Servatore noſtro.* S. P. *Clariſſime Georgi. Vel recordatione libri tui ad Imperatorem Maximilianum, quem nondum vidi, mirum in modum delector. quid obſecro futurum, ſi legere contingat opus præclariſſimum? Ante totus erat Princeps in tui meique Syngrammatis amiciſſimo complexu, quàm Satanas bellum Tranſſylvanicum ab impru-*

dentibus parum bene ſuaſum, nobis inferret. Bellum, inquam, quo tam Eccleſiæ, quam Imperio nocentius aliud non vidit Germania, quodve Cæſaris noſtri monarchiam ineuntem ſtatim cæde tanta funeſtavit, ac conſilia ſaluberrima quæque, & molimina omnia Chriſtianiſmo reſtaurando pernecesſaria, interturbavit. Qua calamitate publicâ ita diſcrucior, Georgi, ut prope tædeat vivere. Nihilo ſecius nos affligunt, tam qui Papæ quam qui Lutheri partes ſequuntur. Inter quos utroſque Jeſuitæ, hypocriticumne magis ambigo an malitioſum hominum genus, virulentius nos exoſos infeſtant, quod Eccleſiæ faciem hanc deformem, non aliam, quàm ut eſt hodie, defenſam velint, emendationem hujus omnino nolint, ne Seraphicæ ſuæ ſocietatis dæmonizomeno inſtituto deeſſe videantur. VIAM REGIAM *Cæſari commonſtratam abs me, una cum Panegyrico, quominus edatur in publicum, nullus obſtitero, ut abundantius prodeſſe queam, niſi non liceat.* Τὸ ἀρχαϊκὸς *antiquiſſimorum Eccleſiæ Patrum quærebam, & putabam aliquid eſſe, quod ajunt, moderata durant. Pace nobis per armipotentē reddita, & Marte aliquantiſper ſedato, de negotio tanto Comitium Vangionicum, ni fallor, diſpiciet. Interea tu, mi Georgi, recte valebis. Literis ad te meis per Arnoldum Bircomannum reſpondiſti nihil. Hunc M. Petrum Artocopum Ignatianum meum, ſanctæ linguæ ſtudioſum, mihi homodoxum, imò orthodoxum, tuæ ſinceritati totum commendo. Moguntiaci: X Septemb. An. Salutis M D L X V.* GEORG. WICELIUS THEOL. SENIOR.

Hactenus illa ipſiuſmet Wicelij Epiſtola. Qua utique Viam Regiam agnovit ſuam ſenex ille. Fortaſſe vero haud ſuccenſebunt mihi Wiceliani manes, ſi hac propalatione fiat, ut Wicelij nomen tandem aliquando Indice proſcribatur. Quantum enim ex A. Maſii epiſtola, eidem volumini 52. cent. 1. inſerta, liquet, Wicelius ipſe optavit nomen ſuum *Indici iſti adſcribi, cum illic Eraſmum quoque videret.* Extat vero in eodem Epiſtolico opere & alia ad Caſſandrum Wicelij Epiſtola loco ſeptuageſimo primo; & quidem illa cui reſpondet Caſſandrina il-

na illa noſtræ editionis viceſima quinta, ſcripta Moguntiaci, (non enim illic loci tum Jeſuitica doctrina & Vicedeatus Romanus prævalebat) eodem anno XIII Maij: ex qua ſaltem hoc diſcere eſt, non Wicelium minus quàm Caſſandrum, juſſu Cæſarum in eandem ſententiam de Religionis negotio conſultaſſe. Pars illius prior ita ſeſe habet: *Clariſſimo rectioris Theologiæ Doctori Georgio Caſſandro, viro Dei, Fratri chariſſimo ſuo S. P. Quamprimum vidi commendationem, imò approbationem Cæſaris, tuo de libro, chariſſime Caſſander, exhibente Arnoldo noſtro, protenus geſtire cæpit animus mihi præ gaudio plurimo, in utilitatem Chriſtianiſmi publicam: nec hoc ego gaudio cupiam unquam fraudari, at iſthoc exaugeri magis. Id quod fieri aliter vix queat, niſi copiam legendi libri mihi feceris, ad fidem optimo Arnoldo id procurante. Cæterum poſthac cura prima nobis erit, ut cum Cæſare eodem tempore locove unà conjungamur: ad ea nimirum, quæ in medium conſuluimus, ſerio pertractanda. Nullibi verò id fieri poterit commodius quàm ad Rhenum, partim valetudinis noſtræ, partim viciniæ gratia. Nam longius proficiſci non eſt noſtrum.* Hæc etiam ibi Wicelius. Ut ſaltim nunc fortaſſis poſſit Vitus ſecurè inpoſterum Viæ Regiæ auctorem Wicelium agnoſcere. Nec verò eſt quod quis dubitet, Jeſuitas fuiſſe & inviſos & infeſtos Wicelio: tales enim eoſdem etiamnum vivus expertus eſt & Caſſander: ceu liquet ex Epiſtola Andreæ Maſii & Johannis Metelli, Clariſſimorum utique virorum, quarum illa eſt farraginis illius Epiſtolicæ centuriæ primæ quinquageſima ſecunda, hæc quinquageſima ſeptima. Et vero omnis illius diſciplinæ plebeja ſaltim fæx, ab initio ſtatim uſque, id operam unice dedit, ut ne qua fiat ad normam priſcæ eccleſiæ reformatio, utque Romanus Vicedeatus orbi perſuadeatur: eoque bellum ἄσπονδον ſemper illi fuit cum omni bona & reformationem deſiderante mente; ne quidem hodie mutata illa inveterata conſuetudine. Ut agnoſcamus in illis etiam Home-

ricum iſtud, quod in Athenienſibus obſervabat olim Ariſtoteles:

ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ γηράσκει σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Quod ſcomma Wolfii in Medicos jactum, etiam hîc repetere, (nam jam ante fecerat idem) voluerit Vitus, fecit pro ingenio. *δὶς* ſcilicet *καὶ τρὶς τὰ καλά*: & ideo S. Lucas infeliciter tractavit res ſacras, quod Medicus fuerit: feliciſſimè autem id præſtitit Foretus Jeſuita, quem tamen pharmacopæum fuiſſe, & in re culinaria Apicium, narrat Foreti quondam familiaris & amicus ſummus Alphonſus Vargas.

Aſtuto conſilio novâ me *methodo* cauſſam Proteſtantium voluiſſe *ſtatuminare*; idque quod *viderim, larvam verbi Dei puri puti ſordere*, & nobis *eſſe detractam*, calumniatur Alaſtor. Quæ initio ſanè diſſerui, ijs tantùm volui id efficere: Mutationem illam religionis quæ avorum patrumque memoria in Europa facta eſt, non ſine divino numine contigiſſe, utpote quæ mirabili felicitate ferè ad modum primæ propagationis Evangelicæ proceſſerit: eòque prudentem quemvis non poſſe non in illam majore quadam cura inquirere. Veritatem cauſæ noſtræ ijs *ſtatuminare*, ne quidem in mentem mihi venit. Imo diſertis verbis id me nolle ſum profeſſus, pagina ſexta pariter & ſexageſima prima. Nec verò talia rei tantæ probandæ ſunt idonea. Omnis eximia felicitas arguit quidem vim divinam, non tamen omnimodam Dei approbationem. Ex ſolo divino verbo religionis cujuſcunque veritatem diſcere eſt. E ſolius enim Dei revelatione notum hominibus nobis eſſe poteſt, quis ipſi cultus ita placeat, ut eum velit æterna beatitudine remunerare, revelatio autem illa divina in Sacra quam dicimus Scriptura primò reperitur. Quæ uſque ſunt adeò manifeſta, ut inter ea quæ naturâ ſunt nota, mereantur recenſeri: ceu jam tum in Concuſſione dixi, non auſo oblatrare illi ſoli quoquam hoſtium.

Quam

Quam Vitus vult eſſe *ſummam* illorum quæ diſſerui ad paginam uſque octuageſimam, illa ex parte, fateor, non abit à mente mea: at verò plæraque ab illo præterita eſſe, quædam & malè recitata, nemini non manifeſtum eſt, qui ſummam iſtam cum meis contenderit. In eo bonam fidem perdidiſſe Vitum conquererer, ſi ejus unquam in Vito quid deprehendiſſem. Obtinet ille & hîc antiquum. Mala mens, malus animus. Ex vepribus nemo prudens ficum exſpectaverit. An in plerisq; à me in Præfatione adductis *appareat putentiſſima crambe*, an non verò Erbermannus more ſuo impudentiſſime calumnietur, judicabunt lectores.

Quæ de cauſis celerrimi progreſſus reformatæ avorum memoriâ religionis diſſerit Vitus, illa omnia nituntur caliđiſſimo mendacio iſto, quo ferè ſermonem claudit: *Mirum potius*, inquiens, *non affluxiſſe plures, tàm dulci Evangelio invitante, monachos & ſacerdotes ad nuptias, Principes ad prædam Eccleſiarum, Plebem ad licentiam vitæ, omni legum politicarum Eccleſiaſticarumque imò & divinarum jugo excuſſo.* Non equidem negaverim fuiſſe, qui, ſive quæſtus faciendi, ſive licentiæ obtinendæ gratia, acceſſerint partibus. Quales nimirum nec defuerunt inter prima Chriſtianiſmi exordia, Apoſtolica adhuc voce circumſonante: qui ſcilicet *pro velo malitiæ habuerunt libertatem*, hoc eſt excuſſum Moſaicæ legis jugum; quiq; *exiſtimaverunt quæſtum eſſe pietatem*; quin imò *& docuerunt quæ non decuit, turpis lucri cauſſa.* Sicut vitia erunt, donec homines: & vix ſeritur triticum, quin nocte ſubſequente mox & zizania ſerantur. Principes verò ſimpliciter omnes prædandæ Eccleſiæ cauſſa, Monachos item & Sacerdotes libidinis explendæ gratia, (id enim nuptiarum nomine intelligit Socius) nomen dediſſe mutatis majorum ſacris; hoc vero intolerabile & infrunitum eſt mendacium. Principes haud pauci à bonis, Vito Eccleſiaſtica dictis, abſtinuerunt manus, & ta-

& tamen cauſſam noſtram probaverunt. Fecit certè hoc is qui omnium primus Lutherum tutatus eſt Fridericus Elector. Nec ſacerdotes aut monachi omnes qui acceſſere, cœlibem vitam mutavere. Plærique eorum qui mutaverunt, concubinatui & vagis libidinibus ſanctum connubium prætulerunt: quod eſt ex vita impura ad caſtitatem emergere. Ipſe utique Erbermannus ultrò profitetur, circa Lutheri initia, *magnam fuiſſe morum cleri depravationem.* Quod igitur ex clero nonnulli maluerint caſtas nuptias quam fœdum ſuum priſtinum cœlibatum, quis pius non laudaverit potius? An hoc etiam vitio illis debet verti? Longè intolerabilius verò eſt, & quaſi manu palpabile mendacium, plebem *omnem vitæ licentiam* eo ipſo ſectatam eſſe. Sectata enim utique partes noſtras ſunt tot centena millia eorum, quos exilium, reſtis, ferrum, aqua, flamma abſumpſit: cum nullo crimine alio quàm ſola mutatæ θρησκείας profeſſione maligni haberentur. Quid? ſi verum eſt quod mendaciſſimus ille Socius hîc refert, fuerint utique illi, quotquot ſive primi doctrinæ Lutheri acceſſerunt, ſive poſt eidem hactenus aſſentiti ſunt nequiſſimi bipedum. Soli enim tales affectant *vitæ licentiam, omni legum politicarum Eccleſiaſticarumque imo & divinarum jugo excuſſo.* Neſcio an quis nuper auſus fuerit adeo turpiter calumniari. An tales vero fuerunt majores illius Socij apoſtatæ? An tales fuerunt parentes reliquorum qui defecere à nobis? An ipſe Vitus & lapſi reliqui fuere tales cum noſtri eſſent? Si non fuerunt, utique mentitus eſt Vitus: & fuerit mirum ſi mendacia illius æquis auribus ſaltim alij iſti acceperint. Si fuerunt, gaudemus profecto, ab illa hominum ſordida colluvie Eccleſiam noſtram eſſe liberatam. Quæ verò doctrina noſtra jubet, Principes bona quæ ſacris dicata ſunt in profanos uſus rapere, inſuper habito omni uſu publico? Sacrilegium audit apud nos tale facinus: quiſquis etiam tandem illud commiſerit.

Non tamen (fateor) credimus, ſacrilegium committi, ſi quæ à Clero Pontificio poſſeſſa quondam bona, illi erepta alios in uſus publicos convertantur. Tentare poterit Vitus, num queat firmis argumentis, non convitijs autem, non clamoribus demonſtrare: bona Pontificij cleri, vel ſola vel omnia, verè eſſe ſacrum Eccleſiæ patrimonium, inque eo ſubducendo ſacrilegium committi. Id autem ut ordine præſtet, poterit periculum facere, ſaltim in confutandis ijs quæ à me in contrariam ſunt ſententiam diſputata cap. VI. Animadverſionum in ſævam illam nuperam Bullam Innocentij: qua, ex conſilio hujus Alexandri, (hic enim in Curia tum maxime valuit) Pacis Germanicæ pacta, ille immitis Eccleſiæ ſuæ Vicedeus, conatus fuit ſubvertere. Tantum abeſt verò, per noſtræ Eccleſiæ doctrinam, aut ab ipſomet Luthero, invitatos eſſe Principes ad profanam aliquam ſacrorum bonorum occupationem, ut multi Theologorum noſtræ partis, ipſeque adeo Lutherus, non ſatis accuratâ diſtinctione bonorum quæ à Clero aut aſſeclis poſſidentur inſtitutâ, ſacrilegij damnaverint facta etiam illa, quæ à crimine iſthoc ſunt multum remota. Ex adverſo à Curiâ Romanâ ipſamet per Jeſuitas invitatos Germaniæ Principes aliquot novimus ad ἀποστασίας à noſtris partibus, in præmium propoſitis monaſticis alijsque opibus, quæ ſacræ vulgò exiſtimantur. Novimus, in Anglia regnante Maria, Laicos proceres, qui Henrici Regis indultu ejuſmodi bona occupaverant, per Reginaldum Polum Cardinalem & Legatum à latere, *publico inſtrumento, Pontificis nomine, de ejuſmodi bonis ac poſſeſſionibus, quoad pœnas & cenſuras canonicas in perpetuum ſecuros & abſolutos eſſe declaratos*, teſte Sandero: idque ut Pontificijs denuò ſacris illi accederent. Novimus non adeò pridem monaſteriorum Germaniæ recuperata bona, ipſorummet Jeſuitarum inſtinctu, quædam Ordinibus militaribus, quædam Principibus illis qui Epiſcopi audiunt, quædam

dam Cardinalibus jam tum opibus & luxu diffluentibus, quædam clericis ſecularibus, multa in belli ſumptus Principibus Laicis eſſe conceſſa; & quidem ultrò id jactantibus Jeſuitis in ſua quam vocarunt Placida diſceptatione, quove & ipſi in partem venirent prædæ, alios omnes allicientibus. Immenſis propoſitis opibus & honoribus Principes in partes vocare, Papiſticum eſt non autem noſtrum. Sacerdotum & monachorum aliquos invitatos eſſe ad connubia per doctrinam noſtram, haud diffitemur; omnes promiſcuè eſſe invitatos, longè eſt falſiſſimum. Nec enim aliâ doctrinâ quiſquam eorum invitatus eſt, quàm illa S. Apoſtoli Pauli: *Qui ſe non continent nubant: melius enim eſt nubere quàm uri:* aut quam virginibus dedit S. Cyprianus: *Si perſeverare nolunt vel non poſſunt, melius eſt nubant quam in ignem delictis ſuis cadant:* vel quam tradidit ipſe S. Hieronymus, *Sanctum virginum propoſitum*, ſcribens, *& cœleſtis angelorumque familiæ gloriam, quorundam non benè ſe agentium nomen infamat. Quibus apertè dicendum eſt, ut aut nubant ſi ſe non poſſunt continere; aut contineant ſi nolunt nubere.* Qui igitur ineptos ſeſe ad cœlibatum experti connubium amplexati ſunt, non tàm à noſtra quam ab Apoſtolica & SS. Patrum doctrina invitati id fecerunt: ſive ſacerdotes ſive monachi fuerint. Hoc fuit, & hoc eſt, non aliud, Evangelium illud, Erbermanno per *εἰρωνείας dulce* dictum, quo ad cælibatum minus idonei ad *nuptias* invitati ſunt, nec deſinunt invitari. Et verò illud uſque eſt adeò verum & certum, ut quamvis etiam divina auctoritate repetitum haud eſſet, tamen ceu à naturali rectæ mentis dictamine imperatum, omni verè probo ſit obſervandum. Nec enim poſitiva aliqua hæc lex eſt, ſed æterna, & ante ipſas Evangelij leges nata; cujus etiam alibi hiſce verbis meminit S Paulus: *Propter ſcortationes ſuam quiſque uxorem habeto, & proprium quaq; virum habeto.* Dote virginitatis, (quam perperam Romanenſes caſtitatem

ſolent

ſolent appellare, quaſi non & matrimonium caſtus ſit vitæ ſtatus) divinitus haud inſtructos, arcere à connubio, propter leges aliquas Pontificias aut receptam conſuetudinem, hoc vero eſt tranſgredi imo tollere mandata Dei in gratiam humanarum conſtitutionum. Jam verò ingentem numerum eorum queis ſacro miniſterio fungi oportet, requirit utique Eccleſiæ neceſſitas: ex adverſo autem perquam paucos mortales dote iſthac verè pollere, teſtis eſt omnium ſeculorum experientia. Teſtatur eadem, reperiri non poſſe idoneum numerum ſacra obeuntium, qui ſimul valeant illo virginitatis heroico quaſi affectu. Imo & hoc teſtatur uſus: ubi legibus Pontificijs Clerici à conjugio prohibentur, Cleri tantum non omnia ſcortationibus, concubinatu, & omnis generis immunditia fœdiſſimè inquinari; fruſtra reclamantibus legibus, fruſtra habitis publicis ſupplicationibus, (quale quid in Bajoaria inſtitutum eſt) fruſtra indictis pœnis, fruſtra propoſitis præmijs. Impoſſibile ſcilicet eſt, ut ſacra cuncta obeantur per ſolos illos qui, non dico verbis, ſed qui animo omni virgines ſunt. Similiter autem impoſſibile etiam eſt, ut ingens ille numerus utriuſque ſexus qui in Romanenſi Eccleſia virginitatem vovent, vere obſervent id quod voverunt. Non obſervare, itidem uſus (proh dolor!) nimium quantum docet. Impudens quidem eſt jactator ſuorum Erbermannus, non crediderim tamen ab illo id negatum iri: poſtquam ab ejus Sodalibus quoque multis libellis pravi Monachorum (ne quid nunc dicam de Clericis alijs & Canonicis & Sacræ militiæ adſcriptis) mores ſunt publice perſtricti: quibus refelli ſtatim poſſet, ſi negaret. *Nonnarum multa clauſtra*, ait Wicelius, *quid obſecro aliud ſunt quam pornoboſcia ſpecialia?* Quod Jeſuitæ vivant caſtius alijs, qui probes? Cautius vivere, non negaverim: idque quoniam, fatente ipſomet Joanne Mariana Socio haud è vulgó, *totum Societatis regimen hunc habere videatur ſcopum, ut quæ*

improbè in Societate fiunt, injecta terra cooperiantur, & hominum notitiæ ſubtrahantur. At vero quis ſuſpectos non meritò & illos habeat, conſiderata molli iſthac vivendi ratione qua plærique gaudent? Verè Hieronymus: *Eſus carniam & potus vini, ventrisq; ſaturitas ſeminariū eſt libidinis.* Et alibi: *Fruſtrà quidam ſimulant, ſalva fide & pudicitia & integritate mentis, ſe abuti voluptatibus, cùm contra naturam ſit, copiis voluptatum ſine voluptate perfrui. Quid neceſſe eſt jactare pudicitiam, quæ ſine comitibus & appendiciis his, continentia & parcitate, fidem ſui facere non poteſt?* Quis igitur paulò peritior humanæ fragilitatis, pingues illos & benè curata cute nitidos, quamvis Jeſuitas, dixerit ab æſtu libidinis alienos? *Vulgo quidem* (verba recitabo Alphonſi Vargæ ex cap. 14.) *Jeſuitæ, cum in Societatem pueros alliciunt, hoc meliorem eſſe Societatis quàm aliorum Ordinum conditionem eſſe prædicant, quod Ignatius à Deo precibus obtinuerit, ut per centum annos, inde ab eo die quo νομοθεσίας ejus ſive Regulam Sedes Apoſtolica probavit, nemo Sociorum in lethale peccatum incidere queat, adeoque nihil ſibi ab humanæ ſaturitatis tentationibus eſſe periculi: cujus gratiæ ac privilegij prorogationem Xaverium in alios ducentos annos à Deo Societati impetraſſe, Ieſuitæ in Alſatia plenis buccis gloriati ſunt.* At fortaſſis etiam ipſi tantum inter pias fraudes ejuſmodi commenta habent: certè Lucianeis veris figmentis annumeranda eſſe, nemo prudens dubitaverit, conſcius ſine veri documentis hæc παράδοξα jactari; qualibus tamen ad faciendam fidem omnino eſt opus. Caſtitatis Jeſuiticæ alia ſanè exempla aliquot adducit idem Vargas 3. 14. & 15. capitibus.

Quàm portentoſum porrò eſt mendacium impuriſſimi apoſtatæ: *Plebem ad licentiam vitæ, omni legum Politicarum Eccleſiaſticarum, imò & divinarum juga excuſſo, à noſtris vocatam eſſe!* Quàm in facili ex adverſo fuerit oſtendere, per indulgentiarum & abſolutionum Pontificiam prodigalitatem, homines

mines ad peccata committenda haud parum allicij ſi id res poſtularet! Imò verò frontem perfricuerit Socius; ſi vel fuerit auſus ex noſtratium monumentis producere, qualia ex Caſuiſtarum Jeſuiticorum ſcriptis excerpta, plena improbæ atque bonis moribus adverſæ doctrinæ, in Gallia & Belgio paſſim publicantur. Eat igitur potius impudens calumniator, & Moralem Sociorum Theologiam defendat adverſus ſuarum partium Epiſcopos & Doctores, qui non dubitant illam acriter in publico accuſare impiæ morum corruptelæ. Oſtendat, ſi poteſt, ſolis præmijs & pœnis merè civilibus, non allici in partes Papiſticas & in ijs teneri ingentē hominum multitudinem. *Oſtendant Ieſuitæ* (verba ſunt Alphonſi Vargæ c. 38.) *ſi poſſunt, ſolas triginta tres domos in omni Germania, quas ſuis ungulis, ac non potius Principum edictis, minis, & pœnis triverint, & ab hæreſi ad Eccleſiæ communionem revocaverint.* Et verò qui aliter egerint illi? qui in ſua Placida Diſceptatione non dubitant ridere monachos, verbi prædicatione & vitæ ſanctimoniâ hæreticos ad Eccleſiæ communionem reducere conantes. *Hæreticos enim edictis, minis, atque etiam pœnis compellere oportere: hic optimus eſt,* inquiunt, *hæreticos convertendi modus.* Hæc ſane eſt illorum plebem convertendi potior ratio. Principes tamen, alioſq; aut ambitioſos aut avaros, ab illis ineſcari ſuavioribus propoſitis, neſcio utrum auſit ipſemet Vitus negare. Fas utique hoc eſſe, imo ita agendum, exemplo ſui Ignatij edocti ſunt. De quo in Vita à Maffeio deſcripta Romæque edita l. 3. c. 11. ita legitur. *Ignatius miræ fuit ſolertiæ in ſollicitandis mortalibus, & à diaboli ſervitute ad Chriſti obſequium traducendis: & quibus artibus dæmon ad animarum perniciem utitur, eaſdem ipſe, quod liceret ac fas eſſet, ad hominum ſalutem transferebat. Voluntates ac naturas eorum, quibuſcum ageret feſtine odorari, ambitioſis ſplendida, avaris utilia, voluptuoſis jucunda proponere, & ſuo quod ajunt hamo vel eſca quemque piſcari.* Idem verò de

Ignatio etiam Ribadeneira refert l.5. c.11. gloriatus tanquam de re benè geſta: cujus verba jam tum Haunoldo recitavi. Eſt autem ipſiſſima illa πανουργία πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, à S. Paulo uſque adeo damnata. Ex hiſce verò manifeſtum utique eſt, illa à Vito per calumniam nobis objecta, ipſorummet eſſe Jeſuitarum ineſcationes; arma ſpiritualia ſcilicet: non tamen noſtra, ſed Lojolæ. Poſſum pluribus, ſi ſit opus, impias technas Jeſuiticas & hinc ortam vitæ labem, ex varijs ipſarum Romanenſium partium ſcriptis, imo ex ipſis Jeſuitarum Secretioribus Inſtructionibus petitas, in medium producere. Sed fortaſſis noſtra nihil refert, quid agant cœci cœcorum duces. Sufficit, quod benè nobis conſcij, nullis improbis technis vel allici vel teneri noſtros homines, mandacia Erbermanni, quæ ille de noſtratium doctrina plenis follibus efflavit, poſſimus contemnere: quovis rerum gnaro & prudente veritatis vi coacto, agnoſcere nobiſcum in admirabili Reformationis negocio vim & manum divinam.

Æque vana autem eſt ingentis illius per Reformationem accepti à Pontifice damni Jeſuitica diſſimulatio; illaque inanis gloriatio Viti, quaſi res Pontificis Reformatione jacturam nullam fecerint, *ſed creviſſe in utriſque ſolis Indiis Catholicam Eccleſiam amplius, quàm in Europa per levis paleæ abſceſſum decreverat. Vnum ſolum Franciſcum Xaverium plures Chriſto per baptiſmum genuiſſe filios, quam Lutherus à Chriſti ad ſuum pellexerit Evangelium.* Hæc ſane Viti ſunt verba. Tantas ineptias nempe illud hominum genus non pudet in vulgus ſpargere: quaſi noſtrûm nemo ſtatum Romanæ per Americam & Indiam Eccleſiæ & Xaverij rerum habeat cognitum: imò quaſi non in medio eſſent ipſorummet Sociorum libri, miſeram Eccleſiæ conditionem per terras illas, cumprimis per Americam, deplorantes. Videor tamen eo ipſo mihi audire voces illas ſtultè ſuperbas, etſi jam extrema quaſi tegula ſtantis Babylonici

nici ſcorti: *Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.* Utrum porro lætiſſimus Reformationis progreſſus longè *infra Lutheri ſpem & meam debuccinationem ſubſiderit*, quod cavillatur Vitus, judicent æqui arbitri. Prædixit quidem Lutherus fore, ut *ſicut fumus omnia Papæ evaneſcant.* Ubivis autem terrarum & ſtatim id futurum, non dixit. Magna orbis parte illa jam tum evanuiſſe, dolet Curia & indignatur Vitus. Optimè vero quod Vitus ipſe dicat, *mentiri ſeſe, niſi Lutherus, inſtante jam fato, execrandæ deſperationis plenam emiſerit ad ſuos vocem: Orate pro Domino Deo noſtro & ejus Evangelio, ut ei benè ſuccedat &c.* Turpiter ſanè id mentitur Vitus: cum fide digni teſtes memorent hæc fuiſſe Lutheri verba: *Orate Deum ut Evangelii doctrinam nobis conſervet; Pontifex enim & Concilium Tridentinum mira moliuntur*; ut in Viti fabula nihil omnino ſit veriſimilitudinis. Quid autem ego tandem de ſucceſſu felice Reformationis dixi, quod vero non ſit conſentaneum? Si quid ſanè tale mihi excidiſſet, non præteriiſſet ſilentio gnavus ſycophanta.

Me non ſolorum eorum qui preſſius Lutheri veſtigia ſequuntur, habuiſſe rationem, haud diffiteor. At quos etiam alicubi hallucinantes agnoſco, nihil cauſſæ habuì, cur erroris commiſſi ergo ſtatim omni reformatorum cœtu excluderem. Diverſo me animo eſſe, nunquam diſſimulavi. Nec muto, quamvis Vito diſplicet, *Alios fide infirmos ſufferre, & ſollicitum eſſe conſervare unitatem Spiritus per connexum pacis*, divino Apoſtoli præcepto edoctus ſum. Inſonat perpetuò auribus meis illud S. Auguſtini. *Quisquis vel quod poteſt arguendo corrigit; vel quod corrigere non poteſt, ſalvo pacis vinculo excludit; vel quod ſalvo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat: hic eſt pacificus & ab iſto maledicto quod dicit ſcriptura: væ his qui dicunt quod nequam bonum eſt & quod bonum nequam: omnino liber, prorſus ſecurus, penitus alienus.*

nu. Scio etiam, quod non omnis error ſit hæreſis: & quod hæreticæ quoque opinioni ſi deſit pertinacia, indulgentia Domini queat ſperari. Et quidni per Vitum liceat, eos qui verbi divini judicio ſeſe ſuaque humiliter ſubmittunt, æque benignè habere, atque Romanenſes accipiunt illos qui ad Eccleſiæ judicium confugiunt? Utique divinis literis ſaltim non minor quàm Eccleſiæ habendus eſt honor.

Lutheri doctrinam *vix in paucis Germaniæ cœtibus ſincere ſuſtineri*, ingens calumnia eſt: ſi ſanè eam ſpectes quæ Auguſtana Confeſſione comprehenditur. Hæc autem verè demum Lutheri doctrina cenſenda eſt; non illa omnis, quæ ſive in tenebris Papiſticis, ſive crepera adhuc Evangelij luce, aut qua alia imbecillitate præpedito, fortè excidit.

Martyrum noſtrorum fortitudo à me quidem non eſt adducta in argumentum veritatis doctrinæ Proteſtantium, ſed tantùm in id, ut liqueat, conſcientiæ tutandæ cauſſa infinitam hominum vim doctrinam illam approbaſſe. A Martyrum conſtantia quod à nonnullis peti ſolet pro religionis Chriſtianæ certitudine argumentum, dudum agnovi perquam eſſe imbecille, imò nullius pretij. Habet ſcilicet & ſuperſtitio vim maximam in animos huminum; nec uno experimento innotuit, quànta etiam dœmonum ſit in cultoribus ſuis ad pertinaciam efficacia. Hinc ſanè nulla ferè, quamvis impia, ſuperſtitio non & martyres ſuos numerat. Utique & ipſe Vicedeatus Papalis, quo nihil à recta ratione magis eſt alienum, habet ſuos martyres, & quidem haud paucos, Jeſuiticæ cumprimis ſodalitatis. Potuiſſet igitur Vitus operam etiam illam, quam in Auguſtini verbis recitandis impendit, longè rectius locare. Quàm fœda autem calumnia eſt, Proteſtantes (quos Alaſtor circumcelliones vocat) *Evangelio non niſi ſeditionibus, rebellionibus, conſpirationibus in Principes obſiſtentes, viam muniiſſe, & ubi rerum potiti fuerunt Neroniana crudelitate*

in

in Catholicos ſæviiſſe, idque omnes hiſtorias loqui! Non negaverim, alicubi à populis correpta eſſe arma, eaque ſævienti crudelitati oppoſita. Aſt id factum non per initia, ſed denique læsâ infinities patientiâ in furorem versâ. Hoc loquuntur omnes hiſtoriæ: proinde & hæ mendacij arguunt Viti calumnias. Jam carnificata fuiſſe hominum non minus centum millia, priuſquam in Belgio multitudo inſurrexerit, Grotij teſtimonio jam in Præfatione probatum dederam. Prævaluerunt tandem ibi Proteſtantes, & ipſa Hiſpanica potentia, quæ invicta credebatur, parvæ ſubditorum manui fracta ſuccubuit. Frontem videam Erbermanni, ſi abſque rubore auſit pertendere quod hic effutiit, à rerum potientibus Reformatis Neroniana crudelitate in Catholicos ibi ſævitum eſſe.

Quæ *ad purgandos Reformatores ab objectis maculis* dixi, num à Vito in ſuis Signis diluta ſint, eſto judicium penes æquos lectores. Piſtorij, Serrarij, Foreri, Tanneri improbæ συκοφαντίαι dudum orbi innotuerunt. Illa nomina ſolos movent Jeſuitas & qui ab illo Spiritu ſunt dementati.

Ipſam Apoſtolicam primam Eccleſiæ ætatem non fuiſſe ab illo morbo immunem, quod in ſancto iſto Chriſtianorum cœtu orti ſint peſſimi hæreſiarchæ, Chriſtiano nomine cenſiti, adeo eſt manifeſtum, ut nec Vitus auſus fuerit negare. Eodem vitio laboraſſe & exordia Reformationis, ultro faſſi ſumus. Quæ ergo hîc *ſapientia* culpa? *Proteſtantes accenſere Eccleſiæ ſuæ OMNES* hæreticos ſui ſeculi, idque *conſtare ex D. Muſæo*, impudens eſt Viti mandacium. *Apoſtolos cæteroſque catholicos non porrexiſſe ſingulis ſacrum codicem, ut hinc ſibi quiſq. juxta proprii cerebri phantaſmata articulos fabricaret*, fatemur. Ac nec id faciunt Proteſtantes. Porrexerunt illi *omnibus codicem*, ut hinc diſcerent ſanam fidei doctrinam, obſervatis æternis rectæ rationis regulis cum interpretandi tum argumentandi. Idem agunt Proteſtantes, non aliud; etiam tum quando *mulieribus*,

lieribus, etiam tum quando *idiotis examen & judicium* permittunt; illis ſcilicet qui à ſana ratione ſunt ſatis inſtructi. Quales ſunt & *mulieres* inter, & inter *idiotas* ſæpius, quàm inter ſuperciliosos Jeſuitas; ut quos premit horribilis illa maledictio, ne oculis videant, perditâ ſapientiâ ſapientum. Hortati ſunt Apoſtoli ſuos, *tenere Traditiones quas acceperant ſive per ſermonem ſive per epiſtolam*. Idem hortantur Proteſtantes. Non patiuntur autem ſuis obtrudi *Traditionum Apoſtolicarum* nomine, noviſſimorum temporum impia quævis commenta; quomodo Judæorum Rabbini putidas fabulas ſuas protrudunt in vulgus, titulo Traditionum Moſis ex monte Sina. *Qui Eccleſiam non audierit habendum eſſe tanquam Ethnicum & publicanum:* credimus & nos Salvatori noſtro. At cum ſole clarius ſit, dictum id non niſi de injurijs quibus alter alterum affecerit, dictum item eſſe de cœtibus ſingularibus, quos in confeſſo omnibus eſt interdum graviter labi: illius dicti allatio adverſum Proteſtantium cauſam, i. e. in fidei dubijs, utique planè eſt ἀπροσδιόνυσον.

Quid vero illud tandem eſt, quod me Vitus accuſat, quaſi *Independentibus addictior ἀναρχίαν Eccleſiæ ſtabilire pertendam*? Quænam ſit eorum, quos Independentes Britanni vocant, de regimine Eccleſiæ ſententia, fateor me ignorare. Si exiſtimant illi, jure divino omnes Presbyteros pares eſſe oportere, quod olim ſenſit Aërius; profectò immani calumnia gravat me Vitus; ut qui Aërij illam hæreſin dudum aliquoties publicè improbaverim. Nego duntaxat, à Deo aut Apoſtolis regimen Eccleſiæ unicũ aliquod eſſe ita conſtitutum, ut ſi οἰκοδομὴ aliud poſtulet, non etiam mutare liceat: inprimis nego, à Deo inſtitutam eſſe Papalem μοναρχίαν. Quiſnam verò Proteſtantium hæc non mecum negat, ſi excipias aliquot paucos Britannos, nimios ariſtocratici Eccleſiæ regiminis patronos? An verò hoc eſt ἀναρχίαν ſtabilire? Ego ſanè ex Politica Philo-

ſophia

ſophia dudum novi; varias eſſe, etiam bonas reipublicæ formas; & pro ingenio & rebus populi aliam atque aliam civitatibus convenire; nec niſi admodum rarò plenam *μοναρχίαν* eſſe utilem: univerſum porrò orbem terrarum commode ab uno homine regi non poſſe: imò ſi ex voto conſtituenda ſit reſpublica, expedire, ut illa non latè diffuſa, ſed arctioribus nonnihil finibus incluſa ſit. Hæc tyronibus etiam Politicorum cognita, quum in univerſum ſint vera, etiam de Eccleſiæ regimine non poſſe non eſſe veriſſima, eſt fateor ſententia mea. Ipſemet Vitus diſertè hoc loco affirmat, cum Independentibus me, *nullum Eccleſiæ regimen admittere, niſi quod pro tempore & loco viſum ſit politiæ congruere.* Id faciens verò, non *ſtabilire utique pertendo ἀναρχίαν.* Nec enim *regimen Eccleſiæ, quod pro tempore & loco politiæ congruit*, eſt *ἀναρχία*. Sed quantum video, illi homini *ἀναρχία* eſt, omne regimen quod non eſt plenè *μοναρχικόν*, idque herile, & quidem non niſi id quod per univerſum orbem extendit vim ſuam. Ut delirare illum, & ſpiritu vertiginis agitari, nemo non agnoſcat. Quemadmodum ſanè Vitus & hîc calumnietur, & in ſuo quod appellavit Examine meam illam ſententiam fœdis modis oppugnaverit, quoniam ita vult, quilibet uti expendat, facta cum meis, præſertim illis quæ ad Caſſandrum præfatus ſum à triceſima quinta ad quadrageſimam ſeptimam uſque paginam, collatione, etiam atque etiam rogo. Perſuadeat autem Vitus cum Socijs hæc ſua *παράδοξα* primum Epiſcopis, ijs præſertim qui in Gallia ſunt, ut deſinant illi damnare Sociorum ſcripta, quibus Jeſuitæ Anglicani alijque Epiſcopalem *ἱεραρχίαν* oppugnaverunt, & tum demum ad Proteſtantes ſeſe convertat.

An quæ à me allata ſunt de Miraculis, ſint *deprompta ex Phariſaico armamentario, & ſatis protrita & efficaciter excuſſa à Socio Cornaeo*; an verò etiam hîc calumnietur more ſuo Vitus

& Thraſonem agat, facile deprehendet quiſquis mea cum Cornæanis æquo animo contenderit.

Quo autem Calepino auctore (hic enim Latinitatis Erbermannianæ auctor eſt maximus) didicit Vitus, *fanaticum* dicendum, qui certum documentum factæ divinæ revelationis, ab ijs qui Spiritum jactitant *πάρεδρον*, poſtulant? Calepinus ſane, quantum memini, docere poſſit, *fanaticos* eſſe qui arcanum divinum magiſterium falsò oſtentant. Cum proinde ego Spiritum aliquem aſſiſtentem non jactaverim, ſed à ſingulis Papis ac ſacerdotibus, gloriantibus ſingularem ſibi præ reliquo Chriſtianorum ordine aſſiſtere vim divinam, petierim aliquod teſtimonium divinum, quo illos deſtitui Erbermannus agnoſcit: non ego utique ſed Papæ & ſacerdotes Papales *fanatici* fuerint. Jure vero an injuria ego tale quid poſtulaverim; deſidero equidem à quolibet prudente & ſanæ mentis homine expendi; cui facultas fuerit mea & quæ contra diſputavit Vitus cum curâ evolvere. Silui ſane ad illius ineptias: non tamen alia de cauſa, quam quod indignas reſponſo judicaverim; inter prima ſocietatis omnis humanæ recepto illo: quemque teneri, legitimare (ut loquuntur) perſonam, nec legatum ſeſe ferenti credendum ſine idoneis prolatis documentis. Ne tamen Vitus doleat me *ſiluiſſe*, brevi denuò agitabo hoc argumentum: quia illud unicum, ceu natura notum, ſufficit cum diſcutiendo Papali Vicedeatui, tum prætenſæ Sacerdotum Pontificiorum divinioris ſupra reliquos Chriſtianos eminentiæ profligandæ.

Ad poſtremum mirifice geſtit Vitus in Caramuelis convitijs, in noſtros opere cui Theologiæ Fundamentali nomen, fœde ſparſis: idque ideo potiſſimùm, quod ego Caramuelis teſtimonio fuerim uſus ad probandam morum noſtrorum innocentiam. Verùm & hic nihil præter ſolitum agit Vitus: hoc eſt nugatur, ut mollius dicam. Mentionem ego feceram in

Præ-

Præfatione pag.49. *turpiſſima illius calumnia, qua omnis vitæ probitas nobis denegatur*, contentus innocentiam noſtram unius Caramuelis teſtimonio oſtendere. Vitus primò pertendit, nihil dictum à Caramuele pro *innocentia* noſtra, niſi de ſola illa, quæ *externâ in oculos incurrente modeſtiâ metienda fuerit*. At diſertè Caramuel negat modeſtiam noſtrorum eſſe hypocriticam; quod idem eſt atque non eſſe ſolùm *externam*. Diſerte idem profitetur, *bonis moribus hæreticos imbui, & habere bene gubernatas reſpublicas*: quod profectò procul abeſt ab innocentia & probitate morum, quæ tantùm oculis ita appareat. Certe teſtimonium illud Caramuelis turpiſſimi mendacij convincit Vitum, affirmare auſum acceſſiſſe partibus Lutheri, *Monachos & Sacerdotes propter nuptias, Principes propter prædam, Plebem ob licentiam vitæ, omni legum Politicarum Eccleſiaſticarumq; imò & divinarum jugo excuſſo*. Petieram autem ego teſtimonium illud Caramuelis ex ejus opere quod pro Pace componenda conſcripſit. Id autem cum Vito, Erneſti de Euſebijs aſſeclæ & oſori pacis, ſumme eſſet inviſum: jubet ille ergo me audire eundem Caramuelem, *in opere diu poſt & conſideratius elaborato*, Theologiâ nempe Fundamentali. At vero illud equidem opus hactenus non vidi, multo minus legi: *conſideratius* autem illo altero de Pace opere eſſe *elaboratum*, vetant me multa credere. Nec enim ſemper δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Video ſane opus illud tanquam ſcandaloſæ doctrinæ plenum ab Archiepiſcopo Mechlinienſe Belgij primate jam tum ante hoſce annos quinque damnatum atque proſcriptum eſſe. Video idem opus pernicioſæ doctrinæ poſtulatum, à Curionibus ingentis illius Eccleſiæ Pariſienſis apud conventum Cleri Gallicani, anno quinquageſimo quarto menſe Novembri. Video ab illis & alijs nonnullis ex opere iſthoc producta ea, quæ evertunt bonos mores & ipſam vim humanæ ſocietatis. Obſervo in iiſdem ſupinum contemptum omnis antiquæ Eccle-

ſiæ, cumq; etiam à ſuarum partium hominibus ipſi in publico exprobatum. Uno verbo, obſervo in excerptis omnibus regnantem Lojolæ ſpiritum, eumque itidem homini à ſuis verſum vitio. Cùm deſierit vero eſſe Caramuel qui fuerat, *probitate inſignis & multiplici doctrina eximius*, non eſt profectò cur mihi Jeſuita ejus ſequiores ſententias opponat. Quanquam nec omnia ejus placita, quæ opere de Pace voluit perſuadere, mihi ſeſe unquam pro veris probaverint, ſed eorum nonnulla jam tum libere ſint à me perſtricta in Confutatione Bullæ Innocentianæ. Cum porrò in omni judicio favens quidem adverſarij teſtimonium fidem mereatur, non autem ſi illud oppugnet reum; an non inique ego jubeor ſtare Caramuelis hominis Pontificij adverſantibus ſententijs, licet illo ſim teſte uſus vera ac faventia dicente? Et verò quam multa ſunt in illis Erbermanno hîc citatis ab omni veritate longè alieniſſima! Tale utiq; eſt: *Chryſoſtomum, Irenæum, Cyprianum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Eccleſiæ Romanæ* (qualis nempe illa hodie eſt ſub Vicedeatu Papali; nam de hac eſt quæſtio, non de vetere quæ dudum mutavit) *militaſſe*. Tale eſt: *Lutherum perditiſſimè vixiſſe & in ebrietate mortuum eſſe*. Tale eſt: Franciſcum à Luthero verè *Sanctis* annumeratum eſſe; cum reapſe & ipſi & alijs Proteſtantium non aliter audiat Sanctus, atque Epimenides Cretenſis Paulo Apoſtolo *Propheta*. Tale eſt: *Prædicantes*, vel Eccleſiaſtas noſtros, *apud OMNES exoſos & infames evaſiſſe*. Tale eſt: *omnes qui apud heterodoxos* (ſive noſtros) *coluntur* eſſe Papiſtas, ſive Vicedeorum Romanorum adoratores. Tale eſt: *Lutherum & Calvinum fuiſſe homines perditiſſimæ vitæ, neq; dignos qui diſcipulos haberent: idq; ipſum fateri quotquot ab utroq; ſeducti*. Quid mirum igitur, tale etiam illud eſſe: apud nos *Sanctum & inculpabilis converſationis nullum inveniri?* Sed & quis prudens admiſerit teſtimonium illud, cum ſit hominis Hiſpani, & qui nonniſi in

exigua

exigua parte Germaniæ, alibi autem in Gallia, Britannia, Belgio, omnique Septentrione, forte nuſquam viſus ſit, ac proinde res vitamque Proteſtantium omnium compertam habere non potuit? Imò cum ſit ejus, quem vera quid ſit ſanctimonia, latere, vel illud indicio eſt, quod Franciſcum illi numero adſcribat, hominem præ ſuperſtitione tantùm non ſtolidum, eoque obnoxium Diaboli plurimis ludificationibus. Ne quid nunc dicam de inepta illa & ab omni veriſimilitudine alienâ Caramuelis narratione ſub finem annexa, de Prædicante; qui dixerit ſe Lutherum & Calvinum, *ceu pacis publicæ perturbatores fuiſſe repulſurum*; cùm haud difficulter liqueat, tangi hic Crigotium illum Franckenthalienſem, quem longè alium ipſemet depinxit pag. 10. Syndromi Pacis licitæ.

Quicquid ſit: *applaudat* Vitus, ſi velit, hiſce fœdis etiam Caramuelis aliorumque in noſtram innocentiam evomitis contumelijs. Per nos licet. Qui ſordidus eſt, ſordidetur amplius. Invenerunt ſimiles ſua labra lactucas. Ut autem ad initium epiſtolæ redeam, Clariſſime Titi, me piget tædetque cum illo maledico, atq; ex mendacijs quaſi conſuto hominum genere, vel verbum amplius commutare. Si ſane fœcem iſtam Lojolæ videas, (in quo ordine eſt Vitus, quamvis ſua opinione multum emineat verendus Pater) facile deprehenſu eſt, verè dictum ab auctore Anatomiæ Societatis, ſive ille Scioppius fuerit: *Huc ferè* (ad convitiandum nimirum) *tendunt omnes Jeſuitarum libri, quos in adverſarios ſuos emittunt: quia verenturne velut edentuli & ignavi canes offe & offa priventur, & nulla nova collegia, nulla opulenta monaſteria, nulla uncta patrimonia poſthac ſibi conficere poſſint, niſi velut furioſi moloſſi mordicus alios invadant.* Et verò ſolutiſſimi oris ſcurræ præ illo cœtu ſeſe viros graves probaverint. Præ illo Lojolitanæ fœcis cœtu, inquam. Ea enim eſt fœditas maledicentiæ illorum, ut nec præſtantiſſimi quique Sodalium, nec quivis

Papæ, illam æquo animo ferant: ceu liquet vel ex Cardinalis Bellarmini Epiſtola, quam recitat Becanus libello *de Inſtitutione & uſu Euchariſtiæ contra Sartorium n.36.* ut & ex iis quæ docet Carolus Regius unus Sociorum *l. 5. Oratoris Chriſtiani cap. 21.* Illis verò bacchis bacchantibus adverſari, mihi profectò nimis ingratum eſt. Auctor & tibi ſim, Optime Titi, ſilendi impoſterum ad illas contumelias: niſi in officio tuo eſſe intelligerem, Eccleſiæ cauſa, verſari etiam in medio maledicentiæ ſterquilinio. Ego quidem igitur relinquo illam Mephytim: Deum verò obſecro, ut Te firma donet valetudine, quo porrò, ceu feliciter cœpiſti, poſſis ſine nauſea, Herculem imitatus, Jeſuitico, non amplius Augiæ, ſtabulo repurgato, integram poſteritati veritatem conſervare. Helmeſtadij, in Academia Julia Nonis Febr. Anno CIↃ IↃ C LX.

LV.

Addita opuſculis Hiſtoricis Henrici Meibomii V. C. Helmeſtadij editis anno 1660.

HENRICO JOAN. HENRICI F. HENRICI N. MEIBOMIO, Iuveni virtute & doctrina eximio ſummæq; exſpectationis.

S. P. D.

MAgno diffuſoque ingenio erat quem nomine refers Avus tuus, Præſtantiſſime Meibomi, & judicio acri ac limato. Valebat enim cum pangendi carminis, Heroici præſertim, ubere quadam & prompta facilitate, tum peritia antiquitatis Germanicæ inſigni, Saxonicarum rerum & quidem cumprimis viciniæ omnis planè incomparabili. Simul in communi vita erat commodus, jucundus, nemini non acceptus, adhoc domus ſuæ curator diligens. Talem ſanè illum deprehendi in hac Julia jam ante quadraginta propemodum annos, cum ille jam admodum ſenex eſſet, ego autem

vix ephebus: ejus vim poëticam verò & hiſtoricam quæ poſteritati reliquit ſcripta complura omne in ævum commendant, quamvis ſola illa quæ ipſemet in vulgus publicavit ſpectemus, nec in doctrinæ teſtimonium ea quæ nondum lucem videre adferantur. Eo factum ſanè, ut ſæpenumero doluerim, imò graviter ſim indignatus, cum multa editu digniſſima Avi monumenta in ſcrinijs deliteſcere, tum quæ ſunt edita, illa jamdudum huc illuc ita diſtracta eſſe, ut nulla eorum in librarijs tabernis exempla reperire ſit. Nec fecere non idem mecum, quotquot ſaltim inſpexerunt operum Avi indicem, qui nono hinc anno patris tui, V. item Clariſſimi & Medici χαριεστάτου cura, Marienthalenſi Chronico additus, & nunc abs Te iterum productus eſt: quamvis non omnia in eo ſint recenſita, qualis utique eſt *Chronologia* ſive Annotatio temporis & ſeries rerum in Chronico Hieroſolymitano deſcriptarum: quam Chronico illi anno ſeculi ſuperioris octuageſimo quarto ſubjungi fecit Reinerus Reineccius, ſummus ſeculo illo polyhiſtor & æternum Academiæ hujus Juliæ decus. Vehementer ſcilicet incenſum eſt deſiderium operum Avi omnium catalogo iſtoc, in animis cum intelligentium rem poëticam, tum præcipue eorum, qui didicere medij temporis, hoc eſt ejus quod fere à Carolo Magno incipit, Germanicas res ex obſcuris latebis erutas, ſuo pretio æſtimare. Quod qui non poſſunt, illos nec idoneos Imperij Germanici ejuſque partium magnis negotijs curandis, nec multum liberalis ingenij eſſe, equidem pronunciare haud dubito. Ita ſcilicet res ſeſe habet, Eximie Meibomi: plurimos videas in populo etiam noſtro quos nulla capit hiſtoria; multos qui faſtidiunt Germanica omnia, illa maximè obſoletiora & quaſi caſſa, impenſe nihilominus ſtudentes hiſtorijs priſcis ſed Romanarum Græcarumque gentium. Quis illos autem Hiſtoriæ omnis contemptores dixerit, liberali ingenio natos? quis gerendis

magnis

magnis rebus pares? Quàm longe aliter componere, ſaltim otium ſi quod ſibi ſupereſt, ſoleant animi vere ingenui, quàmque illi ſoleant omnia hiſtoriæ genera, quandocunque licet, ſectari, id nemini temere eſt ignotum. Nec eſt qui ignoret, quanta ad prudentiam gerendæ reipublicæ, ſive parandam ſive exercendam, vis ſit Hiſtoriæ; illam ſcilicet hac ſine haberi non poſſe. Itaque illud quidem hominum genus, tanquam alienum ab ingenua mente, & ſervilis ordinis, ſive eos honorum ſive opum ſive voluptatum cupido ſive denique iners otium mancipes effecerit, non eſt quod alij moventur; quibus ſane, ut ille ait,

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Videntur autem mihi, ceu modo dixi, nec illi ſatis ingenuo præditi animo (de Germanis noſtris nunc loquor, non alterius terræ hominibus) qui ita peregrinis intenti ſunt, ut priſcas patriæ res negligant, vel elatis quaſi naribus ſuſpendant. Non ſane in hoc ipſo ad exemplum Græcorum Romanorumve, quos fortaſſis vomitantur potius, ſeſe componunt: ut qui ſuarum gentium antiquiſſima quævis ad minutias uſque olim inquiſiverint. Cum id Græci necdum agere inſtituiſſent, ab Ægyptijs ſapientibus judicati ſunt pueri. Quod illorum judicium ipſemet Solon & Plato, ſapientiæ nomine Græcorum inter primos clari, non dubitaverunt poſteritati ita memorare, ut haud obſcurum ſit, ſimul etiam illud aſſenſu ſuo, approbaſſe. Et vero patriæ antiquitatis ignorantia, ejus certe cognoſcendæ negligentia, arguit profecto pueriliſ animi anguſtias, ſaltim in ijs qui doctrinæ laudem æmulantur. Quis ſane ingenio ad maſculam vim erecto non deſideret, præter ea quæ rerum noſtrarum quaſi oculis expoſita ſunt, vetuſta etiam quæque majorum ſcire, ſive proſpera ſive adverſa fuerint? Delectat utique permultum etiam horum cognitio: atque adeo vel ſola illa quæ hinc capitur ſuavis voluptas, idonea eſt

nea eſt

nea eſt quemvis ad hanc operam allicere. Agere vero hoc ipſum & pietas quædam jubet, quam majoribus debemus poſtgeniti: ut nempe quoad licet memoriam illorum ab oblivione vindicemus, & præclare geſta grato ſemper animo circumferamus. Ecquis ſane non impium facinus cenſuerit, ſupine contemnere majores, & cum poſſis nulla eos reverentia proſequi? *Pulcrum inprimis videtur*, dicebat Plinius, *non pati occidere quibus æternitas debetur:* quidni ergo ſit impium memoriam illorum occidere pati, quos oportet reddere ſempiternos? Nihil ſanè ab animo ingenuo impietate alienius eſt: nec poteſt aut ſolet ille temere quidquam omittere, unde mens innoxiâ voluptate perfunditur. Ut non indoctum igitur dixerim illum omnem, qui antiquitatum noſtrarum nihil didicit, ſi alia ſapiat; non tamen vere liberalis & vere ingenuæ doctrinæ eſt peritus, nec in majores quidem ſatis eſt ſanctus. Multo minus vero talis aliquis undequaque aptus eſt, ſive totius Imperij, ſive quarumlibet ejus partium reipublicæ, prudenter feliciterque adminiſtrandæ. Ita nimirum eſt comparatum. Caput ac principium conſiliorum in civitate quavis omnium, poſt ipſammet regendi artem, eſt noſſe rem illam quæ in deliberationem venit; præcipue quidem qualis in præſens eſt, ex parte tamen etiam qualis illa olim ſeſe habuerit. Et vero is demum plene rem novit, qui etiam antiquum ejus ſtatum haud ignorat. Quo quis ſane magis tenet priſcam cujuſque rei conditionem, quemadmodum ſcilicet illa vel ceperit, vel mutaverit, vel conſervata ſit, eo aptior eſt cum ad hoc, ut probe aliquid de re iſta etiam in futurum conſtituat, tum ad id ut ſententiam ſuam alijs perſuadeat, ijs certe qui aliquam antiqui ſtatus habent notitiam. Quamvis igitur interdum, etiamſi vetera ignores, dare conſilium rectum poſſis; ſemper tamen non poteris; imo ſemper rectius poteris, ſi & antiquiſſima quævis haud lateant. Hoc

ipſum inter alia illud eſt, Meibomi Præſtantiſſime, quod me judice cum cœteris rebuſpublicis, tum noſtris etiam hiſce Saxonicis plurimum damni hactenus attulit; quòd nimirum nonnulli eorum qui clavum tenent vetera quævis rerum noſtratum nimis parum comperta habeant, tantùm præſentium curioſi, cum videri tamen velint jura publica agitare, quorum bona pars conſuetudine h.e. lege non ſcripta conſtat, adeoque non niſi repetitâ retrò memoriâ intelligi poteſt.

Igitur Meibomi, non equidem ego diffiteor, ad civilem prudentiam ipſam, ſive univerſalem regendæ civitatis artem, comparandam longe utilius eſſe, verſari in Græca Romanaque veteri hiſtoria quam in antiquis noſtrorum rebus. Idque quoniam illa ſic tradita ſit, ceu fieri par eſt, non eventis duntaxat exquiſite narratis, ſed & cauſis omnium additis: quod genus hiſtoriæ aptum denique eſt parandæ philoſophiæ civili: noſtra autem monumenta antiqua perquam rudia ſint, fere cujuſmodi apud Romanos olim Annales quos maximos vocavere, aut qualia Cato Pictor & Piſo, admodum Pherecidis Hellanici & Acuſilæ in Græcis, condiderunt. Juvat tamen permultum hiſtoria antiqua, illa veterum Saxoniæ ſaltim rerum, ad regendas ipſas res hujus regionis; eo ipſo quo narrat quemadmodum illa, quorum hodieque paſſim uſus eſt, vel quæ obſervari jam deſierunt, antiquitus fuerint conſtituta. Nec vero, etſi univerſa quæ hiſtoria illa comprehendit haud perinde ad publicum alicujus civitatis noſtræ ſtatum faciant, ratio omnium eadem eſt: cum etiam illa quaſi privata ſaltim ex parte in publicum prodeſint, vel ſi non proſint æque in publicum, ſuum tamen hiſce aut illis noſtræ terræ privatum commodum præbeant.

Qua conditione Græcorum etiam Romanorumque hiſtoriam ſuperat noſtra. Quàm enim illius multum, omnino nihil, aut publice ad civilem prudentiam ipſam, aut privatim condu-

conducit! Quàm illius multum torquet potius lectoris animum quàm inſtruit! Enimvero plurima ejus ne Grammaticis quidem, ſive Græcis ſive Romanis, ad Oratorum Poëtarumque ſcripta rectius intelligenda proſunt: plæraque crucem novam quaſi figunt illis, cæteroquin in omni vita inutilia. Qualia enim amabo magnam partem ſunt, quæ ex Hiſtoria Græca aut Romana Philologi tanto ſupercilio & captant, & accepta jactitant! Ut nimirum *dicant*,

Nutricem Anchiſa, nomen patriamque noverca
Archemori; dicant, quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Vel vero uti narrent, *utra manus Veneris vulnerata ſit à Diomede*, quod Zopyrionem Grammaticum quæſivit olim orator Maximus. Aut qualia Didymum Grammaticum agitaſſe ſcribit Seneca: *de AEnea matre vera, libidinoſior an ebrioſior Anacreon vixerit, an Sappho publica fuerit.* Aut qualibus Tiberius Cæſar Grammaticos exercuit. Niſi vehementer ſane fallor, in rem magis eſt, ſcrutari iſthæc noſtra; quamvis & ipſa non magni interdum ſint uſus, illorum vero ſimiliumque peritia Litteraturæ & Philologiæ titulis ſuperbiat, ac nonnullos fere Remmij Palæmonis ritu faciat inſanire, ut in nullo doctorum ordine plures vane inflatos merito rideas. Non equidem nego & illorum eſſe ſuum aliquem uſum, ſaltim ad rectius intelligenda veterum ſcripta: eoque nec cum Seneca horum peritiam dixerim plane *ſupervacuam:* ceu multa alia *neceſſaria* quidem vitæ non ſunt, non propterea tamen omnino inutilia. Quemadmodum nec illud Senecæ admitti poteſt: *Plus ſcire velle quam ſit ſatis, intemperantia genus eſt.* Is tamen quem præbent illa uſum, reapſe per exiguus eſt. Quam ſcilicet jactura eſt levis, quantula inſcitia, ſi veterum ſcripta omnia non exacte intelligas! Bene S. Auguſtinus de litteratoribus: *Noſtros familiares graviter miſerari ſoleo, qui*

 ſi non

ſi non reſponderint, quid vocata ſit mater Euryali, accuſantur in-ſcitia. Sed & de quammultis eorum recte etiam Seneca: *Iſta liberalium artium conſectatio, moleſtos, verboſos, intempeſti-vos, ſibi placentes, facit, & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſu-pervacua didicerunt.* Vt igitur interſit quodammodo iſthaec ſcire: in vitae tamen noſtrae uſum praeſtat, quantum arbitror, patria illa & pene domeſtica haud ignorare.

In hiſce ergo eruderandis quum feliciter laboraverit Avus Tuus, Elegantiſſime Meibomi, praeclare profecto de republica totaque adeo Saxonia ille meritus eſt. Nec enim iſto in ſtudiorum genere cuiquam ille ſecundus fuit: pleroſque ſuperavit, & longo poſt ſeſe intervallo reliquit. Ne Crantzium quidem, Fabricium, Reineccium, Albinum, Chytraeum, Letznerum, Spangenbergium, Büntingum, principes hujus ordinis, excipio. Valuit enim non induſtria minus quam limato judicio: quorum hoc vel illud merito in omnibus aliijs deſideres. Hinc non piè tantum feciſti, edens in lucem praeclara haec Avi monumenta, ſed ſimul Saxoniam omnem inſigni affeciſti beneficio. Nec ſanè dubites, rem non Principibus duntaxat, interque eos illi verè AUGUSTO & incomparabili doctrinae aeſtimatori, ſed omnibus promiſcue intelligentibus gratiſſimam Te praeſtitiſſe; idque à ſera etiam agnitum iri poſteritate. Sed perge in praeclaro illo inſtituto, ô bone, & jam proxime publicato quoque, aut per partes aut uno volumine, varios Avi de Monaſterijs vicinis, ſive jam tum editos ſive hactenus deliteſcentes libellos. Imo novam curato editionem etiam reliquorum, ſaltim hiſtorici generis, Avi operum; cum & illorum pleraque jam tum in bibliopolijs nuſquam compareant, haud exiguo in publicum damno. Ad eaſdem vero curas vocant Te etiam Parentis Tui, Summi & Philologi pariter & Medici, longè doctiſſima illa ſcripta, quibus rem Medicam omnem & Litteraturae ſtudia e-

ſtudia egregiè excoluit; idque itidem cum ob ſcriptorum illorum propriam utilitatem, tum ejus quam Parenti debes pietatis nomine. Quid? quod pietatis vinculum ad hæc edenda magis etiam Te adſtringat: quantum videlicet Parens Avo propinquior eſt Tibi, Tuque huic majorem debes gratitudinem. Nec verò Tu vel Patri auguſtius & conſtantius erexeris monumentum; vel melius de humano genere mercare; vel denique ſtudia tua Medica, quibus paterno Te exemplo addixiſti, rectius nunc quidem excolueris. Cumprimis ſane ex re fuerit editio præclari illius operis, quo ſcriptorum Artis Medicæ hiſtoriam Parens perſecutus eſt: quippe quod indubie erit aliquando variæ ipſius doctrinæ monumentum ære omni perennius, & maximo rei Medicæ commodo. Cedet vero omnis hæc opera etiam Tibi in perpetuam laudem, & tanquam viam præparabit ad famam proprijs brevi laboribus parandam. Vetant enim ingenij præclaræ dotes, & ingens ille proficiendi ardor, jamque tum hac ætate comparata eruditio, etiam abs Te quidquam niſi magnum exſpectare, nihil certe quod ſit infra Avi Patriſque illuſtria exempla. Vale Helmeſtadij in Acad. Julia IIX. Kal. Novembr. Anno CIƆ IƆ C LX.

LVI.

Ad Petrum Lambecium V. Clariſſ. præmiſſa ejus Rerum Hamburgenſium libro ſecundo, edito Hamburgi anno 1661.

Clariſſime, Ampliſſime & Conſultiſſime Vir.

Binas abs Te literas dudum accepi, dudum etiam reſpondiſſem, niſi conſtitutum fuiſſet, in *ἀντίδωρον* aliquid meùm reſponſo addere. Video autem, hanc quidem commoditatem de die in diem procraſtinari; labi intereà tempus, non ſine metu meo, ne moram hanc diuturniorem ſiniſtrorſum accipias; eoque ſatius eſſe, ſaltem haſce mittere ſine ullo comite

& vacuas. Igitur quos fidei meæ atque inſtitutioni credidiſti, illos vel hoc etiam nomine mihi fuiſſe cumprimis acceptos, quod abs Te laudati adveniſſent, non dubito jam dudum Te accepiſſe. Forte verò jam tum etiã ab illis eſt ſignificatũ, quam ego frequenter Tui mentionem faciam cum præfatione laudis, quantoperè etiam ſeorſim Hamburgenſia Tua commendaverim. Et vero perſpectâ multijugâ doctrinâ Tua, improbus ſim equidem ſi non juſta laude Te proſequar. Hamburgenſia etiam ſuperant exſpectationem. Enimvero jam videram pridem Origines tuas, ſive librum primum Hamburgenſium: vix autem perſuaſeram mihi, paria Te & in ſequentibus præſtare poſſe. Experior autem, eam abs Te hîc etiam induſtriam dexteritatemque adhibitam, qualem antehac nemo quiſquam adhibuit: atque patriam, Vrbem inclytam, tuâ demum operâ ſiniſtras ſuſpiciones impoſterum effugere poſſe, Tibique proinde non poſſe ex merito referre gratias. Ego ſanè quod ijs addam, nihil habeo: niſi fortè deſideres ex Tabulario Archiepiſcopali Bremenſium aliquid abs me aliquando erutum, de jure Archiepiſcopali in urbem priſtino, ad Adolphum Holſatum ſeculo tertio decimo Chriſtiano devoluto: quò pertinent illa quæ ex Leerbekio notaſti pag. 147. Spero autem recenſurum Te impoſterum & ea quæ ad rempublicam Urbis attinent, ejuſque mutationes & conſervationem, ſimul & ſtatuta ſenſim pro temporis ratione condita. Hæc ſanè quàm maximè Urbium hiſtoriam decent; utpote ex quibus quam maxime eluceat cum fortuna earum tum prudentia. Et vero in patriâ Tuâ obſervo equidem plurima perquam prudenter inſtituta, quædam & vitio facta, nihil non memoratu digniſſimum. Utinam cives Tui capiant, quantum merearis! Sin, æterna tamen Tibi laus parata eſt apud intelligentes & poſteritatem, modò Tu perrexeris de patria tam bene mereri. Ubi occaſio ſeſe obtulerit, mittam &
meum

meum aliquid ſaltim ultimæ fœturæ: abs Te viciſſim quod eſt reliquum omne exſpectans. Id autem ut feliciter perficias, valeaſq; bono publico, Deum obſecro. Helmeſtadij 24. Junij 1661.

LVII.

Adjecta Metrophanis Confeſſioni doctrinæ Eccleſiæ Orientalis, editæ Helmeſtadij 1661.

Clariſſimo Viro JOANNI HORNEIO Græcarum literarum Profeſſori publico Collegæ compatri & amico ſuo S. P. D.

ANnos triginta ſex & amplius eſt, quum in hac ipſa noſtra Julia admodum adoleſcens ego obſervavi atque colui Metrophanem Critopulum, patriâ Berrhœenſem, Hieromonachum ex monte Atho, & Patriarchalem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Protoſyncellum. Miſſus ille aliquot ante annos erat à Cyrillo, qui Lucaris cognomento audit, Patriarchâ Conſtantinopolitano, in Angliam, inquiſitum in doctrinam & ſtatum Anglicanæ Eccleſiæ. Ut Germanicas Proteſtantium Eccleſias itidem cognoſceret, ejuſdem Patriarchæ ſui juſſu, nave primò Hamburgum appulerat, inde mox conceſſerat in Academiam hanc Juliam. Ubi aliquamdiu commoratus, peragravit deinceps ſed velociore curſu magnam Germaniæ partem reliquam, Venetijs mari Conſtantinopolim trajecturus, atque ita tandem rediturus ad ſuum Patriarcham: quemadmodum etiam fecit. Fuit nimirum Cyrillus iſte, poſtquam Sede Alexandrinâ relicta Conſtantinopolitanam conſecutus eſt, perquam curioſus indagator Eccleſiarum quæ in Occidente hoc atque Septentrione à Romani Pontificis conſortio receſsêre: eoque magna ipſi ſemper, etiam cum Oratoribus Britannicis & Belgicis ad Portam ablegatis, aliiſque Pro-

Proteſtantibus,fuit familiaritas.Et verò huic cum Britannicis cultæ amicitiæ debet Anglia illum unicũ fortaſſis hodiè Heſychianæ editionis,Veteris & Novi fœderis Græcum codicem, manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ circa primi Nicæni Concilij tempora literis grandioribus exaratum; ex cujus appendice publicavit Clementis Romani ad Corinthios exoptatam hactenus ſed fruſtra epiſtolam Patricius Junius, ut ex ipſo codice mox alia atque alia. Cornelij Hagæ Oratoris Fœderatæ Belgico-Germaniæ Ordinarij amicitia tantùm apud Patriarcham illum valuit, ut hujus ſuaſu denique non dubitaverit, ore & manu Confeſſionem fidei ſuæ edere, imò uti typis illa anno abhinc uno & tricesimo publicaretur, permittere: conformem omni ex parte Reformatorum ſententijs: quam etiam per graviſſimas ærumnas aliquot annis, donec infelice reſte periit, conſtanter profeſſus eſt. Digna cumprimis lectu eſt viri illius actuum hiſtoria, qualem Analectis Hiſtorico-Theologicis octavæ diſſertationi appendit V Cl. Joannes Henricus Hottingerus, aut verò ut illa traditur libello de Turbis Jeſuitarum in Oriente. Cui tamen licet addas, quæ memorat Vir item Clariſſimus, Leo Allatius lib. 3. cap. XI. n. 2.3.& 4, operis cui titulum fecit, de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis perpetua conſenſione. Quamvis hic ſit hoſtis Cyrilli infenſiſſimus, præ ſummo in Romanam Curiam ſtudio: atque omninò is, qualem ipſe depinxit, livoris occulti plenus, (noſti vetus illud Heſiodeum: καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ) Petrum Arcudium Græcæ ſuæ gentis magni item nominis ſcriptorem, ejuſdem libri cap. 7. n. 14. Tenacior Græcorum dogmatum & πατροπαραδόσεων fuit ſuo Patriarchâ Metrophanes. Nec enim audiendus Nihuſius, qui ſuſque deque habens etiam à calumnijs & figmentis patrocinium ſuæ cauſæ quærere, quum pater tuus ὁ πάνυ Conradus Horneius Græcos idem nobiſcum de S. Scripturæ canone ſentire, ex hoc ipſo quem nunc edis Metrophanis li-

nis libello aſſeruiſſet, non dubitavit erumpere in hæc verba Prologo in Allatium de Iohanna Papiſſa : *Cyrillus fuit Calvinianus, agnoſcentibus etiam Genevenſibus ac Batavis, qui Calvinum ſectantur; illoque adeò nomine dein condemnatus ab Eccleſia Græca ipſamet Synodis Conſtantinopolitanis duabus, quæ typis mandatæ proſtant publicè. Et Metrophanes Critopulus iſte erat ejus Cyrilli aſſecla. Quid mirum igitur, ſi magiſtri contraxerit indolem? Sanè, ſicuti Cyrillus fuit mentitus, confeſſionem quam ipſe vulgavit eſſe Græcorum omnium, ita nec meliore fide Græcis iiſdem adſcripſit ſuæ confeſſionis privatæ neſcio quam epitomen Critopulus.* Quin imò non erubuit repetere hæc initio ſtatim ſui Obeli: *Metrophanes ille Calvinianus magis quàm Græcus erat, quum teſtaretur iſtud: ſicuti eum etiamnum talem eſſe ex Græco habeo, qui & amicus ipſi & eidem pariter ſectæ affinis, aſſerens teneri nunc ab eo Patriarchatum Alexandrinum.* Non viderat quidquam hujus libelli Nihuſius, & aliunde ſatis conſtat communis Græcorum de Canone à Tridentinis diſſenſio, & tamen homo ille ita auſus fuit de libro hoc nunquam ab ſeſe viſo judicare. Multò maximè verò Metrophanem ab illa ſuſpicione nunc liberaverit apud omnes ipſe hic liber publicatus. Sed & qui Cyrilli ſententias amplexatus ſit Metrophanes jam tum Alexandrinus Patriarcha, quum utique Nihuſio haud latuerit nomen Metrophanis hujus, tanquam Papæ & Patriarchæ τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, primæ illarum ab ſeſe laudatarum Synodorum ſubſcriptum, qua ſingulis ferè Cyrilli ſententiis, curante Cyrillo Berrhœenſi, dictum eſt anathema? Non diſſimulabo tamen, illius Cyrillianæ Synodi formulam, qualis quidem Latinè primum Laureti anno triceſimo nono in Vindiciis Sylveſtri à Petra ſancta Ieſuitæ, inde & Græcè in Batavis ex Leonis Allatii manuſcripto anno quadrageſimo quinto, & triennio pòſt in opere Allatii de perpetua Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ conſenſione l. 3. cap. XI. n. 1. edita eſt, per quam

ſuſpectam mihi videri. Non quidem, quaſi Berrhœenſis ille Cyrillus, quem parricidam ſucceſſorem nactus eſt infelix Lucaris, poſſet credi mitior in Lucarem. Fuit enim Romanis partibus, quorum nummis Patriarchatum adeptus erat, totus addictus, inſtitutus etiam in Ieſuitarum ſcholis, & jamdudum Lucaris inimicus capitalis. Quas inimicitias non religionis cauſâ fuiſſe natas ſed ex ambitione, ipſemet Leo narrat in illa ad Nihuſium epiſtola, quam in laudem Berrhœenſis iſtius publicavit n. 5. Recitabo tibi ipſamet viri verba. *Cyrillus Lucaris Patriarcha Berrhœenſem ad Eccleſiæ res procurandas animisq. Chriſtianorum providendum Theſſalonicam mittit; qui ſplendore magnitudineque civitatis pellectus ab eodem Lucari Theſſalonicenſem Epiſcopatum exorat. Cum non impetraſſet ab amico cui maxime fidebat, & à quo majora etiam ſibi pollicebatur, irâ ſibi facem ſubminiſtrante, odia capitalia in Cyrillum exercuit; quæ neque novis promiſſis, neque amicorum interceſſionibus, neque ullo alio beneficentiæ munere, reſtincta ſunt. Hinc frequenter inſidiæ ac ſæpius pertentatæ ab utroque fraudes Conſtantinopolitanum Clerum exagitarunt: donec ejecto Cyrillo ſuffocatoque ipſe Patriarchatum iniit.* Hæc Leo. Diſcere verò eſt ex eadem epiſtola, illum Berrhœenſem fuiſſe *obſtinatiorem obfirmatioremque in propriis conſiliis; & cùm iracundè non tantùm verbo, ſed etiam manu cum Præſulibus egiſſet, multorum invidia ſubita, contumelioſe è ſede truſum & Tunetum ablegatum, ibique tandem laqueo ſuffocatum periiſſe, ſed in communione cum Eccleſia Romana; eòque actum Romæ de illo in ſanctorum Martyrum numerum referendo.* Non igitur ideo mihi ſuſpecta eſt iſthæc formula, quaſi habeat aliquid ab animo Berrhœenſis illius alienum, ſed duabus aliis de cauſis longe gravioribus, quas ſuggerit edita & Pariſiis pariter & in Hollandia, idque ſive cum aliis ſive in Leonis illo opere, Synodus Conſtantinopolitana à Parthenio Patriarcha habita anno ſecundo poſt quadrageſimum. Primùm enim obſervare eſt nomina eorum qui ſubſcripſere.

ſcripſere huic ſynodo planè alia ab iis quæ leguntur notata ſynodo illius Berrhœenſis, etſi iisdem fuerint muneribus functi, & necdum triennio hæc Partheniana ab altera diſtet; tàm brevi autem temporis intervallo magnam adeò hominum rerumque factam mutationem, haud ſiat veriſimile. Deinde in præfixa illis Parthenianis ſynodicis epiſtolâ Arſenij Hieromonachi Conſtantinopolitani, ſcriptâ anni quadrageſimi tertij initio, quo probetur Cyrilli Lucaris Confeſſionem non placuiſſe Græcæ Eccleſiæ, tantùm memoratur unica Synodus Partheniana, prioris alicujus nulla omninò factâ mentione: quæ tamen ſilentio tegi nec potuit nec debuit, ſi quæ talis fuiſſet celebrata. Nec verò non licet longè tutius fidem habere illis Parthenianis; ut quæ Pariſiis ſtatim publicata ſint ad exemplar in Moldavia excuſum, cum præmiſſa Arſenij illius monachi epiſtola, idque curante & Latinè vertente ipſomet Hugone Grotio (ſi credimus B. Nihuſio id narranti Programmate poſteriore libri, cui nomen, Concordiæ Nationum Chriſtianarum) & inſerta deinceps Allatiano operi.

Sed non eſt quod multum nos moremur illas improbas fraudes: (abſit enim, ut *pias* vocemus) revertemur potius ad noſtrum Metrophanem. Is quum apud nos degeret, (degit autem, niſi fallor memoriâ, annum integrum, cum omnibus gratus, tum cumprimis magnis illis duumviris, Calixto noſtro & patri tuo, alterius domo alterius convictu utens familiariter) rogatus conſcripſit exiguo libello Orientalis Eccleſiæ compendioſam hanc confeſſionem. Orientalis inquam h. e. Conſtantinopolitanæ & quæ cum illa hodie doctrinæ teſſeram habet communem: quamvis olim, florentibus Imperij Romani rebus, Orientalis Eccleſia κατ' ἐξοχὴν audiverit illa, quæ in Diœceſi, ceu appellabant, Orientis Patriarcham agnoſcebat Antiochenum. Potuit ſanè quod rogatus erat optime omnium præſtare: quandoquidem valebat ingenio, judi-
 cio,

cio, & doctrina non proletaria. Eccleſiæ autem ſuæ fidem & placita qui ignoraverit, inſtitutus ἱερομόναχος in monte Atho, illo ſeminario monachorum uberi adeò ut hinc ſancti montis nomen acceperit, & ob peritiam ac dexteritatem in πρωτοσύγγελον ſive primarium ſigilli Patriarchalis cuſtodem, (quæ magna in Patriarcheio eſt dignitas) jam tum evectus? Non levis etiam erat aut vanus, quales mentiendi libidine agitantur, ſed vir planè gravis in omni vitâ & probitate ſingulari. Nec erat, quare apud nos quidquam Eccleſiæ ſuæ diſſimularet: omnibus ingenuum candidumque teſtimonium flagitantibus, nonnullis ea quoque Græcarum rerum peritiâ valentibus, ut non temerè poſſet ipſis imponi. Multò minus ſive honor, ſive opes, ſive voluptates, oſtenſæ fuerunt fingenti in præmium. Procul abfuerunt ſemper noſtratium mores ab ejusmodi corruptelis & improbis lenociniis. Tales inescandi artes ad profitendum conſenſum damnat univerſa Eccleſia Proteſtantium. Fœda certè & turpi calumniâ Eccleſiis noſtris impingitur, quaſi illæ unquam ejuscemodi illecebris Græcam Eccleſiam in unionem allexerint: quamvis meritò omnes eam ſalva veritate optemus ac deſideremus, & technas illas Romanenſibus perquam fuiſſe familiares haud neſciamus. Qui proinde ſequius aliquid de hoc Metrophanis libello ſuſpicari velit ad Nihuſii exemplum, is profectò magnâ, aut bonum illum virum aut noſtros, imò utroſque, injuria affecerit.

Sufficit autem in tutelam ſibi ipſemet liber: omnes quæcunque vel cum univerſis occidentalibus, vel ſeorſim aut cum Romanenſibus aut cum Proteſtantibus, Græcæ Eccleſiæ intercedunt controverſias, & ingenuè narrans & pro virili propugnans. Nec verò quod equidem ſciam quidquam ejus hic diſſimulatum reperire fuerit, quantumvis fortè de paucis nonnulli inter Græcos etiam diſſentiant, quemadmodum & alias

fieri

fieri aſſolet. Quapropter Tu etiam, Vir Clariſſime, rem egregiam præſtitiſti, non tantùm publicato, ſed etiam Latinè verſo hoc opuſculo: utpote quod compendioſe exhibeat placita omnia, certè pleraque, Eccleſiæ Græcæ, etiam quibus illa abs reliquis Eccleſiis diſſentit. Scio quàm ſit difficile Eccleſiæ alicujus doctrinam tradere: idque quandoquidem illa eſt reapſe cœtus integer hominum multorum: quorum bona pars ſæpè ne aſſequitur quidem omnia, quæ ſapientioribus ſunt tamen δόγματα κύρια, ſive præ ſimplicitate ingenii, ſive ex ſumma incuria: pars aſſequitur quidem & conſentit, ſed interdum tamen interpretatione nonnihil aliâ atque aliâ adhibitâ Iam verò, ſi accuratè quidem velimus loqui, non poteſt Eccleſiæ appellari ſententia, quam bona ejus pars ignorat: nec illæ ſingulares interpretationes referri poſſunt inter totius Eccleſiæ ἀρέσκοντα. Quæcunque tamen ſententia non rejicitur ſive ab omnibus ſive à plerisque, illa quin poſſit Eccleſiæ vox haberi, non videtur dubitandum. Saltim hujus verò cenſus eſt hæc Metrophanica Græcæ Eccleſiæ confeſſio. Neque enim habet hæc quidquam, quod videas ab hujus ævi Græcis ſcriptoribus Eccleſiaſticis aut omnibus aut plærisque rejici: quamvis reperire ſit Græcos nonnullos de cultu imaginum, adoratione ſanctorum, rituum auctoritate, aliisque longè craſſius philoſophatos.

Ex hac ſanè Confeſſione & ſimilibus ſcriptis multò rectius petere fuerit Græcæ quæ nunc eſt Eccleſiæ placita, quàm quâ ratione indaganda iſthæc vult Leo Allatius, cùm alio tum illo præſertim quem de Purgatorio edidit libro. Præfert ſcilicet ille Liturgica: quaſi hæc demum auctoritate Eccleſiæ publica loquantur, ac proinde omni exceptione majus præbeant teſtimonium. Verumenimvero non caret quidem ſimilitudine recti iſthæc Allatij ſententia, quoniam ſunt libri illi Eccleſiæ publici, atque adeo merentur fidem: *primo* tamen

non omnia continent quæ ſæpenumero ab Eccleſiis quam maxime in præſens urgentur: *deinde* inuſitatas inſperataſque patiuntur nonnunquam interpretationes, quarum ſenſu unice conſtant illa quæ obtinet Eccleſiæ doctrina; perinde ut aliàs in vita humana magis ad receptas interpretationes reſpiciendum eſt quam ad primævum genuinumque vocabulorum uſum. Enimvero non in Eccleſia minus quàm in omni civili ſocietate, gliſcente jam tum magnarum etiam rerum mutatione, manent tamen nomina priſca; imo ſæpe illa integra ſuperant dudum jam obliteratis perditiſque primis veriſque eorum ſignificationibus. Sic Tacitus obſervat, Romæ Auguſto Cæſare *eadem magiſtratuum vocabula, at verſo civitatis ſtatu nihil usquam priſci & integri moris ſuperfuiſſe.* In Romana Eccleſia idem accidiſſe, uſque eſt adeo notum, ut æquiores quique ac prudentiores id diſerte fateantur. Ipſamet Gabrielis Albaſpinæi doctiſſimi Aurelianenſium Epiſcopi verba produxi in meâ ad Caſſandrum præfatione. Quidni igitur idem accidere potuerit in Eccleſia Græcâ? Nemo certè prudentior non id metuat, gnarus *cuilibet contingere poſſe quod poteſt cuiquam.* Si ad nuda verba ſane reſpicias, ſemotâ nonnihil curâ interpretationum, dixeris omnes Chriſtianos ſentire idem, cùm & S. Scripturam omnes venerentur & conſonent in eodem Fidei ſymbolo. Igitur etſi libri illi Liturgici meritò conſulendi ſint quo Eccleſiæ Græcæ placita intelligas, nec omnia tamen inde poteris diſcere, nec niſi adhibita interpretatione quam πρᾶξις ſuggerit & conſentiens doctrina eorum qui in Eccleſiæ rebus probè ſunt verſati. Indubiè, ſi animum intendat, hoc ipſemet etiam Allatius intelligat, qua eſt inſigni eruditione. Tacebo enim nunc, quod alibi Triodium & Typicum, ſolennes Græcorum Liturgicos libellos, hæreticos proclamet, nec tamen velit Græcos eſſe hæreticos. Tantùm ſcilicet amor tuendi illius paradoxi, quod Eccleſia Græca idem cum Roma-

Romana ſentiat de Purgatorio igne, quo nihil magis utriuſque Eccleſiæ communi & publicæ ſententiæ adverſatur, adegit virum, rejicere apud omnes hactenus receptum morem diſcendi Eccleſiarum dogmata.

Quin ergo Metrophanica hæc Confeſſio idonea ſit ad id, ut hinc Græcæ Eccleſiæ doctrina, ſaltem præcipua, poſſit addiſci, non eſt quod in dubium vocetur. Bene meritus ſanè es, Clariſſime Horneje, & de noſtro pariter ævo & de poſteritate, qui libelli hujus cum Latinâ verſione tum publicatione, illa vulgo minus cognita jam paſſim omnes doces. Abſit enim ut propterea tibi quis ſuccenſeat, quia hic liber ſimul docet quantùm Eccleſia Græca & in univerſum à Latina omni, & ſeorſim à Proteſtantium quoque Eccleſiis diſſentiat. Dolori enim quidem meritò eſt omnis illa diſſenſio, (quis ſane Chriſtianus non malit omnia & inter ſeſe & cum vero conſonare?) præſertim quum hinc liqueat pariter, quàm longe etiam in Oriente paulatim à regia ſalutis via diſceſſum ſit, poſtquam παραδόσεις in partem divinæ vivendi regulæ tranſierunt; attamen ex re imò ſuave eſt ſcire, etiam nævos, etiam morbos, quamvis ampliſſimi illius Chriſtiani cœtus: cùm

quibus ipſe malis careas quia cernere ſuave eſt,

tum potiſſimum quò liceat rectius Græcorum quoque affectibus mederi, quod fieri non poteſt, ſi ignores illos ſive inani eorum diſſimulatione tibimetipſi aliiſque imponas.

Procul abſit ſanè, ut quoniam & Græca Eccleſia à Proteſtantibus diſſentit, propterea ſequius ſuſpicemur de dogmatum noſtrorum veritate. Enimvero dudum edocti ſumus, ſententias religioſas ad unicam S. Scripturæ normam, & quæ huic ſuccenturiatur, unanimem primævæ aureæ Eccleſiæ conſenſum expendere; ſpretâ ſive multitudine ſive paucitate idem aut diverſum hodie fortaſsè ſentientium. Hoc illud eſt Proteſtantium Palladium; hæc propria illorum gloria. Etiamſi

nec

nec inter illos deſint controverſiæ, regula tamen & norma fidei omnibus una hæc eſt eademque. Eoque nec diſſenſio quæ eſt Græcorum à Romanenſibus & cum noſtris conſenſio, à quoquam Proteſtantium numerata eſt inter veri nobis faventis certa indicia; ſed allata duntaxat in aliquam ejus illuſtrationem. Quod ſane Allatius ſcribit, ſuâ ad Alexandrum Papam libro de Purgatorio præfixâ epiſtolâ: *hoc nobis eſſe clavam Herculis, Ajacis Clypeum, & Achilleum argumentum*; ad cumulum illum pertinet calumniarum, quas paſſim in Proteſtantes plenus zeloticæ inſaniæ effundit. Eſt autem in viro iſthoc eò minus id tolerandum, quum non fugerit illum, à noſtris hominibus ultrò edita eſſe omnia quæ inter Patriarcham Hieremiam & Tybingenſes Theologos fuerunt agitata, Chytræi item de ſtatu Eccleſiæ Græcæ orationem; imò quum ipſemet libro tertio cap. xv. n. 44. operis de Perpetua conſenſione, adduxerit varias noſtrorum de erroribus Græcorum plurimis querelas. Et verò ut dolemus, ita etiam non diffitemur, ſatis multa eſſe Græcis etiam communia quæ in Romanenſibus nos reprehendimus. Imò eorum nonnulla cœpiſſe primum in Oriente, & hinc in Occidentem propagata (illam ſcilicet nimiam τῆς θεοτόκου ſanctorum martyrum & imaginum adorationem, illam monaſticæ vitæ ἐθελοθρησκείαν, & fabuloſam ſanctorum hiſtoriam) omnia licet in pejus aucta ſint apud Latinos, dudum noſtri ſunt conqueſti. Quin nec illud volumus diſſimulatum, quod in quibusdam noſtræ & Romanenſium Eccleſiæ conſentiant adverſum Græcos: qualia ſunt ex. gr. illa περὶ ἐκπορεύσεως & de fermentato. Eſſe tamen per ſatis multa etiam, quæ Græci nobiſcum in Romanis deteſtantur, gaudemus & meritò nos Romanenſibus objicimus.

Nec verò eſt quod moveat quempiam Allatiani illius operis titulus: *De perpetua Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ conſenſione.* Quamvis enim opus ſit magnum & à multa lectione egregie

gie inſtructum, nihil tamen minus agit quam quod titulus pollicetur;qui reapſe totus eſt inanis,imo ipſimet operi planè adverſus: omni ſcilicet grandi illo volumine,ſi pauca quædam noni decimi & duodecimi capitum libri tertij excipias(quædam, inquam,namque & hæc capita diſſenſionum plena ſunt) in certaminibus, quæ multis jam ſeculis Græcam Latinamque Eccleſiam diviſere, ſive narrandis, ſive in Latinorum gratiam propugnandis, occupato. Nec verò vel tale quid agit, quale Petrus Arcudius circa Sacramenta eſt conatus, vel præſtiterunt hactenus cum Romanenſium tum Proteſtantium nonnulli viri eximij, oſtendentes illas περὶ ἐκπορεύσεως, deque fermentato, & ſimilibus, Græcorum ſententias, non mereri ſchiſma, multò minus hæreſeos nota infamandas eſſe. Ex nullo ſane opere alio diſſenſum utriuſque Eccleſiæ plenius forte didiceris: ut nec alius illi titulus rectiùs conveniat quàm hic: *De Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ diſſenſione*. Ea re permotus ſcripſeram ego jam tum libro de Purgatorio in hæc verba: *Rectius omnis ille liber diſcordiam Græcæ & Romanæ Eccleſiæ prodit, quàm utriuſque concordiam: utut hoc potius præ ſeſe ferat libri titulus*: Clariſſimus Titius noſter, ſententia mea probatâ, addiderat, opus Allatianum inſcribendum potius: *De diſſenſu Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ*. Allatium verò, cum ad hoc à Bartoldo Nihuſio(ita enim videtur) eſſet incitatus, uſque id adeò pupugit, ut denuo Romæ *Diſſertationem* ediderit,titulo: *De perpetuo Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis tam in dogmate quam in ritibus conſenſu*,quam appendicem voluit eſſe libri cui nomen indidit: *De utriuſque Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua in dogmate de Purgatorio conſenſione*.In utroque autem æquè ſeſe inepte geſſit, quamvis in Proteſtantes, qui illi Græculo non audiunt niſi hæretici, peracerbus. Ringitur enim in ſuâ Diſſertationi præfixâ Epiſtola, quod ita nos judicaverimus, non additâ ſententiæ probatione: quaſi ſcili-

ſcilicet hoc fuiſſet inſtituti noſtri, aut quaſi multâ opus ſit probatione. Percurrat enim quis modò *Synopſim* magni illius operis, qualem ipſe præmiſit, ſi paucis illis exceptis aliud tribus integris libris agi obſervaverit, quàm quod diximus, de perpetuis certaminibus, paratus ſum recantare ſententiam. Iam verò etiam ipſamet illa *Diſſertatio*, maximâ utique ſui parte, verſatur itidem in propugnandis Occidentalium placitis adverſum inſultus Græcorum: in concordiâ autem quadam oſtendenda per eſt parca: denique verò affirmat, *nullum ſeſe dubitare, poſituros nos pervicaciam, & intellecturos, in POTISSIMIS myſteriis fidei utramque Eccleſiam, & Romanam & Græcam, eadem tenere & ſentire*, tanquam hoc fuiſſet probandum & noſtrorum quiſquam negaſſet. Quod quid eſt aliud quam repetita vice nugari? Eſt vero & libri de Purgatorio propemodum haud diſpar tractatio; ut nunc taceam ridiculam diſputandi rationem, quæ adverſus me ibi adhibetur, de quâ aliàs. Enimvero pari jure quis inſcripſerit I. Cæſaris commentarios, *De concordia Romano-Gallica*, aut *De Pace civili*: quo Allatiani iſti libri, conſenſionem Romanæ & Græcæ Eccleſiæ ab ſeſe doceri, volunt credi.

Verùm hæc tanquam inepta ut meritò contemſeris: ita indignationem forte mereatur, quod idem ille Allatius paſſim diſſerat; quaſi ſoli Proteſtantes doceant, aliquandiu hactenus & nunc etiam, Occidentalem Orientalemque Eccleſiam inter ſeſe de nonnullis graviter diſſentire: cùm tamen dudum ante Proteſtantes natos, ab ipſiſmet Papis Romanis, ab ipſiſmet Conciliis quæ Latinæ Eccleſiæ œcumenica audiunt, imò à nullo ferè non, qui mentionem fecit utriuſque Eccleſiæ, ſive Latino ſive Græco ſcriptore, hoc ipſum ſit apertè traditum: cumque ab exortis porrò Proteſtantibus, nemo itidem id quidem negaverit: & quod caput eſt, cum ipſemet Allatius pene totus ſit in certaminibus illis narrandis. Et verò præter illos ψευδωνύμους Conſenſionum libros,

bros, publicavit Allatius duo integra volumina Græcorum pro Latinis pugnantium ſcriptorum (ipſe *Græcia Orthodoxa* titulum ijs fecit: quaſi paucorum aliquot Græculorum cum Latinis συγκρετισμὸς Græciæ ὀρθοδοξίαν demonſtrare poſſit) quæ inter unicam Ioannis Pluſiadeni *de differentiis inter Græcos & Latinos deque ſynodo Florentina Diſceptationem*, legiſſe ſatis eſt, quò intelligas, num Græci agnoverint Eccleſiæ ſuæ cum Romanâ concordiam. Igitur illa quidem Allatij calumnia ut viro docto eſt indigna, ſic nimium quantum à recto abit. Gemina tamen eſt illi ejusdem Allatij alteri, quâ alibi Ioannæ Papiſſæ fabulam, *hæreticorum* (hoc præclaro nomine audiunt ſemper Allatio Proteſtantes) *impoſturam* appellitat: quum tamen ipſemet haud ignoret, jam à quatuor amplius ſeculis vulgò paſſim terrarum in Romana Eccleſia creditam, & à primo Ioanne Aventino, Proteſtantium utique fautore, confutatam illam eſſe, imo cum videatur in media Roma nata, & ab ipſiſmet Romanis Papis, ſaltim illis qui Ioannes viceſimus primus & viceſimus ſecundus haberi voluerunt, ante aliquos centum annos pro vero habita. Fortaſſis vero illa nimia calumniæ iſtius inſania facit, ut non tam indignatione quàm commiſeratione auctorem ejus debeamus proſequi: Virum ſcilicet Græcæ Latinæque linguæ peritia egregie inſtructum, ad illas ineptias à zelotico in Romanam curiam affectu abripi potuiſſe. Vt illis potius ſit ſuccenſendum librorum cenſoribus, qui etiam Romæ talia edi atque ipſimet Papæ Alexandro offerri & patiuntur & approbant: cum tamen ſint conjuncta cum Pontificiæ Sedis & univerſæ Romanæ Eccleſiæ haud exiguo dedecore; cedant imo in opprobrium ipſi Alexandro: cui Conſenſionem Allatianam probanti adhuc Fabio ut ignoſcas, hæc nova παράδοξα tamen jam Papa jamque vicedeus ut admittat, in eundemque rurſus ut impingat lapidem, haud eſt, tolerandum. Si nimirum perpetua fuit hactenus inter Roma-

nam Græcamque Eccleſiam conſenſio, ſi nulla eſt utriuſque Eccleſiæ de Purgatorio lis, ſi ſoli Proteſtantes credunt diſſidere illas Eccleſias; utique doctores Romanæ Eccleſiæ tantùm non omnes, Concilia item Latinorum complura, Pontificum denique plurimi, qui per aliquot ſecula non dubitarunt ſchiſmatis, imo hæreſeos, varia ob dogmata, damnare Græcorum Eccleſiam, immanem in modum & ipſimet ſunt falſi & fefellerunt alios, atque univerſum Chriſtianum orbem graviſſime turbaverunt. Longè profecto rectius & prudentius; quin & actis perpetuis conformiter magis, (etſi itidem non omninò rectè) etiam poſt Leonis Allatij Epiſtolam ſive Diſſertationem jam tum Romæ editam (quam tamen ait ſibi nondum viſam: quod mireris, cum præcedente anno ibi prodiiſſet in lucem) in hæc verba anno quinquageſimo ſexto Romæ ſcripſit Honoratus Fabri Ieſuita, libro tertio operis quod Indifferentibus hujus ſeculi, quos appellat, voluit oppoſitum: *Græcorum errores damnati ſunt diverſis conciliis; ſcilicet Lateranenſi quarto, Lugdunenſi ſecundo, Viennenſi, Florentino: quibus, ſi Viennenſe excipias, ipſi Græci interfuerunt, manuſque dederunt poſt longas diſputationes, in quibus ſemper inferiores extiterunt. Mira profecto eſt hujuſmodi Hæreticorum aut Schiſmaticorum indoles: qui toties errores ſuos ejurarunt Eccleſiæ Romanæ reconciliati, ac deinde ad vomitum redierunt. Quater & decies converſos ac relapſos eſſe, antiquis hiſtoriarum monumentis traditum eſt.* Hæc ille. Quæ ideò etiam merentur attentionem aliquam, quoniam nonnullis hoc quoque Ieſuitæ opus quantivis videtur pretij. Iam dudum ante vero ejusdem collegij Socius inter primos Bellarminus ſcripſerat: *Quod apud Græcos non ſit Eccleſia probamus hoc modo: quia nimirum convicti ſunt legitimè in tribus plenariis conciliis Lateranenſi, Lugdunenſi, & Florentino, de ſchiſmate & hæreſi.* Illâ ipsâ bullâ qua Lutherum damnavit Leo Papa, ſimul etiam Græcos hæreticis accenſuit. Imo nondum effluxit ſeculum, cum Pius V

Papa

Papa edita bulla, de Græcis in regno Neapolitano & Siciliæ ſecundum mores & ritus Eccleſiæ Græcæ viventibus, ſcriberet : *In diverſas hæreticas nefariasque opiniones & abſurda deliramenta paſſim prolabuntur : aſſerentes inter alias eorum blaſphemias, nullum eſſe defunctorum Purgatorium, Romanum Pontificem aliquam in eos juriſdictionem vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo conceſſas damnantes, Eccleſiaſticas ſententias & cenſuras ab eo latas ſpernentes, ſanctiſſimæ Dei genitricis virginis Mariæ beatorum Apoſtolorum & aliorum Dei ſanctorum feſtivitates ab Eccleſia Romana ſanctisque Patribus ordinatas non obſervantes, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuis infantibus in baptiſmo exhibentes, inhumata defunctorum cadavera ſuperſtitione quadam impia & plusquam barbarica è ſepulcbris eruentes igneque comburentes, & Ordinariorum locorum quos habitant viſitationem juriſdictionemque contemnentes, & Eccleſiaſticam diſciplinam perturbantes; ac demum hujusmodi aliisque ſuis opinionibus erroneis atque ſacrilegis populos Latinos inficientes, correctionemque legitimam ſuæ prætenſæ exemptionis clypeo repellentes, in ſuis impietatibus abuſibusque conſeneſcunt & immoriuntur, in ſuorum vicinorumque populorum, præſertim ſimplicium animarum, perniciem, & ſcandalum plurimorum.* Bulla iſthæc & Bullario magno ab Antonio Cherubino & ſeptimo Decretalium libro à Petro Matthæo inſerta eſt. In facili verò mihi eſt, ſimiles complures Pontificum Græcos ceu hæreticos damnantium bullas, ex omnibus ante ſeculis à Photij uſque ævo repetitas, adducere, ſi pateretur inſtitutum. Vt meritò non poſſimus non indignari, eò impudentiæ Romanenſes quosdam nunc prolabi, ut fronte perfricta auſint, tantùm quò nobis ægre faciant, jactitare Græcæ Romanæque Eccleſiæ perpetuum conſenſum, contra perpetuam fidem utriuſque Eccleſiæ monumentorum, ipſorumque Paparum infallibiles ſcilicet bullas.

Et tamen ſimul Romæ placuiſſe viſum eſt improbum facinus

cinus, mox uſque adeo crevit inſipientia, ut Bartholdus Nihuſius, (ad inſaniam uſque odio Proteſtantium partium à quibus inconſulta levitate deſciverat, flagrans ζηλωτὴς, is qui idem Allatio incentor fuerat profitendæ Conſenſionis,) non fuerit verecundatus, Moguntiæ publicare librum ſuperbo hoc titulo: *Concordia Nationum Chriſtianarum per Aſiam Africam & Europam in fidei Catholicæ dogmatibus, apud borealis Europæ Proteſtantes deſeri contra fas pronuper cœptis, indicata ab Abrahamo Ecchelenſi Maronita & Leone Allatio Græco*: quibus duo ipſe Nihuſius addidit quæ vocat Programmata, hiſtrionicâ vanitate, riſui aptâ movendo, referta. Eſt autem qui ibi continetur liber Leonis Allatij illa eadem Diſſertatio, cujus paulo ante memini, ſive *Epiſtola de perpetua conſenſione Latinæ & Græcæ Eccleſiæ*, (de cujus juſto pretio jam eſt dictum) addita Ioannis Vecchi Patriarchæ Conſtantinopolitani ſed loco pulſi de Proceſſione Spiritus S. pro Latinis diſputatione. Abrahami Ecchelenſis autem jactantiam ejuſdem eſſe cum Allatianâ notæ, ſufficit duobus indiciis ab ipſomet ſuggeſtis addiſcere. Hæc ſcilicet ejus verba ex epiſtola quadam adducit Nihuſius Programmatis primi pag. 50: *Orientalium dogmata vel hæreſes ex eorum ſcire fontibus, plurimum intereſt.* Si hæreſibus autem ſunt Orientales illi infecti Abrahamo fatente, quî poſſunt eſſe in Fidei Catholicæ dogmatibus cum Romanis concordes? In præfatione libelli hæc ejuſdem ſunt verba de Orientalibus: *Nationes iſtæ longiſſimis terrarum diſſitæ ſunt ſpaciis, variis imbutæ moribus, diverſis utuntur linguis, & quod caput eſt, inveterata intima atque incredibilia tam inter ſeſe quam cum Romanâ Eccleſiâ exercent odia, ob ea diſcrimina quæ inter illos controvertuntur de myſterio incarnationis Verbi divini; de hoc enim omnium Chriſtianorum Orientalium tam inter ſeſe quam cum Eccleſia Romana, diſcordia verſatur.* Hæc cum veriſſima ſint, quâ fronte licet nihilominus gloriari de dogmatum Fidei inter Orientales & Romanos concordiâ?

Dixerit

Dixerit quis fortaſſis; in reliquis tamen dogmatibus eſſe concordiam. Et verò jactitat Ecchelenſis iſte alibi: *in me recipio demonſtrare, Orientales illas nationes in nullo quidem vel minimo articulo cum Novatoribus ac ſigillatim Calviniſtis convenire; præſertim in iis qui inter iſtos & Eccleſiam Romanam controvertuntur articulis.* Cæterùm non eſt hujus loci vel hanc vanitatem glorioſi hominis juſtis argumentis coarguere, cum conſtet, ſaltim Sacroſanctæ Trinitatis fidem Novatores quos vocat habere cum Orientalibus communem eandemque; & in univerſùm omnes Orientales negent infallibilitatem cum Eccleſiæ tum Pontificis Romani, non minus atque Novatores, de quo tamen præcipue inter hos & Romanenſes hodiè controvertitur, cùm Romanenſibus ſit primum Catholicæ fidei principium. Vt taceam quamplura alia, quæ facile prodiderint ſeſe, ſi decreta & fulmina Tridentina jubeas illos ſuo conſenſu roborare. Nec verò eſt, quare & circa Papæ auctoritatem omnes concordes eſſe credamus, moti ridiculò Abrahami promiſſo, *de libello qui exhibebit Conſenſum omnium populorum de primatu S. Petri & ſucceſſorum ejus.* Sed quid te detineo in illis deliriis? Nec enim noſtrâ multum refert, quid Orientales illi ſentiant; quia utique non ab Apoſtolis ipſis, quibus ſolis nos credimus, ſua hauſerint placita, ſed longe recentiore cœperint origine. Quam ſane vel illa ſint fabuloſa de Thomæ Apoſtoli in Indiam propagata doctrina, Thomæos autem Indos nomen ſuum hæretico ævi ſequioris homini debere, ipſos inter Pontificios rerum Indicarum peritiſſimi non amplius diſſimulant.

Redeundum eſt ab illis Orientalibus ad Orientales noſtros Græcos. Hos in nonnullis propiores Romanenſibus eſſe, attamen etiam ab hiſce graviter diſſidere, affirmabam. Eſt verò id quidē apud utriuſq; partis ſcriptores in univerſum omnes extra controverſiam poſitum; niſi quod primus Leo Allatius auſus ſit perpetuam conſenſionem ſumma & intolerabili vanitate profiteri,

ri, ac Proteſtantibus per calumniam adſcribere, quaſi illi ſoli diſcordiam Græcos inter & Latinos ſupereſſe doceant. Agam verò aliàs cum Leone de omni iſthoc argumento prolixius fortaſſis, ubi vacaverit examinare librum ejus de Purgatorio: quem mihi voluit Romæ oppoſitum, nomine tamen & meo & libelli mei diſſimulato, verbis quoque meis mutilatis perverſis & confuſiſſimo ordine productis, quod novum eſt genus cum adverſario coram orbe judice contendendi. Cæterum de controverſiis Romanæ Græcæque Eccleſiæ ita quidem non dubitavit ſcribere & Hugo Grotius ὁ πάνυ in ſuo quod appellavit Pro pace voto: *Inveni in Oriente eadem eſſe dogmata quæ ſunt in Occidente Conciliis univerſalibus definita, de regimine Eccleſiæ exceptis cum Papa controverſiis, de ſacramentorum perpetuis ritibus ſententias conſonantes.* Miror tamen, hæc potuiſſe excidere viro tanto. Et ſane cum Concilia alia ſint Orientali pariter atque Occidentali Eccleſiæ communia, eoque verè οἰκουμενικά, alia ſolius quidem Occidentalis quæ nihilominus huic tamen univerſalia audiunt: quid eſt notius, quàm Orientales vehementer conqueri de additione voculæ *Filioque* ad ſymbolum quod in Conſtantinopolitano Concilio Oecumenico eſt conditum, à Romanâ item curia non admitti Oecumenicam ſynodum Chalcedonenſem, quâ parte docet Romanæ Eccleſiæ τὰ πρεσβεῖα data à Patribus διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην? Quid notius quàm id quod paulò ante Honoratū Fabri & Bellarminum Jeſuitam dicentes audiviſti, Græcorum quædam dogmata tribus vel quatuor Conciliis, quæ Romana Eccleſia pro Vniverſalibus itidem venditat, damnata eſſe? Quæ cum Papa præterea intercedunt Græcis controverſiæ, non regimen duntaxat Eccleſiæ attinent, ſed ipſum Fidei funmentum, cum Romanenſes velint primum fidei eſſe principium: *quicquid Romanus Pontifex, aut ſaltim Romana Eccleſia, definit, id infallibiliter verùm eſt ac ſequendum.* Sed & illæ de

regi-

regimine Eccleſiæ controverſiæ tales ſunt, ut alterutra ſententia non poſſit non eſſe hæretica, & mereri ἀναθεματισμὸν: cum utique Romana curia ſuorum Pontificum Vicedeatum velit eſſe ab ipſomet Deo lege inſtitutum. De Sacramentorum denique ritibus quinam ſint conſonantes ſententiæ, cum bona Græcorum pars & baptiſmum Occidentalium damnet ob merſionem non adhibitam, & Euchariſtiam ſine vino, nec in S. Cœna admittat panem azymum, Tridentina quoque ſynodus nonnullos ritus ſub anathemate ſancierit, qui in Eccleſia Græca ſunt ignoti vel habentur ἀδιάφοροι? Satis eſt huic rei probandæ, conferre duntaxat Tridentinos canones cum Græcis ritibus Confirmationis.

Eſſe igitur quidem capitalia diſſidia inter Græcam Latinamq; Eccleſiam, non poteſt ſine impudentiæ culpâ negari. Verum vero ſalvâ Eccleſiæ Catholicæ pace non tolerari utrinq; merito debeant ſaltim nonnulla diſſidentium placita, prudentioris eſt conſiderationis. Nonnulla inquam: qualia ſunt illa περὶ ἐκπορεύσεως. De quibus Proteſtantium quidem doctorum primores moderatè ſatis & æque cenſent; ſecus quàm fit à Romanenſium plæriſque, imò ſecus quàm fieri ab illis poteſt, ſi velint τὴν θέσιν de Pontificum & Conciliorum ſuorum infallibili auctoritate φυλάττειν. Operæ feceris pretium, legens quæ de hoc argumento & pie & erudite nuper Reverendiſſimus Reinbothus noſter, & aliquot ante annos adverſus Aurelianenſem Epiſcopum in Gallia Clariſſimus Dallæus diſputavere. Me, litem de Purgatorio minoris item æſtimare, non diſſimulavi jam tum ad Mülmannum Jeſuitam. Reliqua autem omnia paris notæ eſſe, abſit ut affirmem. Vicedeatus certè Romanus aſſeri & negari non poteſt ſine alterutrius partis manifeſtâ hæreſi. Sed & eorum quæ Proteſtantes inter & Græcos ſeorſim ſunt diſſidia, quædam ſatis gravia videntur. Etſi nihil obſtet, quum integra

ſint præcipua Catholicæ & Apoſtolicæ fidei de Deo & Chriſto fundamenta, quo minus nos quidem *ſimplicitati illorum de indulgentia Domini veniam* polliceamur, *quamvis nobis qui à Domino admoniti & inſtructi ſumus non poterit ignoſci*, ceu de Aquarijs olim loquebatur S. Cyprianus.

Verùm quorſum prolabimur? Qua in re ſive conſonent Græci & nos aut Romanenſes, compendiò poterit diſci ex hoc Metrophanis libello. Quem proinde cum publicas Latine etiam à Te verſum, præclare profectò mereris de Eccleſiæ communi bono. Abs Te verò unice hanc operam hactenus equidem exſpectavi; præſertim recordatus illam inter Patrem Tuum (cujus memoria nunquam non mihi eſt veneranda) & Metrophanem cultam olim ſanctiorem familiaritatem, quodque Tuo Patri cumprimis hunc libellum ſciam deberi. Perge verò, Clariſſime Horneje, cum valeas, ita porrò adjuvare emolumentum rei literariæ, & huic Juliæ noſtræ, paterna ſecutus veſtigia, addere claritatem. Noſti ſane vetus illud: ποιεῖν τι δεῖ οἷς γόνυ χλωρὸν: neque ego dubito, ſummam maximi Parentis induſtriam & indefeſſum ſtudium Tibi pro calcaribus nunquam non futurum. Poteris verò ſimul cùm Patris memoriæ quam optime conſulere, tum juventutem noſtram erigere ad præſtantes conatus, ſi, quod in alijs jam non ſine laude præſtitiſti, quamprimum Græca illius poëmata in unum collecta in lucem produxeris: quoniam illa utique poſſint cum ipſa antiquitate contendere, longo certè intervallo ſuperent etiam ipſiuſmet Leonis Allatij, quamvis Græci hominis & hac quoque parte glorioſi, carmina non alioquin aſperanda. Vale. Helmeſtadij in Academia Julia pridie Kal. Julij anno CIↃ IↃC LXI.

LIIX. *Addi-*

LIIX.

Addita libris B. Viotti de Demonſtratione, curante Frölingio editis Helmeſtadij anno 1661.

ANDREÆ FRÖLINGIO Logices in Academia Julia Profeſſori, Collegæ & amico ſuo V. C.

S. P. D.

QUum homo nihil mente præſtantius habeat, Clariſſime Frölingi, mentis autem exercitatio omnis vel in ſtudijs virtutis, quam moralem nuncupamus, vel in veri indagatione cognitioneque occupetur: (quarum utra maximè antecellit, non refert nunc definire, perinde atque hujus loci non eſt quidquam omnino de morum ſtudio addere) in ſummis quidem & naturæ noſtræ maximè convenientibus bonis eſt veri ſcientia; atque adeo malum eſt ingens neſcire, errare, labi, & decipi. Ita naſcimur tamen, ut ſcientia omnis labore acquirenda nobis ſit ac paranda; in ipsâ autem ejus inveſtigatione ſæpenumero fruſtrà conemur aut etiam fallamur graviſſimè. Quo efficitur, ut nunc ignorantiâ laboremus, nunc perverſis opinionibus; dum habemus ſcilicet incognita pro cognitis hiſque temerè aſſentimur. Quæ vitia ut tolerabilia nonnihil ſint circa res multum obſcuras ac difficiles, veluti non neceſſarias; ſi in alijs tamen melioribus & excellentioribus hæreant, miſeria eſt maxima.

Ea propter id quidem vacat omni dubitatione, ſi quæ fuerit ars, quæ certam viam cùm inſcitiâ tum erroribus nos liberandi monſtrare ſit idonea, illam cumprimis habendam in pretio & in uſum adducendam eſſe. Sed eſſe talem aliquam â nonnullis conſtanter fuit negatum jam tum olim; quales fuerunt Pyrrhonij omnes & tota penè Academica Schola. A quibus interdum & noſtri ævi homines haud multum diſſentiunt,

tiunt; & quidem alii improbo unius hominis, ducis ſui, cui ſoli volunt vim inditam infallibilem, eoq; illius honori ad inſaniam fere usq; addicti ſunt, amore abrepti, alii vana gloriæ ex quovis diſſenſu captatione ducti. Cæterum hos quidem omnes nunc ſpernemus, ſaltim non morabimur. Neque verò fas videtur dubitare amplius, num quæ veritatis indagandæ noſcendæque certa ars ſit. Te coram ſanè Frölingi, quenquam dubitare audere, turpe merito duxeris, & cum tua conjunctum injuria, ut qui eam publicâ doceas Principum noſtrorum auctoritate. Illud potius ego tecum nunc doleo conqueſtorque; *primum* quod pauci juſtâ cura addiſcere artem iſtam ſoleant, quamvis ſummè ſit omni in vita omnibusq; neceſſaria, quo ab inſcitiæ & errorum fœdâ contage purgemur: *deinde* quod in profitentium illam numero rari eam verè doceant, plærique inane duntaxat ejus ſimulacrum oſtentent, nubem pro Junone. Et verò quod pauci dent operam Arti iſti diſcendæ excuſationem videtur mereri, propterea quoniam pauci ſunt qui illam uti par erat doceant, plærique contra ita de illâ diſſerant ut ultro penè fateantur, nullum, aut perexiguum certè, ſuæ quam profitentur Artis uſum eſſe poſſe. Quotus quiſque ſanè tali arti diſcendæ velit ſtudium impendere? Imo quis debeat? Fuerit ſanè hoc operoſè nihil agere: quod profectò in tanta multitudine eorum, quæ cum emolumento ſapientiæ diſci & poſſunt & debent, intolerabile facinus eſt. In univerſum enim utique verum eſt illud, quod de Medica Arte definivit magnus Hippocrates: ὁ βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρή: cumprimis verò in omni vita temporis eſt ratio habenda; πολυτελὲς γὰρ ἀνάλωμα ὁ χρόνος; quod verbum fuiſſe olim Teophraſti Ereſij à Diogene Laërtio accepimus.

Eſſe verò eam de Arte ſua confeſſionem plærorumque hodie artificum, negari non poteſt. Inter omnes enim pene

ejus

ejus diſciplinæ quam Logicam hodie (licet contra loquendi veterem morem, ipſimet Ariſtoteli obſervatum) nuncupamus, illa ſola utique pars veritati cùm inveniendæ tùm judicandæ unice eſt dedita, quæ Demonſtrativa vel Græce ἀποδεικτικὴ & ἀναλυτικὴ uſurpatur, & ſolus ſyllogiſmus Demonſtrativus ἐπιστημονικὸς perhibetur. Jam vero Sacræ quidē illius doctrinæ quam *Theologiam* vulgo appellamus, nihil demonſtrari poſſe, uſque adeò eſt, etiam alijs, prætextu nimis ſuper intellectus humani imbecillitatem evectarum rerum, quæ proinde credendæ quidem ſciri autem nequeant, perſuaſum, ut penè in commune ſcholarum placitū ſit receptum. Demonſtratio quoque omnis vulgò excludi ſolet à *Prudentia* cum latarum legum tum judiciorum ſecundam latas leges inſtituendorum: idque præcipue quoniam Demonſtratio rerum eſt quæ aliter atque aliter ſeſe habere nequeunt, qualia non ſunt quæ legibus definiri ſolent, aut in forum adducuntur. Eadem de causâ creditur porrò nec in *Artibus* nec in *Practica* ulla doctrina, ac proinde nec in Morali nec in Civili Philoſophia, Demonſtrationi eſſe locum: ut quæ itidem verſentur circa res obnoxias multum mutationibus, & neceſſitate carentes, atq; ex ijſdem accipiant ſuas omnes ratiocinationes. Eodem autē prætextu poſſit & *Naturali philoſophia* omnis demonſtrandi facultas eripi: nam & naturalia omnia tantum non in perpetuâ ſunt mutatione, ſi cœleſtia excipias: ſolent tamen ab illis magiſtris huic concedi ſyllogiſmi demonſtrativi, ſed pauci (ut dixeris ex ſingulari favore natam hanc gratiam) qui me autem judice nihil ſunt minus quam quales eos volunt eſſe, verè ἀποδεικτικοί. In *Metaphyſicis* iidem, ſubtiles ſcilicet doctores, admittunt in Demonſtrationum numero itidem non niſi perpaucos ſyllogiſmos: quidam nullos. Erga *Mathematicas* diſciplinas malunt plærique eſſe liberaliores, ſi in cauſſam verò inquiras, videas id eos facere, inductos frequentibus potius

tius laudibus Ariſtotelicis Mathematicarum ἀποδείξεων, quam vi veritatis: utpote quum Philoſophiæ illius ſint imperiti. Non dubitavit verò Alexander Piccolomineus, celeberrimi inter Italos Philoſophos nominis, etiam ſpreta Ariſtotelica commendatione, firmiorem quamque demonſtrandi poteſtatem Mathematicis eripere: cui Benedictus Pererius eſt aſſenſus. Si hiſce itaque magiſtris credendum, quis uſus quæſo fuerit Analyticæ ſive Demonſtratoriæ Artis? Quid eſt, quare operæ fuerit pretium vel diſcere illam vel docere?

Mihi verò pridem viſum, ita qui ſentiunt diſſeruntque non ſatis attendere quid dicant aut profiteantur: quod tamen illorum pace aſſertum eſto. Agnoſcunt videlicet illi ipſi, (vel coguntur agnoſcere, niſi Scepticas aut Academicas nugas velint amplecti) in nullo non doctrinæ commemoratæ hactenus genere certam immotamque multorum ſatis ſcientiam reperiri, quæ tamen non per experientiam, ſed ratiocinatione aliâ ſit comparata. At vero nulla eſt ratiocinatio (ſi quidem experimentalem excipias, quamvis & illa ſi ſit ſolitaria, non videatur tanti pretij) ejuſmodi certam cognitionem patere apta, præter illam quæ aliàs ἀπόδειξις ſive Demonſtratio audit. In omnibus igitur diſciplinis dari Demonſtrationes, & quidem non paucas ſed multas dari, velis nolis, fateare eſt neceſſum.

Et vero quanta eſt neceſſariarum copia probationum in *Mathematicis*, Geometria cumprimis & Arithmetica! Quarum plæraſque oſtenſivas eſſe, & ex cauſſis deſumi ſolere, haud ineptè oſtendit Joſephus Blancanus. Theorematum ſanè probationes ex formali plærumque cauſſa, Problematum vero etiam ex ea, quam materialem (καταχρηστικῶς tamen) dixeris, ab Euclide ipſo, ſive Pappo aut Theone, perquam frequenter accipi, vix poteſt obſcurum videri ſaltim illi, qui noverit quid materia propriè ſit & forma, ſimulque Eucli-

dem

dem cum curâ iuſpexerit. Non minus facile idem probatu eſt & de *Metaphyſicis* argumentationibus longè plurimis: ad quarum rerum conſtitutionem quoniam integræ quatuor cauſſæ interdum requiruntur, obſervare etiam eſt ex nullo non earum ordine argumenta inſtitui. Fateor tamen nullam doctrinam ſuppeditare majorem vim axiomatum: (qua de cauſſa habitum ſimul principiorum comprehendit,) cum axiomata autem pene omnia ſint ἀναπόδεικτα, hactenus τὰ μετὰ φυσικὰ quamplurima demonſtratione haud indigent. In *Phyſicis* demonſtrationibus facilius peccatur & παραγραφήματα quædam committuntur; quandoquidē omnia naturalia conſtant multiplici compoſitione texturaque; ut difficile ſit quæ per ſe ad rem aliquā faciunt ab ijs quæ per accidens conjuncta ſunt diſcernere: & tamen omnis argumentatio verā certamq; ſcientiam apta gignere ex ſolis ijs quæ per ſeſe ſunt neceſſum eſt uti conſtet. Si tamen attendas aut diſcrimen probè inſtituas, ſatis multæ demonſtrationes heic etiam poſſunt confici. Ariſtotelica ſanè Philoſophia hiſce plurimùm abundat; quamvis non perinde multi eorum vim aſſequantur. Operæ autem fuerit pretium, evolviſſe ſaltim Procli elegantiſſimum libellum illum quem alij de Motu, alij Elementorum Phyſicorum titulo inſcribunt: ut quæ epitomen mathematico more exhibeat omnium fere Ariſtotelis de motu & cæleſtibus demonſtrationum. Nec vero corruptibilitas & mutationes naturalium rerum ſingularum tantopere obſtant Demonſtrationum de univerſis confectioni. Eadem autē mutabilitas rerum efficit, cùm in *Artibus* omnibus tùm in *Practica* quam vocamus *Philoſophiâ*, Morali inquam & Civili, ut in demonſtrando ſæpius juſto errores committantur. Abſque hoc ſane foret, æquè tutò & frequenter atque in Mathematicis, liceret utique & hic domonſtrationes inſtituere. Vindicavi ego *Civilem ſcientiam* ejuſque Demonſtrationes prolixè libro meo

quem

quem de Civili Prudentia & Politicum inſcripſi, capite octavo ac decimo; imo capite duodecimo oſtendi (quod fateor παράδοξον eſſe) non univerſalium duntaxat, ſed ſingularium etiam civilium rerum cognitionem certam & indubitatam, adeoque & demonſtrationes earum reperiri quamplures. Quæ omnia quoniam aſſenſu tuo approbaſti, Clariſſime Frölingi, equidem gaudeo. Nihilo differt autem certitudine aut probandi ratione *Moralis Philoſophia* à Civili: ac proinde reapſe communem quaſi cauſam egi, etſi inſtitutum non pateretur niſi de ſolis loqui civilibus. Quin imo eadem omnia pertinent quoque ad *Artes*: uſque adeo mea illa reapſe ſunt communia ac late patent. . Et ſane mireris meritò, Demonſtrationes denegari Artibus, etiam ab illis, quibus Ariſtotelem ſecuris Ars omnis eſt μετ' λόγου ἀληθοῦς; quaſi vera ratio alia ſit ab eâ quæ certa eſt, certa autem ulla ſit (experimentalem ſemper excipio) quæ non ſit ἀποδεικτική. Imo vero nulla ars, qualis illa cunq; tandem fuerit, quamvis βάναυσος & illiberalis, ſiquidem vera ars eſt, non ſuis inſtructa eſt æternis demonſtrationibus, & quidem per omnia cauſarum genera. *Juris* illa *prudentia* vulgaris porro, dum in foro cauſas judicat, verſatur quidem circa ſingularia potiſſimum: verùm & huic ſuæ ſunt demonſtrationes in facti pariter & juris quæſtionibus, non ſecus atque in actibus & Artium omnium & omnigenæ Prudentiæ. Id certe neceſſum eſt uti fatearis, niſi ſententias quaſque forenſes velis accuſare incertæ juſtitiæ & veritatis. *Legum* porrò *latarum peritia* acquiritur potiſſimùm Artis Interpretatoriæ facultate: cujus præcepta æterna utique ſunt, & certa, non minus atque ullius artis alterius, quantumvis hactenus à nemine fortaſſe ſint ex dignitate ſcripto tradita.

Ejus Artis autem beneficio intelligitur etiam indubitata mens traditæ divinitus Scripturæ: adeoq; ſaltim hactenus Demonſtrationib⁹ utitur etiã *ſacra*, quæ ex Scripturis illis petitur, *doctrina*.

doctrina. Et poteſt verò & ſolet ex illis ſententijs, proximè de Scripturę fonte hauſtis, firmâ certâque ratiocinatione ulterius procedi. Eſt autem & ejusmodi omnis ratiocinatio vera demonſtratio, gignens ſcientiam, non quidem abſolute, ὑποθετικῶς tamen. Quaſi nempe tu dicas: ſi Scripturæ dicta vera ſunt, vera etiam ſunt quæ hinc neceſſario conſequuntur. At ipſammet Sacram Scripturam veram eſſe, hoc illud eſt quod certò haud ſciri poſſe, bona pars neget pernegetque. Videtur autem illa quidem aſſertio indigna eſſe S. Scripturæ auctoritate; ſimulque periculoſa admodum, ut quæ Scripturam exponat ludibrio & contemptui atheorum, omniumque in univerſum eorum qui ſacræ doctrinæ fidem non habent. Quidni enim Iulianus aliquis inceſſat rurſum nos Chriſtianos illis convitijs: ὑμῶν ἡ ἀλογία, καὶ ἡ ἀγροικία, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὸ ΠΙΣΤΕΥΣΟΝ τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας? qualia Apoſtatæ verba recitat Gregorius Nazianzenus. Quidni Galenus aliquis Moſis & Chriſti doctrinam reſpuat, tanquam nullis demonſtrationibus ſubnixam? id quod fecit ille quondám ſecundo de Pulſuum differentijs libro. Haud ignoro quid prætendi ſoleat. Horum ſcilicet *Primum* eſt: quod res ipſæ h.e. quæ de Dei eſſentia & voluntate, de Chriſto ac redempto per illum humano genere, alijsque in Scripturá habentur, nequeant ulla demonſtratione accipi: *Alterum*, quod gratiæ divinæ beneficio circa Fidem ſalutarem obtinendam locus præcludatur, ac Pelagij impijs ſententijs accedi videatur, ſi demonſtratione Fides poſſit exprimi. Eſt autem utrumque nihili. Vt enim de poſteriore dicam prius; ita comparatum eſt cum ingenio humano, ut veritatem, etſi fulgentiſſimam, mens non aſſequatur, niſi à præjudicijs & malignis affectibus ſit liberata, ac proinde in ijs potiſſimũ quæ mores & ſanctimoniam attinent, circa quæ verſatur fere omnis doctrina ſacra, difficillimè veritati aſſentit: ſine ſingulari autem divino beneficio non iſta ſanè nebularum diſcuſſio

ſcuſſio poteſt fieri: quæ violentia eſt τῶν παθημάτων. Vnde jam olim ipſis Stoicis fuit obſervatum, *nullam mentem bonam eſſe niſi à Deo.* Eſt porrò aſſenſio veri non unius generis: alia levis ſcilicet, alia plena certa & ſtabilis. Prior in Moralibus negotijs, eſt eorum etiam quos incontinentes vocamus (ut eleganter ab Ariſtotele in Nicomachijs obſervatum) poſterior autem demum prudentiæ laudem aliquam promeretur & cum vera morali virtute ſolet conjungi. Par ratio eſt fidei. Alia eſt impijs etiam & dæmonibus communis, quâ nimirum dæmones quoque credunt & contremiſcunt: Alia omnibus numeris perfecta atque ſola demum ſalutifera. Vt priorem igitur aliquis, non perfectâ divinâ gratiâ ſubnixus, poſſit ſola Demonſtrationis vi nanciſci, poſterior tamen eaque verè ſalutaris illius unius gratiæ eſt beneficium. Perperam vero ex eo, quod demonſtrari nequeant à priori, ut vocant, quæ de Deo alijſque id generis in Sacris literis traduntur (nam hactenus ſanè longè eſt veriſſimum. Ambroſij illud: *tolle argumenta ubi fides quæritur*) colligi ſolet, credi cuncta iſthæc citra omnem demonſtrationem. Creduntur ſcilicet hæc non niſi ob certam indubitatamque Sacræ Scripturæ auctoritatem; (abſit enim ut Petrum Abælardi & Arnoldum Brixienſem probemus, ſi illi quidem docuerunt id quod epiſtola 190 refert Bernhardus, *fidem ſine ratione admittendam non eſſe*) ipſamet tamen illa auctoritas Scripturæ; hoc eſt, illorum quorum eſt manibus exarata, cùm certa notitia eorum quæ prodiderunt, tum voluntas ſtudioſiſſima veri (quibus duobus conſtat ſcribentium exiſtimatio) firmis demonſtrationibus perſvaderi poteſt. Nec diffiteor tamen, à quam paucis intelligi vim talium Demonſtrationum; quin imo apud plæroſque, argumenta ſi ſpectes, opinionem magis inveniri quàm certis rationibus munitam divinorum ſcientiam. Nec tamen itidem diffiteor, opinionem, ſi bona ſit ac recta, ijs quibus ad ſcientiæ inſtar fuerit plene perſvaſa

ſvaſa, ſufficere ac ſatis eſſe conſequendæ ſaluti. Prout etiam aliâs in Moralibus & Civilibus pariter Artiumque operibus ſolet venire uſu. Verum enimvero non quandoquidem pauci ſcientiam aliquam vere tenent, nec quia promiſcue omnibus ſcientia aliqua haud neceſſaria eſt, ideo ſcientia nulla reperitur. Et quid opus eſt verbis, cum in promptu ſint ratiocinationes firmæ & ſolidæ, auctoritatem indubitatam S. Scripturæ demonſtrare idoneæ? Taceo nunc, quod in ipſa Scripturâ ſic ſatis multa firmis demonſtrationibus non autem nudis edictis aut ſolâ divinâ traditione doceantur, quod item non deſint in quam multis aliæ Demonſtrationes in confirmationem doctrinæ ſacræ. Vt ſaltim hactenus non omnis Scripturæ doctrina ſit ἀναποδεικτική.

Sed quorſum prolabor? Hoc volebam, Clariſſime Frolingi: perperam hodie à quam multis tuæ quam doces Artis magiſtris, penè omni doctrinæ demonſtrandi vim denegari; reperiri autem contra in nullo penè non doctrinæ genere magnam demonſtrationum multitudinem, quippe quibus confecta ſit omnis fermè quæ uſquam eſt certa rerum cognitio. Et verò demonſtrationes adhibentur vulgò ab ijs etiam qui ſeſe demonſtrare neſciunt: haud ſecus atque urit ignis ignorans ſeſe urere. Eſt autem tanti tamque vulgati erroris non alia cauſſa, quam ἡ ἀπαιδευσία, aut ut apertius dicam veræ ἀποδεικτικῆς inſcitia.

Inſcitiæ autem illius cauſſa, ne quid diſſimulem, videtur eſſe; quod ex omni ævo unicum fere Apodictices magiſtrum habeamus Ariſtotelem, hujus verò de hac Arte ſuperſtites libri, nec perſpicue nec plenè nec ſatis ex dignitate, nobiliſſimam hanc Artem doceant. Enimvero, quod mireris, ne Mathematici quidem omnis decurſi ævi, etſi quam maximè demonſtrationibus ſoleant dare operam, ipſi Demonſtratoriæ arti docendæ videntur vel manum admoviſſe. Sicertè poſt

 Ariſto-

Ariſtotelem Euclides Apollonius Pergæus & Ariſtæus quidquam hujus edidere, id quod Pappus initio ſeptimi Συντάξεως ſcribit, illud omne dudum interiit. Fortaſſis vero nec fuit tanti ut ſervari mereretur. In Analyticis enim libris Artem tradidiſſe memorantur; qua propoſito quovis theoremate aut problemate, poſſit facile ex eo tanquam vero accepto investigari aliqua veritas. Hoc ſanè illis Mathematicis eſſe ἀνάλυσιν, videre eſt apud Theonem ad propoſitionem primam libri tertij decimi Elementorum Euclidis, & Aphrodiſæum Alexandrum in commentariis ad Priora Analytica exaratis. At vero illa quidem Ars ſæpè fallit (quamvis hodieque ejusmodi ratiocinatio Mathematicis haud ſit infrequens) quandoquidem ex falſis etiam vi formæ ſyllogiſticæ poſſit veri aliquid elici; quod jam ab Ariſtotele prolixe eſt oſtenſum; atque adeo non omne poſſit verum judicari, ex quo vera inſtituta eſt collectio. Nec vero, quoniam feliciſſime omnium hactenus Mathematici ſua theoremata ac problemata demonſtraverint, argumento id eſt, habuiſſe illos in promptu elaboratam probe apodicticam methodum. Præterquam enim quod nuſquam talis compareat, docet uſus, ſimulac Mathematici illi aliam aliquam philoſophiam illuſtrare ſuſcipiunt (quod & noſtro ævo, à nonnullis factum meminiſti) tum verò graviſſime imo ridicule illos plærumq; hallucinatos eſſe: eoq; dixeris, objecti potius ſui mathematici conditione, alijs firmiore & ſimpliciore, immunes ſervari ab erroribus, quàm peritiâ demonſtrandi. Et verò ipſa Ariſtotelis Analytica priſcis quidem Mathematicis, adeoque & Euclidi, plane ignorata videntur; ſub terra ſcilicet cum melioribus alijs Ariſtotelicis ſcriptis tum defoſſa. Hac ſane de cauſſa veriſimile eſt factum eſſe, ut & ipſæ Apodicticæ arti propriæ voces, πρότασις, ἀπόδειξις ipſa, ἀνάλυσις, θεώρημα, aliâ ab Ariſtotelico uſu ſignificatione Euclidem ſecutis Mathematicis audire cœperint: πρόβλημα item eodem auctore novum

plane

plane acceperit ſenſum: cum Ariſtoteli quodvis propoſitum in medium ζήτημα ſignificarit. Euclidem inquã ſecutis: aliis enim priſcis θεώρημα etiam id dicitur quod πρόβλημα Euclidi; ceu recte ad Heronis Βελοποιικά notavit quoque Bernardinus Baldus.

Quamvis etiam Proclus ad primum Euclidis ſatis oſtenderit ſuam in Ariſtotelicis Analyticis peritiam, noſtri tamen ævi mathematicorum pauciſſimi operæ aliquid in ijs collocarunt. Imo plærique ſuperbo faſtu videntur hactenus illa ſpreviſſe. Quicquid ſit, neque à priſcis neque à recentioribus mathematicis Apodictica doctrina aliqua ad nos translata eſt. Nec vero in hunc cenſum referri commeretur Hieronymi Cardani Dialectica: quantumvis illam pene in cœlum non dubitaverit ipſe extollere. Nec hactenus lucem vidit, fortaſſis etiã haud videbit, omnium noſtri ſeculi in id elaborandum longe cæteroquin aptiſſimi, Joachimi Iungij *Heuretica ſive Analyſis, cujus ductu* (ita loquuntur) *problemata amiſſa reſtituuntur, ante non ſoluta ſolvuntur; quæ nova theoremata invenit, novos canones condit, & dubia firmat.* Cum Mathematici autem nihil nos juverint, quid mirum fortè, neglectam eſſe hanc operam ab alijs? Et verò nonnemo illius ordinis haud dubitavit nuper profiteri, ex ſola mathematicarum demonſtrationum collatione artem hanc poſſe confici. Perinepte tamen; quandoquidem non ab ſolo inductionis beneficio exſpectanda hæc ars eſt. Et cum in Mathematicis (Geometria inquam & Arithmetica) nec materialis, nec efficiens, nec finalis, nec ſine quibus non appellatæ cauſſæ, ut nec effectus proprie dicti ullum habeant locum (circa quæ tamen omnia verſari atque ex quibus peti Demonſtratio frequenter ſolet) plerarumq; Demonſtrationis ſpecierum exemplum nullum ex Mathematicis licuerit adducere. Quod obiter hic monuiſſe fas eſto.

Vt in viam autẽ redeamus: præter Ariſtotelem Peripateticos inter antiquiſſimos, legas quidem & Theophraſtum & Eudemũ

Rhodium proprij quodam ingenij ductu Analytica excoluiſſe: attamen & illud quanti fuerit non habemus dicere, quoniam iſtud omne jam pridem interiit. Reliquarum Philoſophicæ ſcholæ ſectarum veterum nulla, apud Græcos pariter Latinosque, apodictica vel attigiſſe videtur. Refert enim quidem Diogenes, Platonē docuiſſe τὴν ἀνάλυσιν Leodamantem Thaſium: in omnibus tamen Platonis ſcriptis vel laudatam ἀνάλυσιν vix invenias ſed frequentius Dialecticam, longe rariſſima ſanè indicia Analyticæ cujusdem peritiæ. Platonis vero ſectatores Academici dicti ad Sceptica deliramenta prolapſi ſunt. Stoicorum porro Dialectica planè fuerunt alia ab Apodicticis, & multùm inepta: quod jam tum pridem altera Ariſtotelis laudatione probavimus. Ex reliquo deniqueævi ſequioris Peripateticorum ordine nemo quisquam, ſive Græcorum, ſive Arabum, ſive Latinorum; vel conatus heic quidquam fuit, præter Ariſtotelici operis interpretationem. Cum omnes verò graviſſimè conquerantur de ſcripti illius obſcuritate ac difficultate, hi autem intenti unicè fuerint hujus illuſtrationi, Arti ipſi parum profectò lucis attulerunt; multi contra ex malè intellectis Ariſtotelis dictis potius tenebras ſolito majores videntur offudiſſe. Sed eam Analytici quidem voluminis obſcuritatem plærique non dubitant profiteri, Ariſtotelem de induſtriâ induxiſſe; quamvis in conſilio illo exponendo non omnes conſentiant, alio ſcilicet aliud conjectante. Mihi tamen, fateor, nemo hactenus quidquam hujus perſvadere potuit, etſi mitisma ſuſpicatus: utpote quum ſaltim boni magiſtri, ſi non & boni viri, laudem nihil non ejus Ariſtoteli detrahat. Quod mihi ſemper viſum nimis iniquum & tanto viro indignum. Ego omnem ferè culpam ſoleo imputare comuni illi Ariſtotelicorū operum infelicitati, quâ factum, ut illorum tantum non omnia, magis tamen minusve, ad nos pervenerint, disjecta, mutila, hiulca, mendorum plena. Differemus hac de re latius

aliàs

aliâs in Annotatis ad Primam Ariſtotelis laudationem; & jam tum hujus infortunij ſpecimen oſtendimus noſtrâ illâ novâ Politici operis editione. Et vero non perſpicuitas, non ordo integer, non juſta connexio, non plena doctrinæ tractatio, quæ Ariſtotelicis ſcriptis maximam laudem conciliant, heic quidem reperitur: ſæpe nullus orationis eſt ſenſus. Si initium videas, dixeris ab illo agnitam non niſi unicam Demonſtrationis ſpeciem: at paſſim ipſo in opere mentio fit Demonſtrationis ducentis ad impoſſibile, colligentis ex effectu, ex ſigno, ex principijs nunc indemonſtrabilibus nunc alibi demonſtratis, univerſalis, particularis, affirmativæ, negativæ τὸ ὅτι, τὸ διότι. Quædam operis plana ſunt & intellectu facilia; quędam pluſquam ænigmatica: quædam munita firmis demonſtrationibus & longe præclariſſima, quædam probationibus omnibus deſtituta cum tamen exigerentur, eoque nihil fere nō infra exſpectationem & ab Ariſtotelis accuratâ docendi ratione planè alienum. Tantam verò docendi varietatem, ut & tot vitia tot virtutibus miſta, ultro ac conſulto ab Ariſtotele eſſe commiſſa, nunquam ſanè mihi patiar perſvaderi: præſertim quia librorum Ariſtotelicorum infelix fatum jam tum olim Strabo nobis prodiderit.

Miror autem & doleo, cum premamur hac parte illo infortunio, repertum neminem unum bis mille annorum ſpatio (tantum enim fere temporis ab Ariſtotelis ævo effluxit) qui Ariſtotelicis illis fragmentis inſtructus, propriâ induſtriâ, tam nobilem tamque neceſſariam doctrinam perficere aggreſſus ſit. Niſi fortaſſis tale quid olim Galenus præſtiterit: quo poſt Ariſtotelem nemo Demonſtrandi artem magis commendare ſolet, nemo ſtudioſius coluit, nemo felicius exercuit: ſed quod vitio temporis perierit. Quæ citra cujuſquam injuriam uti accipiantur, etiam atque etiam rogo. Nec tamen vel Te, Frölingi, hujus quidquam præterit: ut qui ipſiusmet

etiam

etiam Schegkij vaſtum hujus argumenti volumen ſtudioſè volveris. Ex Philoſophorum ſane à Peripato diſſentientium noſtri ævi ordine, nonnulli univerſam Logicam riſere atque aſpernati ſunt hactenus: Petrus Ramus Ariſtotelis apodicticam planè tulit è medio: & Verulamius ejus loco cudit nobis novum ſuum Organum in ſolum τῆς ἐμπειρίας uſum, hanc unam venditans ſcientiæ methodum. Vſque adeo plurimum abeſt, vel noſtrâ hacce florentiſſima tempeſtate quidquam artis Ariſtotelicis fragmentis acceſſiſſe.

Eapropter cum juveni mihi in Batavorum Academia degenti, anno abhinc triceſſimo ſecundo, forte fortunâ, Bartholomæi Viotti de Demonſtratione inſcripti libri in manus inciderent, dici non poteſt, quantopere lætatus fuerim. Sed nec fefellit me omnis exſpectatio. Reperi enim in hoc volumine juſta ſerie & perſpicue tradita, quæ in Ariſtotelico ſparſim & perobſcurè docentur: haud pauca etiam quæ in Ariſtotelico deſunt, utilia tamen imò neceſſaria ſcientiam certam affectantibus. Quamvis cùm Ariſtotelica nonnulla tum & alia ad Apodicticam pertinentia heic etiam prætermiſſa ſint. Reperi præterea ibi præclara quæque Apodictica præcepta, quæ paſſim nunquam ſatis laudatis monumentis ſuis Galenus feliciter inſervit; ut qui parentis ſui ductu *nihil æque à pueris ſtuduerat quam demonſtrandi prius ſcientiam tenere, deinde ſummo hanc ſtudio exercere*, quod ipſemet teſtatur, libro contra Julianum Ἰατροσοφιστὴν, ſive Artis medicæ Alexandrinum profeſſorem, conſcripto. Qui ſanè liber mereatur hoc in argumento cum Viotti illo comparari, hactenus nullum vidi: certè ad uſum Apodicticum melior alius non temerè invenitur. Nec tamen utile adeo & præclarum volumen dignam ſui exiſtimationem hactenus videtur impetraſſe. Neque enim Viotti nomen juſtam claritatem doctos inter adeptum eſt. Opus ſanè hoc de Demonſtratione non

niſi

niſi apud unicum Jacobum Zabarellam memoratum legere memini.: qui tamen itidem nulla id laude eſt perſecutus, ſed quædam ejus carpere inſtituit, meo judicio parum feliciter. Cæterum quare minus innotuerit volumen, ſuper ævi inſcitiam aut æmulationem magiſtrorum, fortaſſis raritati exemplarium ferendum eſt acceptum. Non niſi ſemel videlicet typis eſt exſcriptum; idque Pariſiis, jam tum ante hoſce centum amplius annos. Sed & præter hoc opus aliud nullum à Viotto divulgatum eſt, quàm alterum de Balneorum Naturalium viribus, repertu itidem rariſſimum. Ut proinde à Viotti fama non potuerit facile operi huic aliàs ignoto exiſtimatio conciliari. Simulac verò intimius mihi perſpecta Viottiani operis fuit eximia eruditio, nunquam deſii illud laudare & commendare omnibus accuratæ ſapientiæ ſtudia æmulantibus, idque publicè privatimque. Quo ipſo tamen quoniam non niſi deſiderium ejus excitari à me intelligerem, volumine ipſo nuſquam fere comparente, non ſemel conſilium ejus denuò edendi mihi natum eſt. Imo jam pridem edidiſſem ſi per negotia plurima alia licuiſſet hanc curam hactenus ſuſcipere, & niſi tu denique, Clariſſime Frölingi, invitante pariter in id publici muneris officiò, lampadem hanc tradi tibi fuiſſes paſſus.

Quam operam quandoquidem jam exegiſti, ego ſane gratias Tibi maximas in publico agere non dubito; idque nomine quaſi omnium, quibus veritas & ſolida rerum ſcientia cordi eſt. Videor ſanè mihi jam videre, impoſterum longè rectius & felicius ſtudia omnis generis doctrinæ exculta, & præſtantia quæque ingenia ad inſignes conatus excitata. Nam qui opibus tantum ſtruendis & parandis honoribus inhiant, aut voluptates ſectantur, ut homines improbæ frugis, non moramur. Non dubito ſanè, noſtram ſaltim ſtudioſum juventutem, te duce, Viotti huic doctrinæ percipi-

endæ, juſtam diligentiam & induſtriam impenſuram, te vero nihil intermiſſurum, (cum utique id poſſis) quod ad ejus illuſtrationem queat facere. Ubi quid otij fuero nactus, (id quod futurum ſpero) etiam ipſemet fortaſſis adjuvabo longe utiliſſima hæc ſtudia, editis de Experientia, Demonſtratione, & Humani teſtimonij auctoritate, meis qualibuſcunque meditationibus. Interea Deum venerabor, ut laboribus tuis, uſque adeo laudabilibus & frugiferis, proſperos ſucceſſus benignè largiatur. Vale. Helmſtadij in Academia Julia Anno CIↃ IↃ C LXI. VII Kal. Auguſti.

LIX.

Addita Introductioni Ph. Cluverii in Geographiam, Annotationibus & Tabulis illuſtratæ à I. B. editæq; VVolfenbutteli anno 1661.

JOHANNI BUNONI V. C.
S. P. D.

DUo ſunt Geographicæ doctrinæ ſumma quaſi genera, eaque multum diverſa, Clariſſime BUNO: quorum Alterum μαθηματικὸν dixeris, Alterum ἱστορικόν. Enimverò illud nihil eſt aliud, quàm orbis terræ partium ſecundum longitudinem & latitudinē ex Mathematicis principijs facta deſcriptio. Quæ proinde veluti ὑπάλληλος eſt Arithmeticæ, præprimis verò illi Geometriæ parti quam τριγωνομετρίαν appellamus: perinde ferè atque ſunt Optica, Mechanica, Muſica, Hydraulica, Gnomonicà, Dioptrica, aliaque id genus quàmmulta. Quamvìs ſanè etiam alijs hæc Geographia (quæ ſi vocis primam vim ſpectes, vere eſt γεωμετρία) adminiculis utatur (ſicut noſtra hac ætate admiranda illa Magnetica vis in auxilium aſſumi ſolet) omnia tamen diriguntur potiſſimùm Mathematicis regulis.

Cæterum eſt quidem hæc Geographiæ tractandæ ratio maximè

maximè accurata, nec enim terræ partium menſuram exquiſite quidem aliter definieris; eſt quoque & Aſtrorum ſcientiæ ſummè utilis, ſaltim ex parte aliquâ, quandoquidem cœleſtium motuum calculus, niſi ad compertæ exploratæque latitudinis ſi & non longitudinis loca exigatur, conſtare ſibi non poteſt; eſt denique cum alijs, tum nauticis præcipue per vaſtum Oceanum inſtituendis negotijs, quæ hodie præ lucri amore inſanis adeo conatibus peraguntur, perquam commoda; ac proinde optanda profectò etiam humanæ vitæ; Attamen ſimul illa eſt difficillima acceptu, fortaſſis etiam nunquam integrè impetranda. Nec vero niſi à multum eruditis comparari poterit, & magno ſtudio, vel unius alteriuſq; loci omnibus numeris (ut ita dicam) accurata menſura. Omnium igitur locorum orbis univerſi plenam ejuſmodi cognitionem, quis vel auſit exſpectare, in eorum qui talia docti ſunt exigua multitudine? Sed & requiritur huc rerum ſive cœleſtium ſive terreſtrium quarundam diligens & plena otij exploratio. At nihil eſt verius eo, quod ingenuè aſſeruit Athanaſius Kirchorus, nunquam ſatis laudati operis de Arte Magnetica libro ſecundo parte quinta cap. 6. q. 2. diſquiſitione ultima. *Magna*, inquit, ille, *cautela & circumſpectione in experimentis capeſſendis opus eſt, antequam rem ita ſeſe habere aſſeratur: dici enim vix poteſt, quam ſæpe aliud quam quod intenditur proveniat. Quod cum in omnibus, tum in Magneticis obſervationibus verum eſt. Videmus enim excellentiſſimos & longo diuturnoque uſu exercitatiſſimos artifices diverſitate obſervationum adeò perplexos reddi, ut ſæpe quid dicant ſentiantq; neſciant. Quod & Keplerus de ſe ipſo ingenue fatetur. Qui cum poſtſepties obſervatam diametri ſolaris quantitatem, ſemper diverſam, nunquam eandem deprehendiſſet, impatientiâ motus de Aſtronomia perfecta inſtaurratione parum abfuit quin conclamatum ſcripſerit. Ineſt enim viſiva potentia & humoribus opticis, nunc ob compreſſionem dila-*

 tationemq;

tationemque, modò propter aliam & aliam diſpoſitionem organi, jam ex infinitâ diverſitate mediorum, in quibus aliter atq; aliter ſpecies refringuntur, neſcio quid deceptitium. Vt proinde mirum non ſit, diverſas inde promanantes obſervationes ingentem errorum materiam inducere. Adeò ut auſim affirmare, obſervationem, ut perfecta ſit & omnis erroris fallaciaque expers, ab angelo fieri debere. Quod tamen nolim ita accipi, quaſi cœleſtium obſervationum nulla ſit certitudo. Eſt enim; ſed omnino perfecta obſervatio rarius reperitur. Prorupit verò in hæc verba Kircherus, poſteaquam prolixè & maxima induſtria congeſſiſſet complura in id, quo poſſit certa ratio haberi latitudinis omnium locorum in terræ per experimenta facta: dixiſſet item quamplurima de Magnetis lapidis in polos directione pariter, & ejuſdem à linea meridiana multiplici declinatione, in quorum exactâ notitiâ οἱ χαριέστεροι noſtri temporis Geographi Mathematici maximum illius doctrinæ, imo unicum præſidium, aliquamdiu collocavere; cumque tandem coactus veritatis vi fuiſſet, fateri ipſiuſmet illius Magneticæ variationis multiplicem variationem, atque adeò nec ab illa quidem cognitione certam indubitatamque Latitudinis inveniendæ artem poſſe exſpectari. Id quod eſt longe veriſſimum. Perinde atque laudanda eſt ejuſdem ingenua confeſſio de impoſſibili inveſtigatione certæ longitudinis per Magnetem; quam habet ejuſdem libri parte ſexta problemate ſexto.

Quam difficilis autem ſit & alia quævis ratio certò explorandi elevationem poli ſive Latitudinem, non obſcurè profectò videtur indicare præſtantiſſimorum quorumvis Mathematicorum, poſt multiplicia experimenta, & inter ſeſe & cum ſemetipſis de uno eodemque loco diſſenſio. Non dubitavit ſanè ipſunimet Tychonem, de ea quæ Uraniburgi eſt poli altitudine, inconſtantiæ arguere Martinus Hortenſius;

quamvis illa, fateor ſcrupulum non excedat. Ejuſdem Tychonis errorem circa altitudinem Pragenſem, poſt Snellium accuratiſſimum utique mathematicum, perſtrinxit etiam Ricciolus in ſuo Almageſto. Quanto difficilior autem Longitudinis certa inveſtigatio! Certè ut Latitudinem, diligentiſſima cum ſideribus facta collatione, tandem acquiri poſſe haud negaverimus, de Longitudinis tamen firmâ ratione comparanda, propemodum eſt uti deſperemus. *Non ita pridem*, ait idem quem ante laudavi Kircherus, procœmio in partem quintam libri ſecundi, *vir Geographicæ diſciplinæ peritiſſimus, ad me Romam miſit Tabellam diſcrepantiæ Geographorum in unius Romæ & Coloniæ, celeberrimarum licet urbium, longitudine & latitudine aſſignanda propalatam: in qua quindecim auctores allegat, ad unum omnes non in longitudine tantum ſed & latitudine harum urbium aſſignanda diſcrepantes.* Quid dixerimus de alijs locis minus celebribus, minus vicinis? Quid dixerimus de locis omnibus univerſi orbis?

Inter antiquos Græcos Mathematicos ſanè eſt conatus dare poſteritati ejus generis plenam Geographiam ipſemet Claudius Ptolomæus: (una certe illa ex omni ævo iſthoc hodie ſupereſt) quanta autem ille errorum portenta tradidit? *Si quis voluerit Tabulas Ptolomaicas cum modernis leviter conferre:* (rectè ſcribit idem Kircherus) *in ſola Indiæ Orientalis ora comperiet is modernas à Ptolomaicis diſcrepare, modò triginta, aut quod dicere pudet quinquaginta gradibus: qui ad Æquinoctialem circulum efficiunt milliaria Germanica communia quadringinta quinquaginta.* Nemo Geographorum Aſtronomorumq; noſtri ævi de Ptolomæo non idem conqueritur. Dixerit quis fortè, faciem terræ mutaſſe multùm ab ævo Ptolomæi. Mutavit ſanè. At grandis adeo mutatio, quâ ſit effectum ut in noſtri ævi ſtatum vetera omnia Ptolomaica fuerint traducta, cuinam fiat veriſimile? Enimverò haud quidem pau-

ca hodieq; ſuperſunt in ſeptentrionalibus etiam hiſce terris indicia ingentis factæ mutationis (quæ inter, me quidem judice, & illæ muſcæ & ranæ aliaque ſimilia ſuccino comprehenſa indicant, aridum olim fuiſſe ubi nunc Balthicum mare ſuper ſuccini divitias eſt diffuſum) at illa mutatio omnis facta jam tum olim videtur vi magni illius diluvij, quo terra univerſa fuit obruta. A Ptolomæi autem ævo nihil ſimile contigit. Ptolomæi præterea exemplo Geographiam hanc etiam Arabes nonnulli excoluere, ſed præter Aſiatica vix illi quicquam ferè attigerunt, illa autem ob longinquitatem tuta ſunt ab examine noſtro; licet etiam apud credulos facilè inveniant fidem, ſuſpiciones tamen prudentium haud temerè patiuntur ſeſe eximi. Recentiores Europæi noſtri, ſparſim quidem, non tamen ſine inſigni profectu, doctrinam hanc excoluerunt. Quamvis enim tenebras etiam offuderint, vel certe moleſtias creaverint haud exiguas, temerario auſu mutandi pro lubitu primum meridianum; nec omnium menſuram hactenus vel aggreſſi ſint explorare; in multis etiam explorandis minus feliciter ſeſe geſſerint; vel ſcilicet ſolis Magneticis auxilijs ſubnixi, vel non juſta cura cum cœleſtibus inſtituta terreſtrium collatione; attamen negari haud poteſt, multorum illos paſſim per univerſum orbem locorum menſuram ſitumque jam prodidiſſe: atque adeo, ſi non quantum ad Aſtronomiæ & maritimarum navigationum, tamen ad communem vitæ uſum, Geographiam Mathematicam haud parum noſtra ætate excultam eſſe: certe longo intervallo (ſive ampliſſimam terræ partem veteribus plane incognitam, ſive majorem ſolito in menſurâ cognoſcenda induſtriam ſpectemus) noſtra tempora ſuperare iſthac in re Ptolomaicum ævum, multò magis Eratoſtenis aut Hipparchi ſecula. Quin imò, etſi omni ex parte abſoluta univerſi orbis Mathematica Geographia excedat captum humanarum

manarum virium, eoque ſperari nequeat: non dubito tamen, obſervato illo, quod ingenioſiſſimus Athanaſius Kircherus dedit Conſilium, brevi magnum illius doctrinæ incrementum ſecuturum. Ut fortaſſis ulteriùs ne voto quidem opus futurum ſit.

Longè minoris operæ eſt & expeditu facilius Geographiæ illud ſtudium, quod Hiſtoricum appellavi; ſi præſertim non niſi tui temporis rationem habere animus ſit. Quin imò videtur majus quodque ſtudium egredi limites hujus doctrinæ. Et verò obtentu hujus Geographiæ bona pars hiſtoriæ cum naturalium tum civilium rerum poteſt doceri: quæ tamen ſeorſim atque alio loco potius fuerit tradenda. Is vero *τὰ πάρεργα* docendi mos jam tum olim inoleverat. Ariſtoteles ſanè in Rhetoricis affirmat, *ὅτι πρὸς μὲν τὴν νομοθεσίαν αἱ τῆς γῆς περίοδοι χρήσιμοι, ἐντεῦθεν γὰρ λαβεῖν ἐστὶ τοὺς τῶν ἐθνῶν νόμους.* Sunt videlicet illæ *τῆς γῆς περίοδοι*, libri Itinerarij, quibus terrarum ſitus & deſcriptiones continentur: cujuſmodi ex priſco ævo hodieque ſuperant opuſcula Scylacis Caryandenſis & Hannonis Carthaginienſis, multum diverſa ab Itinerario Antonini quod appellatur & Burdegalenſi, Tabuliſque Peutingerianis, ut & Periplis Arriani & Marciani Heracleotæ. Pertinent autem utique omnia talia ad hoc gēnus Geographiæ. Atque Ariſtoteles quidem videtur potiſſimum, præter opuſculum Scylacis (quem perperam nonnulli Dario Codomanno æqualem faciunt, cum fuerit miſſus à Dario Hyſtaſpis filio, ignotas Africæ terras exploratum, ceu narrat Herodotus) habuiſſe in animo Eudoxi opus *περιόδου τῆς γῆς* titulo olim celebre: ipſemet vero ſatis oſtendit, minus ſibi placere illam operoſiorem naturalium civiliumque rerum cum Geographicis miſtionem, ſeorſim animalium hiſtoria doctiſſimis ſcriptis exhibita, ſeorſim item præclaro opere omnium ferè civitatum non Græciæ ſolum ſed etiam Barbariæ moribus

inſtitu-

inſtitutis & diſciplinis deſcriptis. Ad quod exemplum ſua componens Theophraſtus, ſeorſim item multijugis voluminibus cum Leges omnium gentium tum Plantarum hiſtoriam fuit perſecutus. Quale quid videtur poſt & Dicæarchus præſtitiſſe, ut Theophraſti diſcipulum agnoſceres; tales enim fuerunt illius tres libri de populis Græciæ eorumque civitatibus ac moribus, quorum hodieque exigua quædam fragmenta ſuperant.

Cæterum paulò poſt relapſus videtur iterum ad priſcum fere inſtitutum ipſemet Eratoſthenes: parcius tamen. Quapropter ſcribit libro ſecundo Strabo: illum πολλαχοῦ ἐκπίπτειν πρὸς τὸ ἐπιστημονικὸν τῆς προκειμένης ἱστορίας: vitio ſcilicet vertens Eratoſtheni, quod ſæpius verſetur in ijs, quæ ſunt ἐπιστημονικὰ h.e. quæ propria magis ſint Geographiæ Mathematicæ, quam ſcientiam appellat. Id quod tamen in Eratoſthene ego quidem potius laudaverim, ut qui tenuerit in hiſtorijs modum. Quem utrum obſervaverit ipſe Strabo, fortaſſe haud injuria dubites: quamvis omnia ejus plena ſint variæ & ſolidæ doctrinæ, civilium cumprimis rerum; quarum ſcientiâ valuiſſe virum vel una illa Maſſilienſium reipublicæ deſcriptio indicaverit. Pomponium Melam & Solinum & Latinos paucos alios religioſiores dixeris; niſi prodidiſſent, feciſſe id præ inopia eruditionis, non ſapiente aliquo conſilio. Idem vero planè eſt Genius ſcriptorum, quæ Anonymus ille Nubienſis & Abulfeda ex Arabum natione ad nos tranſtulerunt: quanquam Abulfedam meritò illis omnibus prætuleris peritiâ Geographiæ Mathematicæ & accuratioris tractationis. At cum mille amplius annos Geographiæ ſtudia omnia per Europam refrixiſſent, eaque nonnihil viciſſim erigere caput cæpiſſent ſeculo præcedente, multum denuo illâ Hiſtoriæ nimiâ abundantiâ Geographiam oneravit cumprimis Sebaſtianus Münſterus: culpandus ideo etiam, quod ferè totus ſit

in Germaniæ rebus narrandis, cum univerſi tamen orbis (cujus Germania eſt pars perquam puſilla) deſcriptionem dare debuiſſet. Alij parcius quidem hiſtorica illa perſecuti ſunt, attamen & hos deprehendas occupari in narrationibus à Geographiæ negotio planè remotis. Quo vitio laborant profectò etiam illa, quæ niditiſſimis ſuis tabulis Geographicis, Ortelius, Mercator, Hondius, Blauius alijque addiderunt.

Et ſanè, ſi verum fatendum eſt, ſola illa quæ ad ſitum ac menſuram regionum, populorum, urbiumque attinent, narrare, Geographici eſt argumenti: reliquum omne ab illo quidem loco alienum; quantumvis & illæ narrationes multum habeant cum jucunditatis, tum etiam commodi. Enimverò in qualibet methodo atque diſciplinâ ſunt ſola illa domeſtica & propria, quæ primò ac per ſeſe competunt objecto circa quod verſandum eſt. Nec temere illi ſunt limites egrediendi. Illis ſanè haud obſervatis, uſu venire ſolet, ut identidem quæ docenda erant non doceantur, doceantur autem quæ docenda ſaltim ibi non erant. & τα πάρεργα τὸ ἔργον excludant. Iam verò habet pro ſubjecto Geographia tellurem: at non ſimpliciter (pertineret enim iſthuc penè omnis Naturalis hiſtoria imo & Philoſophia, pertinerent omnes artes, pertineret omnis humanarum rerum hiſtoria, pertineret univerſa Philoſophia practica) ſed intantum duntaxat, inquantum partes terræ omnes ſunt varij ſitus, variæque longitudinis & latitudinis. In hoc campo igitur & demonſtrationes & narrationes Geographicæ debent decurrere: ſi extra illum vagentur, in vitio ſunt.

Nec enim in hiſce ſolis licet occupati, non ſatis invenient Geographiæ magiſtri quod agant. Ampliſſimum ſcilicet terræ ſpacium eſt, & ingens multitudo ejus partium; quarum ſitum narrare in officio illius diſciplinæ eſt. Crevit certe labor plurimùm, ex quo Americæ, quam vocant, & tot inſularum Oceani cognitio centum & amplius annorum inter-

vallo acceſſit. Creſcit paulatim magisque, novis ſubinde terris induſtriæ navigantiũ verſus Antarcticum præcipuè polum ſeſe aperientibus. Quæ omnia doctiſſimis quibusque veteris ævi latuerunt. Nec enim nunc moror de Atlantide Platoni prodita, aut illos S. Clementi Romano in Epiſtola ad Corinthios memoratos trans Oceanum mundos, aut denique felices Phœnicum & Carthaginenſium ultra Herculis columnas navigationes, & quæ hiſce ſunt ſimilia. Platonica enim illa fabulis ſimillima, ſaltim incertiſſimæ fidei; & mundi Clementis tranſmarini nihil forte ſunt aliud, quam Britannia aliæque Oceani inſulæ, ceu viſum eſt Patricio Iunio, etſi aliter videantur accepiſſe Origenes, Hieronymus, Epiphapius & Photius: navigationes poſtremò Phœnicum & Carthaginienſium ad Caſſiteridas aliasque inſulas, perrexiſſe ad inſulas Capitis Viridis, fortaſſis etiam ad Fortunatas, ut non eſt vero abſimile, ita ulterius iviſſe fidem indubitatam haud meretur. Non etiam ego quidem negaverim, debuiſſe merito jam tum olim ſaltem ſapientioribus quibusque ſuſpiciones naſci, de vaſtâ telluris trans Oceanum amplitudine, vel ex eo, quod cœteroquin altera pars telluris alteri nimium præponderaret, atque ita centrum magnitudinis terræ cum centro univerſi non poſſet convenire. Eo ſane argumento ductus equidem haud dubito profiteri, terram Auſtralem, quam vocant, inſigni item eſſe magnitudine; niſi forte perpetuæ rupes pondere ſuo magnitudini quid detrahant. Verum enimvero certum tamen eſt, ſuſpiciones ejusmodi, ſi modi ulli, natas paucis: vulgo certè hominum non veniſſe in mentem. Quicquid ſit, nihil de horum omnium poſitu quidquam certi eſt monumentis antiquis traditum, atque adeo Geographorum ingenia olim macerare non potuit illud ſecus atq; ſit hodie. Quid, quod vetus illud ævum ne Europæ quidem Aſiæ & Africæ omnia perinde atque hoc noſtrũ habuerit cognita? Ipſe-

met Strabo fatetur: *Quæ trans Albim ad Oceanum ſunt nobis prorſus ſunt ignota.* Etiam id verò quod Rhenum inter & Albim eſt tum demum innotuerat; & Britannia ante Cæſarem perinde Romanis ferè audiebatur atque hodie nobis Terra Auſtralis. Longè adhuc majoris circa ſeptentrionalia veterum Græcorum ignorantiæ indicia præbent hodieque nobis Meteorologica Ariſtotelis ſcripta, Iſtri originem ex Pyrenæo arceſſentia. Quæ ideo adfero, ut appareat, quam ſit hodie operoſior atque olim Geographica plena cognitio.

Non diffitebor autem; quamvis late ſatis diffuſa ſit iſthæc omnis Geographica diſciplina, modò noſtri ævi conditionem velis eâ qua par eſt curâ componere; poſſe tamen illam juſto adhibito ſtudio facilius longè comparari, quàm ſi etiam priſcorum temporum ſtatum accuratè intelligere ſit propoſitum. Hîc ſcilicet quaſi mare aliquod vaſtum, plenumque errorum, tibi ingrediendum fuerit. Enimvero veterum rerum plærarumque memoria ad nos pervenit perquam parcè atque obſcurè, eaque non niſi perpartes & varijs monumentis eſt ſparſa: ut perquam difficulter in unum colligi & perſpicuâ oratione prodi res illæ poſſint. Longi porrò temporis vitio immane quantum penè omnia mutavere: ut campos nunc videas, ubi Troja fuit; alia mari & fluctibus abſorpta, alia terræ motibus everſa, alia inculta hodie & derelicta, alia vi militari diruta. Quibus viciſſitudinibus ipſi montes & flumina fuerunt interdum obnoxia. Vnde iterum multa caligo animo objicitur: nullo fermè ſuppetente conjecturis ſubſidio; imo tenebris potius naſcentibus, ex ijs, quæ oculis noſtris nunc ſubjecta ſunt. A quibus moleſtijs & laboribus, imò & erroribus, vacua omnino eſt recentis omnis terræ deſcriptio. Eò fit ſane, ut vetera illa ſoli, qui antiqua monumenta quælibet ſummo ſtudio tractare, & accuratâ mentis acie diſperſa colligere atque judicare ſolent, aſſequi

ac docere ſint idonei. Quanti ſanè eſt confuſis ordinem, obſcuris lucem, obſoletis nitorem, defunctis vitam reſtituere! Quàm paucis hoc quidem præſtare datum eſt! Enimvero hanc ego difficultatem præcipuam cauſſam arbitror, quare tanto in ſcripturientium numero pauci adeo veterem Geographiam illuſtrare ſint aggreſſi, longe pauciores in ea pretium fecerint operæ. Acceſſiſſe tamen fateor etiam illud, quod veteris Geographiæ nullus ſit hodie uſus, niſi ad intelligenda ſcripta quæ ſuperſunt ex ævo priſco. Quod officium adſcribi olim ſolet ſecundo Grammaticæ Artis generi, quod ἐξηγητικὸν nuncupavere & ἱστορικόν. Vnde vetus Geographia ſolis doctis, & quidem cumprimis Philologis iſtis, inſervit maximè: cum recens quæque telluris enarratio omni hominum generi, & ad noſtræ vitæ commoda proſit plurimùm.

Inter veteris autem illius Geographiæ excultores equidem familiam ducere, & omnium principem àrbitror Philippum Cluverium. Nec dubito idem mecum ſenſuros alios, qui quidem animo defœcato volumina illius, ſaltim quibus, Germaniam Italiam & Siciliam antiquam illuſtravit, legerint. Aliter enim alios nonnullos in Batavis judicaſſe, non me fugit; ſcio vero etiam, illos partium & certaminum quorundam ſtudio nimium fuiſſe deditos. Produnt certè ſcripta illa viri induſtriā in Geographico iſthoc ſtudio incomparabilem. Et quidni? cum non gravatus fuerit pedes univerſam Italiam & Siciliam luſtrare, quo utramque eo accuratius poſſet narrare. Produnt eadem lectionem infinitam, judicium acre ſimul & elegans. Nec tamen ab omnibus illa erroribus vacua dixerim. Ego fateor in haud paucis à Cluverio, in Germaniæ cumprimis noſtræ rebus, diſſentio: quas meas ſententias tibi etiam, Clariſſime Buno, jam video probari. Nec tamen minus principatum in hoc doctrinæ genere illi tribue-

re-

re, vel tantillum dubito: idque quandoquidem in longe plurimis, imò in propè infinitis, non tantum conatus omnium antegreſſos ſuperaverit, me judice, ſed etiam meliorem ſpem præceperit; ad quam doctrinæ vim collati errores nihil ſunt niſi nævi exigui in corpore formoſiſſimo. Vtinam ſanè haberemus veteris Geographiæ ab illa manu reliqua! Vtinam modo Græciam antiquam haberemus Cluverij induſtria elaboratam! Quanto id eſſet conjunctum cum fructu literariæ rei! Haberemus autem, niſi mors præpropera virum abſtuliſſet. Nunc cogimur contenti eſſe noſtris Catonibus, quamvis neutiquam Cluverio comparandis. Neque verò te præterit, quanta in exſpectatione fuerit Græcia Antiqua à Ioanne Laurembergio illuſtrata: quamve multum ſit impar Cluverianæ Italiæ Siciliæ & Germaniæ: utpote quæ præter Tabulas, affabre licet confectas, nihil penè habeat quod vel verè Geographicum dici mereatur. Et tamen cum deſeruerit nos Cluverius, nunc impensè lætamur, vel ita demum deſiderio noſtro ſatis eſſe factum. Perinde ſcilicet atque infelix illud Cluverij fatum acceptiora nobis reddit, quæ in hoc ſtudio, cum alij, tum Mercator inprimis & Ortelius poſteritati reliquerunt.

Eapropter, ceu antehac feci, ita nunc etiam laudo, operam abs Te, Clariſſime Buno, impenſam in id, ut per compendium literario ordini exhiberes Italiam pariter & Siciliam antiquam Cluverij: idque cumprimis quandoquidem ipſa met grandia ejus volumina & rarius hodie inveniantur venalia, & præ magnitudine lectores quammultos abſterreant potius, quam ut alliciant: & tamen ad intelligenda rectè monumenta vetera, Romanarum ſaltim rerum, Cluveriana iſthæc longè ſint utiliſſima. Non deſinam etiam Te impellere, ut perficias quod moliris & jam habes affectum, compendium ſcilicet Cluveriani operis de Germania antiqua; quan-

tumvis veterum ſcripta minus fuerint circa res Germanicas occupata, atque adeò ille tuus labor ad explicanda illa veterum monumenta non perinde poſſit adjuvare atque ille Italiæ & Siciliæ adhibitus. Fuiſſe autem Cluverium non duntaxat antiquæ, ſed & recentis noſtræ Geographiæ perquam peritum, luculentiſſimo ſanè argumento eſt poſthumus ille libellus, quo per epitomen veteris noſtrique orbis deſcriptionem eſt perſequutus. Nec verò vel huic quidquam ſimile videas. Quis enim alius veterem novamque Geographiam unâ operâ docuit? Vtut haud negaverim, multa ſatis etiam hic reperiri valde mendoſa: quæ tamen jure excuſationem mereantur, quoniam ultima manus non acceſſerit, ſed fœtum immaturum mors præpoſtera informem propemodum multis partibus effecerit. At bonum factum, Clariſſimè BVNO, quod ne hoc quidem in libello Cluverium deſerveris. Et vero ſentio abs te annotationibus illuſtrata plurima cœteroquin obſcura intellectu: alia etiam rectius tradita: Tabulis præcipue novis additam quaſi lucem maximam. Novis inquam. Etenim quas ex Ortelio in Batavis nonnulli adjecere, parum abeſt quin officiant illæ potius quam proſint, ob ſententiarum Cluverium inter & Ortelium diſcordiam. Accedit quod Index etiam ille, quem magnâ curâ confeciſti, non poterit non eximio eſſe uſui. Dixerim certe, nunc demum poſſe libellum reapſe efficere, quod debuit quidem, fruſtra tamen hactenus fuit ab illo exſpectatum. Non potuiſſes ſanè melius de ſtudioſa juventute mereri dum ſcilicet paras illi aditum, cum ad eruditæ vetuſtatis ſcripta intelligenda, tum ad hujus etiam orbis ejusque præcipuarum partium notitiam. Perge verò, ò optime, in hunc modum bene mereri. Perge præſtantia quæque ſcripta, ſaltim ad hiſtoriam pertinentia, ceu eximie cæpiſti, claram in lucem producere. Referet Tibi gratias immortales, ſi non hoc æ-

vum, utique odij & invidiæ vacua poſteritas. Ego autem Deum obſecro, uti integras vires corporis Tibi largiatur, quo poſſis animo id præſtare, quod in votis tibi eſſe, ſatis compertum habeo. Helmeſtadij in Academia Iulia xv Kalend. Sept. Anno cIↃ IↃ c lxi.

LX.

Annexa Höttingeri libro de Cippis Hebræorum, excuſo Heidelbergæ anno 1661.

Viro Clariſſimo JOANNI HENRICO HÖTTINGERO S. S. Theol. Doctori ac Profeſſori incomparabili, Amico meo magno.

VIr Clariſſime. Heſterno die Redekerus noſter & ſalutavit me tuo nomine, & ſimul obtulit priores aliquot plagulas cum Compendij Theatri Orientalis tum Appendicis Compendij Theologiæ Iudaicæ; adjecit & Tabulas binas rei nummariæ, tum unam Cipporum Hebraicorum, denique etiam ſi quid habeam nummorum id generis, uti depingi curarem tibique transmitti, rogavit. Ego vero magnas tibi gratias habeo pro hiſce omnibus: ante omnia Deum precatus, uti incolumem te porrò ſervet bono publico rei litterariæ; quippe cui es profectò utiliſſimus, ſive induſtriam ſpectem ſive Orientalis doctrinæ inuſitatam peritiam. Et verò ipſæ illæ plagulæ mirificè in me incenderunt amorem pariter tui & admirationem: quæ cum me pridem occupaſſent, jam tum aliquoties publicis ſcriptis utrumque teſtatus ſum. Vix ſane fero deſiderium utriuſque tui Compendij. Sed & novam Cipporum editionem avidè exſpecto. Vtinam viciſſim tuo etiam deſiderio ſaltim nonnihil ſatisfacere in mea ſit poteſtate! Sed veterum nummorum, Græcorum Romanorum aliorumque

que

que copias haud exiguas magno ſtudio etſi collegerim, Hebraicorum tamē, quod quidem auſim genuinum credere, nihil mihi eſt. Neque vero binos illos quos poſſideo Sicli titulo inſignitos, alterum Samaritanis alterum Hebraicis hodie ſic dictis, ſive Aſſyriacis Esdræ, characteribus inſcriptum, arbitror vel vetuſtatis vel notæ bonæ eſſe. Vterque ſanè juſto ſicli pondere caret. Samaritanus manifeſtò recentior eſt: alioquin plane geminus illi, primo loco quem exhibet tabula tua primæ editionis libelli de Cippis. Hebraicis litteris inſcriptum nullum arbitror genuinum reperiri: multo minus ergo hunc meum laudaverim. Habet Sereniſſimi & vere Auguſti Principis mei filius natu minor, paternæ autem virtutis æmulus, Ferdinandus Albertus in Cimelijs ſuis binos æneos: ſed video alterius imaginem jam abs Te, fortaſſis ex Clariſſimi Schraderi noſtri opuſculo, expreſſam nova illa tabulá, alterius cum effigie Moſis jam tum primâ editione exhibitam. Eſt verò & ille Moſaicus indubiè adulterinus & à recente atque imperitâ manu. Habuit etiam ὁπαίω Georgius Calixtus noſter argenteum Samaritanis characteribus Siclum inſcriptum, haud parùm vetuſtum. Sed & ille apud nos morari deſiit: viſus quoque mihi ſuſpectus, cum quod magnitudine non niſi ſemiſiclum æquaret, tum quod duntaxat eſſet pondere drachmarum duarum, totidem ſcrupulorum, & ſex granorum, cum juſtus Siclus fuerit τετράδραχμος. Erat cœteroquin plane ſimilis ſiclo ſecundo & tertio Villalpandi, ſuâ inſcriptione pariter & figura. Habet amicus meus Lipſiæ Samaritanis literis inſcriptum aureum: ſed nec illius vel deſcriptio vel figura ad manum eſt. Igitur quamvis pervelim, hac tamen parte juvare Te nequeo. Vt intelligas tamen animum deſiderij tui explendi cupidum, en tibi depictos aliquot nummos meos, optimæ quidem notæ ſed mihi ignotis characteribus inſignitos. Priores duo argentei ſunt, quaſi denarij. Punicos eſſe ſuſpicor, idque quoniam

Antonius

Antonius Auguſtinus, dialogo VI itidem Carthaginenſes duos aureos ſibi eſſe teſtatur, in quorum parte altera facies fœminæ altera equus ſit expreſſus: unius etiam inſcriptæ literæ videntur eſſe quales Punicas expreſſit in Sicilia ſua Paruta. Tertius aureus eſt ſive potius inauratus: ſed qui ſit neſcio, niſi forte Gothicus aliquis fuerit. Quartus pariter & quintus æneus eſt & longe vetuſtiſſimus, incompertæ vero mihi gentis, niſi quod itidem Punici videantúr. Sextus niſi vehementer fallor vetus eſt Hetruſcus. Video ſiquidem hîc ſigna auguratus & pontificatus, qualia ab Hetruſcis acceperunt Romani. Ut verò jam ſum faſſus, quicquid horum affirmo, tantùm levibus conjecturis nititur: certo quod afferam nihil equidem habeo. Malo igitur ab alijs doceri. Quod niſi tu poſſis, fortaſſe poterit nemo. Quis enim in ſimilibus te ſuperet?

Ut vero ad nummos Ebraicos redeam, non diſſimulabo tibi παράδοξα quædam mea. *Primum* eſt: nullum nummum Ebraicum olim Sicli nomine dictum, qui non fuerit argenteus. *Alterum* nullum nummum qui imaginem hominis refert genuinum eſſe: eoque illum Salomonis & Moſis effigie inſignitum, & ſi qui alij ſunt ſimiles, cumprimis qui imaginem habet noſtri Salvatoris, adulterinos omnes eſſe. *Tertium* eſt: nullum nummum characteribus Ebraicis ornatum eſſe bonæ notæ, aut multò vetuſtum. *Quartum* eſt: non poſſe ullo certo indicio oſtendi, nummos qui literas habent inſcriptas Samaritanas captivitate Babylonicâ eſſe antiquiores. *Quintum* eſt; nummos illos omnes eſſe cuſos Haſmonæorum ac Herodum temporibus, & quidem ab ipſis Judæis, poſtquam cudendi nummi poteſtatem ab Alexandro Rege Syriæ Demetrij filio fuerunt nacti; Samaritanos enim characteres fuiſſe in uſu vulgari, Ebraicos autem ſolis ſacris codicibus deſcribendis quaſi dedicatos. *Sextum* denique eſt;

unum duntaxat fuiſſe Sicli genus, non verò alium Siclum ſacrum alium profanum. Hæc mea παράδοξα poſſe me arbitror non vanis argumentis ſaltim vero perquam ſimilia facere. Aſt nunc quidem potius malo exſpectare ſecundam editionem libelli Tui: idque quoniam fortaſſis adferes in medium rationes propter quas cogor mutare ſententiam. Id quod facere ſum paratiſſimus, ſimul docear certiora: utpote quum fatear, non conſtare hæc mihi certâ ἀποδείξει, ſed tantum probili quadam collectione. Vale Vir Clariſſime, & ſalve plurimum faveque. Helmſtadij XXI, Auguſti 1661.

P. S. Proximis nundinis exhibebit tibi exemplum libri mei de Bibl. Auguſta Illuſtris noſter Boineburgius, idque in pignus amicitiæ. Obſervabis vero pag. 113. memoriam tui nominis: ut mihi illa ſemper eſt ſacra. De Cippis Ebræorum velim audire ſententiam tuam, num quem eorum cenſeas eſſe valde vetuſtum. Mihi videtur ſane, aut ficta eſſe plæraque, aut cippos illos extructos eſſe à Judæis, poſtquam mutavit in Palæſtina imperium Chriſtianorum Europæorum. Et verò etiam illi qui diligentiſſimè (ut Brochardus) ſunt perſecuti ex Chriſtianis noſtris res Palæſtinæ, quales illæ fuerunt ante hos trecentos amplius annos, vix unius & alterius cippi fecere mentionem.

LXI.

Præfixa commentariis Græcorum interpretum in Ethica Nicomachia, editis cura S. Rachelii Helmeſtadii anno 1662.

Clariſſimo Viro SAMUELI RACHELIO Collegæ atque amico ſuo eximio S. P. D.

Optimè profectò mereris, Clariſſime RACHELI, non de noſtra tantùm juventute Academica, cui erudiendæ

es præfectus, ſed etiam de alijs quamplurimis, qui id quod ex uſu eſt librorum auxilio diſcere propoſitum ſibi habent; ut antehac, Nicomachiorum Ariſtotelis Moralium elegante curatâ editione, ita nunc, revocato in lucem hoc dudum deſiderato Commentariorum codice. Nec enim ſaltim argumentum utriuſque operis non eſt longè utiliſſimum. Quæ ſanè fuerit utilior, quàm de viâ perveniendi ad veram humanæ vitæ felicitatem conſultatio? Id verò qui doceant, habemus quidem magiſtros verè divinos, fallere & falli neſcios, quique adeò idonei etiam ſunt docere τὸ μυςήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ θεῷ, *quæ oculus non vidit, auris non audiit, in cor hominis non aſcenderunt, Deus autem præparavit ſeſe diligentibus:* quibus proinde pares magiſtros alios quærere, ſive certitudine ſive perfectione doctrinæ, fruſtra fuerit, alios addere haud neceſſum ſit. Non aſpernandi tamen ſunt, ſi qui non perinde divinitus edocti, in nobiliſſima hac doctrinâ humano generi proponendâ non omnem omnino operam luſerunt. Fecere id autem, quotquot, perſpecta hominis naturâ, illi quidnam conveniat expediatque, ſcrutari & tradere tentaverunt. Et verò dubio omni vacat (ſaltem oportet vacare) perfectionem illius naturæ noſtram felicitatem eſſe, atque adeò illam quod perficit unicè nobis agendum, quod turbat omittendum, quod corrumpit planè vitandum eſſe. Ad hunc modum ipſamet profecto noſtra nos natura obligat: haud ſecus, atque ad commoda morbis abigendis remedia ſanitas, ſi recuperanda fuerit; imò quemadmodum in univerſum finis neceſſariò exigit ſua ad obtinendum media. Neque hactenus quidquam eſt difficile, aut quod meritò animum ſuſpenſum teneat. Eoque videas, quamvis diſſonas Græcorum Sapientum de vita agenda ſententias, ſeſe inter de hiſce conſentire. Verùm enimverò circa hominis illam naturam cognoſcendam perquam multi, ſi non omnes, divinæ

lucis vacui, graviſſimè lapſi ſunt. Sicut in varias ſanè ſententias hîc abierunt, ita deinde & moribus alia atque alia præcepta condiderunt. Et verò quî corpori tribuas honorem ſuum, ſi eſt vinculum aut carcer animæ? imò ſi ſemel in pulverem reſolutum planè deſinit eſſe? Quî animæ non deroges, ſi ex atomis corpuſculis conflata cum corpore interit? Quî utriuſque debitam curam habeas, ſi nihil eſt humano relictum arbitrio ſed omnia fatali fiunt neceſſitate, ſi nullum Numen benè geſtis præmium aut malè patratis pœnā conſtituit, ſi deniq; impunè & gratis omnia aguntur? Sapienter Silius Italicus:

Heu! prima ſcelerum cauſa mortalibus agris,
Naturam neſcire Dei.

Merito licet addere: *atque hominis*, h. e. animæ & corporis humani. Vt non malè dixerit Juvenalis:

— *è cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτόν.*

Sed quorſum prolabor? Hoc volui. Quamvis magiſtros morum à Deo ipſo accepetimus, ex re tamen eſſe, etiam alios inferioris ordinis conſulere, ſi qui hîc operæ fecerunt precium, quod factum à nonnullis: atque idcirca, cum Ariſtotelis Nicomachia jam antehac dederis, nunc aliquot Græcorum in Ethica iſthæc commentaria publices, præclarè te, Clariſſime Racheli, de nobis omnibus mereri. Eſt ſcilicet Ariſtoteles Moralis Philoſophiæ Dogmaticus quidem magiſter fortè princeps; in primis certè unus. Quoniam tamen, nec providentiam humanarum rerum divinam, nec animæ conjunctæ quam appellant immortalitatem, multò minus vel defuncti corporis cum anima redunitionem, vel divinum humani generis judicium, vel ſalutem pœnamve aliquam æternam, miſer agnovit: hinc doctrinæ morali paſſim vim demonſtrationum haud addidit, in ijs quæ de Fortitudine diſſeruit vereor ut ſatis obſervârit ſuarum hypotheſium conſequentiam, quamvis fuerit aliâs judicij in talibus accuratiſſimi.

ſimi. Agnovit ipſemet ratiocinationum ſuarum imbecillitatem: ſed excuſat prætexens, ὅτι πᾶς ὁ περὶ τῶν πρακτῶν λόγος τύπῳ καὶ οὐκ ἀκριβῶς ὀφείλει λέγεσθαι, idque quandoquidem ἡ ὕλη ὑποκειμένη non ſit conſtans & ſtabilis, ſed inſigni laboret διαφορᾷ καὶ πλάνῃ. Id quod ex parte utique verum eſt: ſimpliciter tamen verum non eſt. Nec enim revera eſt tanta illa διαφορά & illa πλάνη, quantam ille cauſatur, modò fundamenta morum ſcientiæ bene jacta fuerint. Eoque & ἀκριβολογίαν ἀποδεικτικὴν ſic ſatis inſignem admittit Ethica: quamvis propter amplitudinem materiæ, circumſtantijs variæ, non facilè adeò, ut in Mathematicis, officiorum canones poſſint condi, nulla exceptione languidi, aut qui omnia comprehendant. Malè ſanè fuerit nobis à natura conſultum, ſi ea quæ ad felicitatem vitæ attinent accuratè ſciri nequeant. Id profiteri eſt incuſare ſapientiam ipſiuſmet naturæ creatoris. Quî verò virtus ſit aut hominis perfectio, ne mortis quidem formidine ab honeſto deterreri, ſi mors extremum homini damnum inferat, quod fatetur Ariſtoteles, & reapſe felicitatem humanam omnem evertat? Non eſt homini bonum, quod illum ſummè reddit miſerum. Virtus illa verè generoſa ſtultitia fuerit. Nihil horum te etiam fugit, Clariſſime RACHELI: idque oſtendiſti luculentè, doctiſſima illa tua in Moralem Ariſtotelis Philoſophiam Introductione. Quod non tamen hiſce etiam vitiis fueris deterritus, à curanda Ethici operis Ariſtotelici editione, id eſt quod equidem vehementer laudo. Quâ ſcilicet vales æquitate judicij, obſervaſti nihilominus, quæ reliqua eſt corporis illius Ethici, inuſitatam pulcritudinem. Et verò nemo Philoſophorum, veterum quidem, meretur cum Ariſtotele hac etiam parte comparari; ſi videas τὸ ἀκριβὲς, τὸ μεθοδικὸν, τὸ συλλογιστικὸν, imò ſi & videas doctrinæ patentem latè campum. Non quoque poſterorum quis temerè ipſi fecit paria, quamvis librorum mole multùm ſuperent,

perent & nonnullos Philoſophiæ hujus locos præ Ariſtotele ſplendidè illuſtraverint. Omne videlicet Naturale jus Moralis eſt Philoſophiæ: cujus bonam partem quidam noſtra tempeſtate peregregiè excoluerunt. Quos inter eminet utique ὁ πάνυ Hugo Grotius,

velut inter ignes
Luna minores.

Non tamen illorum quiſquam omnem Philoſophiam Moralem, ad Ariſtotelis exemplum, unum in corpus hactenus redegit. Sed & illi qui maximè heic fuerunt aliquamdiu occupati, Morales Theologi, Jeſuiticæ cumprimis ſodalitatis, jam in adeò abſurdas, ineptas, imò improbas ſententias delabuntur, ut ſaltim ſi illorum novæ de probabili conſcientia Philoſophiæ credimus, fere nullis ſceleribus ſua amplius poſſit excuſatio deeſſe, omnia reapſe vacent culpâ. Quo in ordine cum legi Dianam, principem illorū Rabbinorum novorū, à Caramuele laudari, ceu *agnum Dei qui tollit peccata mundi*, equidem fermè

Obſtupui, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit:

viſus autem mihi ſum audire Lucretium aliquem, ἐπινίκιον canentem ſuo Epicuro, quod

Humana ante oculos fœdè quum vita jaceret
In terris oppreſſa gravi ſub relligione,
— — arctis
Relligionum animos nodis exſolverit.

Cœterum horum hominum peſtilentia placita, ſimul otium fuerit, Te, Clariſſime RACHELI, juſta animadverſione perſequuturum, ſpero. Imò illud uti quamprimum facias, etiam atque etiam contendo. Vales utique, & officij ratio jubet, te hoc agere. Nunc cumprimis perſuaſum id tibi habeas cupio: & antehac in Ariſtotelis Ethicis Nicomachijs, & jam in Commentatoribus eorundem edendis, magnum te pretium operæ feciſſe. Indigent nimirum Ethica illa explana-

planatione quadam doctæ manus: quam non infeliciter, ſaltim plæriſque libris, Græci illi adhibuerunt. Et ſanè tres iſti quibus auctoribus creduntur hi Commentarij confecti, Aſpaſius, Euſtratius, & Michaël Epheſius, magnum in Ariſtotelicorum Commentatorum ordine nomen quondam ſunt conſecuti.

Enimverò *Aſpaſius* videtur jam circa extrema ſeculi Chriſtiani primi floruiſſe: ut cujus diſcipulo Galenus adoleſcens magiſtro fuerit uſus; quod teſtatur *libro de cognoſcendis & curandis animi morbis*; cujus item commentarium in Categorias ſibi lectum memorat, libro *de libris propriis capite undecimo.* Quod ipſum liquet etiam ex eo, quoniam Alexander Aphrodiſæus ad librum primum Metaphyſicorum commentario quadrageſimo quinto, Aſpaſii mentionem faciat, etſi perperam ibi legatur Haſpaſius: & Simplicius ad librum primum Phyſicorum commentario viceſimo ſexto, recitatâ Aſpaſii interpretatione, addat illam refutatam eſſe ab Alexandro. Conſtat autem Alexandrum vixiſſe Severo Auguſto, ſub finem ſeculi ſecundi, Galeno ætate ferè ſupparem. Scriptos autem ab Aſpaſio commentarios, in Categorias quidem, teſtimonio illo paulò ante laudato Galeni novimus: in librum περὶ ἑρμηνείας, ex Boëtio manifeſtum eſt: in libros octò Phyſicorum, ex Simplicio; in libros Metaphyſicos, ex Alexandro jam tum memoravimus: in plæraq; Ariſtotelis alia itidem editos, per eſt veroſimile. Tanti autem fecit eos ipſemet Plotinus, ut cum aliorum Peripateticorum libris in ſchola ſua legi illos curaverit: ceu in hiſtoria vitæ Plotini narrat Porphyrius.

Non *Euſtratium* porro ſed Euſthatium in Ethica commentatum eſſe, paſſim in Diſcuſſionibus notat Franciſcus Patritius, diſertè illum ab Euſtratio diverſum faciens l. X. tomi primi: ſed videtur memoria lapſus, vir omnium Ariſtotelis hoſtium optimè de Ariſtotelicæ Philoſophiæ hiſtoria meritus;

tus, quandoquidem & Græca Aldina & Latinæ Feliciani interpretis editiones, conſtanter referunt Euſtratij nomen. Idem quoque nomen inveni in Catalogo manuſcriptorum Bibliothecæ Florentinæ pag. 87 Henrici Ernſtij curâ publicato. Is autem quando vixerit exactè quidem memorare jam nequeo, quod non ſit ad manum nomenclator ἱερατικὸς Epiſcoporum Nicænorum, quem mihi aliquando lectum recordor. Non dubito tamen, vixiſſe demum poſt ſeculum Chriſtianum decimum, quo Philoſophiæ ſtudia in Græcorum Imperio, Bardæ Cæſaris felicibus auſpicijs, refloreſcere cæperunt. Cæterùm doctrinam viri, & in Ariſtotelica Philoſophia illuſtrandâ induſtriam pariter & peritiam, oſtendunt clariſſimè, perdocta in ſecundum τῶν ὑστέρων ἀναλυτικῶν librum commentaria: quorum Latinam verſionem Andreæ Gratiolo debemus; illi (quantum arbitror,) qui & Avicennæ nonnulla Medica doctis ſcholijs illuſtravit, & de Peſte ſcripſit Italicè.

Clarum verò eſt *Michaëlis* quoque *Epheſii* nomen, & à Petro Victorio è Medicæa Bibliotheca editis in quatuor libros de Partibus animalium Scholijs, & alijs in libros de Animalium generatione, quæ Philopono perperam à nonnullis adſcribi ſolent: ut & Expoſitionibus in Parva Naturalia ab Aldo editis, Latinè autem cum à Philalutheo tum à Geſnero verſis; quas manu exaratas in Medicæa pariter & Bavarica Bibliotheca adhuc ſupereſſe, liquet ex Indicibus divulgatis. Laudatur porro ejus μετάφρασις libri de Coloribus, qui Ariſtotelicis monumentis ſolet addi, eſt autem Stratonis Lampſaceni: verum hactenus illa non venit in manus meas. Vixit autem & hic Epheſius poſt ſeculum decimum: ætatis tamen momentum fortaſſis itidem haud poteſt definiri. Niſi ſane fuerit Pſellus ille, quem Epheſium & ὕπατον τῶν φιλοσόφων vocat Cedrenus: ille inquam, quia Pſelli complures fuere, ceu Leonis Allatij ſingularis libellus oſtendit.

Hi tres

Hi tres igitur citra controverſiam non ſanè in poſtremis ſunt cenſendi. Video tamen, perquam adhuc eſſe difficile definitu, quidnam hujus operis ab hoc vel illo vel iſto ſit profectum; etiam ipſiſmet antiquis exemplaribus ea in re non ſatis inter ſeſe conſentientibus. Quod enim jam tum eſt etiam abs te in laudata modò Introductione admonitum, aliter de nonnullis Aldinum Græcum, aliter Feliciani Latinum pronunciat: imò utrumque exemplar de plærorumque librorum commentarijs variâ ambiguitate loquitur. In Mediceæ Bibliothecæ Ernſtiano catalogo legitur pluteo octuageſimo primo *Aſpaſii expoſitio in IX librum Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum.* Quæ Expoſitio ſi non alia eſt ab ea, quæ hoc opere comprehenditur, fuerit hæc nova ſententia, nec Aldino ſcilicet nec Felicianeo exemplari conveniens. Qui tamen in Primum & Sextum librum eſt Commentarius Euſtratio, qui in Quintum Michaëli Epheſio, qui in Septimum & Octavum Aſpaſio, non dubio omnium aſſenſu adſcribitur. Vt hactenus quidem de ſecundi duntaxat, tertij, quarti, noni & decimi libri explanatione auctor ſit incertus.

Ex ipſo verò opere accipere etiam eſt primò, quod is qui in *Sextum* eſt commentatus ſimul etiam *Primum* librum expoſuerit. Id enim ſcriptor ille ſua in Sextum, ad neſcio quam Reginam, præfatione diſertè profitetur. Ratio autem commentandi in hoc codice in Primum & Sextum librum planè eadem eſt. Vt proinde poſſimus fortaſſis utrumque commentarium huic Euſtratio acceptum referre. Alterius autem libri alicujus expoſitionem itidem Euſtratio tribuere, equidem non auſim. Nec enim ullus ſimili eſt ornatus præfatione: nec uſquam ſimilis eſt explanandi modus: & auctor Sexti jam cauſatur ſenio ſeſe & morbis oppreſſum; ut non ſit veroſimile, ſine ulla excuſatione poſthac denuo librum aliquem aggreſſum eſſe. Felicianus quoque in ſuo ad Alexandrum Farneſium procemio

mio teſtatur, ſe incidiſſe *in Commentaria Euſtratij quæ in Primum & Sextum librum conſcripſerit*: quod indicat, illo quidem volumine aliud nihil comprehenſum fuiſſe, tanquam illa ſola ſint Euſtratij. Eſt certè utriuſque iſtius libri ſcriptor homo Chriſtianus & multæ eruditionis.

Quinti libri ſcriptio nihil ſimile habet cum Scholijs Marci Epheſij ad libros de Partibus & Generatione Animalium aut Parva naturalia. Doctior enim eſt & locupletior. Nec tamen auſim abjudicare Michaëli, contra illum conſenſum: præſertim quoniam unus idemque varios poteſt expoſitionis modos inſtituere. Sed & illud eſt librorum de Partibus animalium argumentum, cui nihil temerè addi poteſt ab eo qui non fuerit in ſectione animalium verſatus, qualis peritia Michaëli Epheſio defuit. Alia verò ratio eſt argumenti Ethici de Juſtitia.

Non auſim etiam temerè refragari conſenſui de Aſpaſio, *ſeptimi* & *octavi* commentarij auctore. Nec tamen deprehendo hîc Aſpaſij laudibus dignam eruditionem. Sed & ſequius quid ſuſpicari me facit, illa ſub finem ferè libri ſeptimi facta mentio τῶν ἀγγέλων. Nec enim Peripatetica priſca ſchola angelos agnovit.

Commentarius certè in *nonum* non eſt Aſpaſij cum ſit hominis Chriſtiani, & laudet amicitiam Gregorij Nazianzeni ac Baſilij. Veroſimilius eſt auctorem ejus eſſe Michaëlem Epheſium. Memorat enim Commentarios à ſeſe exaratos in Sophiſticos Elenchos, in libros item περὶ Φυσικῆς ἀκροάσεως, & in Metaphyſica. In Ariſtotelis autem plæraque commentatum Epheſium eſſe, jam tum conſtat.

Scholia in Ethicorum *ſecundum* eſſe Aſpaſij, quod à nonnullis credi refert Aldinus Græcus codex, non equidem negaverim. Veteris ſanè eſſe auctoris indicat, quod Platonicos perſtringat τὴν ἀπάθειαν tanquam Platonicum dogma introdu-

cem

centes. Vnde haud obſcurè liquet, ætate auctoris illius Platonicos illos floruiſſe: cæpit autem Platonicorum cognomentum poſt Ciceronis ætatem demum, ſeculo Chriſtiano primo, atque adeo paulo ante Aſpaſij tempora: quod facile eſt demonſtratu. De Stoicis tamen ita fit ſermo, quaſi jam tum eſſe deſierint: quod non convenit ætati qua vixit Aſpaſius. Ita enim legitur in Feliciani editione: *Stoici affectum eſſe vehementem incitationem opinati ſunt.* Item: *Stoici generales eſſe affectus quatuor ſtatuebant.* Verùm nihil tale in Græco Aldino codice reperitur: & Felicianus fatetur ipſemet, multa ab ſeſe addita & mutata in commentarijs ſecundi tertij & quarti libri. Itaque & hæc, & quæ ibidem ex libro qui Andronico adſcribitur *περὶ παθῶν* adferuntur, aliaque complura, ab alienâ ſunt manu. Euſtratij non eſſe Commentarium illum, cum illa Platonicorum commemoratio, qui tempore Euſtratij nulli ſuperfuerunt, tum quod Deorum cultum agnoſcat, quod alienum eſt ab homine Chriſtiano, arguit.

Aſpaſij vero eſſe & Commentarium in librum *quartum* Nicomachium, quod habet Codex Aldinus, multo adhuc magis eſt veroſimile. Niſi quem dubium reddat diverſa illa commentandi ratio. Antiqui certè ſcriptoris eſſe, liquet utique ex eo, quod ſæpè in teſtimonium adducantur ſcripta, quæ non ſolent memorari niſi ab antiquioribus. Vt Theophraſtus de divitijs & de moribus, Myrtili Comœdiæ, Calliſtrati liber primus ἑλληνικῶν, Platonis Comœdia Legati dicta, Clitarchi interpretatio verborum Ariſtotelis. Perſpicitur antiquitas eadem etiam ex hiſce verbis: *δαιμόνιοι φασὶ δαίμονας τινὰς ἐπιχωρίους, κατὰ τινας νόμους πατρίους*: quaſi tum adhuc culti fuerint genij tutelares. Meretur quoque obſervari, quod in hoc Commentario ſæpè adducantur variæ lectiones textus Ariſtotelici: quarum Aſpaſium maximè curioſum fuiſſe, ex Alexandro, Boëtio, & Simplicio palàm eſt.

Commentarius libri *tertij* reverâ incerti ſcriptoris eſt. A ſpaſij enim non eſſe liquet ex eo, quod Luciani laudet Hermotimum: cum tamen Lucianus vixerit Marco & Commodo imperantibus. Eſt tamen ut doctus ita & antiquus. Quod ſignificant teſtimonia adducta ex Cephiſodoro Ephoro & Anaximene hiſtoricis: quorum libri recentiorum nemini ſolent memorari. Neque hic ulla Chriſtianiſmi veſtigia obſervaveris. Quæ in Commentario libri non tantùm primi, ſexti & noni, ſed etiam decimi occurrunt haud pauca. Et vero *decimum* commentarium eſſe Michaëlis Epheſij rectè tutemet colligis ex eo, quod ſcriptor Heraclitum vocet civem ſuum.

Quum tantorum itaque auctorum ſint hi Commentarij, & plærique perquam docti, quidni tuam hiſce denuo edendis adhibitam curam laudemus, quotquot Moralem ſapientiam in melius promoveri deſideramus? Et verò dudum hi Commentarij in paucorũ fuere manibus, magno Philoſophiæ hujus malo. Vnum optaverim ab illis Commentatoribus obſervatũ monitumque: ubi nempe laboret textus Ariſtotelicus, ſive hiatibus, ſive trajectionibus. Quamvis enim Ethicum hoc opus longè ſit ſanius Politico, attamen hîc etiam paſſim deprehenſa abs me ſunt vitia quædam: tu quoque in Introductione de quinti & ſexti libri infelicitate jam conqueſtus es. Verùm talia negligere, & obſcuritatem Ariſtotelicæ doctrinæ in neſcio quæ alia rejicere, familiare eſt omnibus Ariſtotelis antiquis interpretibus: quod videantur ignoraſſe fatum illud Ariſtotelicorum ſcriptorum à Strabone poſteritati proditum. Itaque hic nævus in hiſce quoque Commentationibus videtur diſſimulandus. Perge vero, Clar^me^ RACHELI, ceu præclare cæpiſti, de utiliſſima hac Philoſophia bene mereri. Poteris id ſane; modò quæ habes jam affecta varia opuſcula hujus argumenti, in lucem produxeris. Vale. Helmeſtadij in Acad. Juliâ Anno CIↃ IↃ C LXII Idib. Auguſti.

LXII.

Addita Germaniæ Antiquæ Phil. Cluverij contractæ per Bunonem & editæ VVolfenbutteli anno 1663.

JOANNI BVNONI V. C.
S. P. D.

Reipublicæ ſingularis cujuslibet cognitio, Clar^me BVNO, in ijs potiſſimum quę vel præſentia adhuc ſunt vel proxime anteceſſere, conſiſtit quidem: ea tamen denique cunctis eſt numeris perfecta, quæ ſimul omnium retrò temporum memoriâ excuſsâ, nihil omnino vetuſtiſſimarum quarumque rerum ejus ignorat. Quamvis ſanè ad deliberationes, præſentia cumprimis aut recentiſſima quæque alia ſcire, conducat, atq; vetuſtiſſimorũ rarò habeatur ratio; eſt tamen haud infrequenter, ut & illa debeant meritò attendi. Idque modò ut reipublicæ bonis quibusdam inſtitutis, quæ apud imperitos novitatis forte accuſabantur, ſua juſta prodita vetuſtate auctoritas conſervetur: modò ut reipublicæ mutata à priſtino facies eò rectius appareat: modò etiam ut bona malaque, omnium temporum factâ collatione, quam penitiſſime intelligantur. Si perſvadendum ſit aliquid, multùm certe valet antiquum reipublicæ tuæ ſtatum poſſe in exemplum adducere; quo præſentia vel corrigantur, inſtitutis ad priſcam formam revocatis: vel roborentur adverſus inanes opiniones novaturientium. Sed & quamvis nihil talis commodi adferre ſit idonea vetuſti illa ævi peritia, habet tamen neſcio quid latentis voluptatis qua ſe omnibus commendet, præſertim in republica illa verſantibus. Nec fortaſſis haud eſt turpe, ſaltim ſenatorem virum ignorare, quæ in civitate ſua, cui operam addixit, etiam olim acciderunt. Ea res præter alia (quæ nunc repetere nihil attinet) effecit, ut jam tum juvenis commendave-

rim noſtris hominibus adeo diligenter, accuratiorem in Veteris Germaniæ inſtituta mores atq; actus inquiſitionem. Ob commoda ſcilicet, quæ exinde ad Germanicæ reipublicæ noſtræ ſtatum pernoſcendum queant promanare. Serius enim quidem Germanicum hoc noſtrum Imperium in unum illud vaſtum corpus coaluit; ab omni tamen retrò memoriâ Germanicis populis ſuæ reſpublicæ fuere, ab eaque antiquiſſimâ origine hæc ipſa etiam noſtra propagata eſt. Et juvat itaque & utile eſt ſcire, quæ olim reipublicæ fuerit aliarumque rerum conditio, quamobrem multa à priſco mutaverint, multa ſuperſint integra, aliorum ſaltim veſtigia ſuperent. Reliqua videlicet adhuc ſunt haud rara indicia ultimæ vetuſtatis, circa ipſum reipublicæ regimen, circa ſtatum perſonarum, circa mores publicos privatosque, multùm à Romanis diverſa; quæ intolerabili errore, ſola Romana doctis nonnullis nova & nupera eſſe exiſtimantur. Non ſolùm vero ad noſtri Germanici Imperij, ſed etiam ad tantum non omnium univerſæ Europæ rerumpublicarum aliarum, plenam iſthæc notitiam faciunt. Enimvero habet hodieque Septentrio latiſſimos Sueonum, Danorum, Norvvegorumque populos, Germaniæ magnæ ab omni memoriâ partes eximias: eoque nunc etiam plurimum trahentes ex antiquiſſimis communis Germaniæ moribus atque inſtitutis. Hiſpania à Gothis, Gallia à Francis, Britannia ab Anglis & Saxonibus, Italia à Langobardis alijsque Germaniæ gentibus occupatæ, etiamnum bonam partem Germanicis legibus & moribus reguntur: etſi ſenſim alibi atque alibi nonnulla mutaverint. Venedi jam olim veſtitu & lingua Sarmaticam originem prodiderunt; fere Germanico tamen more habuere rempublicam: ceu ipſis Taciti docemur monumentis. Vt non ſit mirum, in Polonis & Bojohemis ſimilem Germanico regimini ſtatum adhuc obſervari; more videlicet communi priſco omnium Venedorum, quo-

rum hi reliquiæ ſunt. Plurimum ſanè diverſa & fuit olim & nunc eſt reipublicæ ratio, per Aſiam & Africam univerſam. Neque hæc olim in Europâ obtinuit forma, priuſquam Romani Imperij occidentales quæque provinciæ à Germaniæ populis occuparentur. Quo ipſo omnis penè Europa in Germaniæ gentium ditionem tranſiit. Soli Hungari & Turcæ & Tatari, ut Aſiaticæ ſunt originis, ita & Aſiaticas reſpublicas colunt: Hungaris tamen jamdudum in Sarmaticos & Germanicos mores avita gentis inſtituta commutantibus.

Cæterum priſca illa Germanica ex domeſticis monumentis accipi à nobis nequeunt: quandoquidem nulla talia majoribus quondam fuere, contentis recti conſcientiâ & rerum fortiter geſtarum rudibus cantilenis: à Julij tamen Cæſaris ævo Romani Græcique bonâ nos fide haud pauca docuerunt. Quos inter eminet profectò Cornelius Tacitus; ſingulari etiam libello avorum mores atque inſtituta de induſtriâ & conſulto perſecutus. Vtinam vero qui noſtra ætate vetera illa tradere itidem ſuſceperunt, ſola illa fidelis memoriæ monumenta ſequenda ſibi crediidiſſent! Non profectò cum ineptijs & fabulis luctaremur; quæ auctoribus doctrinæ opinione claris perſvaſæ vulgo, utiliſſimæ rei vim ſuam auctoritatemque detraxere. Eapropter æternam mihi laudem mereri ſemper eſt viſus Philippus Cluverius: in hoc campo ſcilicet rectum iter tenens, variâ & ſummè induſtriâ integræ fidei ſcriptorum lectione ſubnixus, ſpretisque inanibus conjecturis, ſpretis figmentis, ſpretis ſequioris ævi malæ notæ narrationibus. Quamvis enim & ipſemet ſuas omnes ſententias neutiquam mihi probaverit, quod minimè omnium ignoras Clar^me^ B V N O, alibique multæ earum ſint à me ijs rationibus confutatæ, ut nec tu meis partibus accedere dubitaveris; ſi populorū aliquot antiquas ſedes mutata nomina, & in univerſum veſtitus omnium, & mores nonnullos, ac reipublicæ ſtatum

ſpecte-

ſpectemus: plæraque tamen ea diligentia, eo judicio, ea elegantia, eâ integritate perſecutus mihi videtur, ut omnes qui hoc in ſtudio quidquam ſunt conati, longiſſimo intervallo ſuperatos equidem non dubitem pronunciare.

Etiam tu igitur, Optime B V N O, præclare mereris non tantum de noſtri Germanici Imperij, ſed univerſæ etiam Europæ rebuſpublicis, exhibens per Epitomen harum rerum omnibus curioſis, quæ vaſto opere tradita à Cluverio, partim raritate voluminis partim prolixitate ſua, juſto pauciores hactenus lectores invenerunt. Nec vero dubito, impoſterum utilem hanc curam ſolito pluribus fore cordi: idque cum eximio in publicum commodo. Iuviſti ſcilicet hactenus quàm multos, Italiâ & Siciliâ Antiquâ ejusdem nunquam ſatis laudati Cluverij ſimili brevitate editis. Aſt ille fructus fere ſolo veterum Latinorum pariter Græcorumque ſcriptorum rectiore intellectu, ut ita dicam, quaſi abſorptus fuit: qui ex hoc autem tuo libro promanat, in ipſam noſtram imo univerſas Europæ reſpublicas redundabit. Non minus certe utilis hæc tua opera fuerit, atque illa quam nuperrime Geographico Cluverij aureo illi libello impendiſti. Deum obſecro, ut diu ſuperſis integra valetudine; quo diu poſſis præclare adeò, ceu hactenus, tegerere. Ab ignavo enim otio alienum, valde aptum vero excolendæ illuſtrandæque hiſtoriæ te eſſe, certus ſum, multis experimentis edoctus. Helmeſtadio ex Acad. Iulia Non. Martij Anno CIↃ IↃ C LXIII.

LXIII.

Addita Obſervationibus Medicis de Peſte Brunſuicenſi, editis Brunſuici anno 1663.

V. C. LAVRENTIO GISELERO Med. D. & Phyſico inclutæ urbis Brunſuici eximio.

S. P. D.

Non

NOn poſſum non laudare inſtitutum tuum, Clariſſime GISELERE, publicandi hiſtoriam eorum quæ tibi in nupera illa lue peſtilenti, qua Brunſvicum urbs inclyta graviter fuit afflictum, obtigerunt. Cum enim, ut aliarum artium ac plærarumq; ſcientiarum, ita & Medicinæ noſtræ; duo ſint immota fulcra, Experientia & Apodictica ratiocinatio, quas inter illa ut tempore prior ita certitudine alteri par eſt: hinc raticinando indagaturis mali iſtius naturā omnem & rectam medicationem, neceſſum eſt Experientiam ante ut conſulant. Et quidem cum Experientia propriè in ſingularibus eventis occupetur, ex ſingularibus autem illis jam compertis demum univerſalia enunciata formentur (quæ itidem, etſi minus rectè, Experientiæ attribuuntur;) non poteſt non ipſum ſcientiæ omnis exordium ab illa, quam tu inſtituiſti, ſpecie Experientiæ accipi. Nec tamen hactenus ferè quiſquam, circa hoc quidem morbi genus, multa adeò publicè communicavit ſingularia αιτέμενα, quam abs Te eſt factum: eoque tantò majores tibi gratias poſteritas debebit. Id quod ideò etiam poteris tibi certò polliceri, quandoquidem haud videtur mihi peſtilentium morborum cognitio plenè hactenus nobis innotuiſſe: cum tamen interſit plurimùm, tam funeſti & tetri mali nihil ignorare. Multiplex ſcilicet luis forma uno Peſtis nomine comprehenditur: quæ omnis hoc quidem habet commune, quod magnam hominum ſtragem cito edere ſoleat, cætera multum eſt difformis, variamque proinde curandi rationem poſtulat. Præterquam ſanè quod Colica quædam peſtis jam olim Paulo Æginetæ fuerit memorata, Pleuriticas, Peripneumonicas, Phreneticas, Hepatiticas, Anginoſas, Sudoriferas patrū & noſtra ætas perpeſſa eſt, quaſdam à cauſis naturæ vires excedentibus quoq; profectas. Quamvis etiam longè ſint frequentiſſimæ quas bubones & carbunculi comitantur, etiam illæ tamen alijs quammultis ſymptomatibus

tibus plurimum ſæpe diverſè ſunt. Quod vel ex illis liqueat, quæ Rolandus Capellutus de Peſte Parmenſi retulit ſingulari opuſculo: quod ego propterea dignum antehac jam cenſui, quod abs me denuo in lucem revocaretur. Ac tua quidem obſervata illuſtrant cumprimis boboniæ Peſtis naturam & medelam. Eoq; tanto ſunt utiliora, quanto illud mali genus mortales nos affligit ſæpius, atque adeò frequentius cum præcaveri tum tolli debet. Nec enim veterum quidem monumenta hîc nos multùm juvant. Imo vereor ut illi peſtilentium morborum omnia habuerint plenè explorata: quamvis Hippocrates iſtoc cumprimis nomine quam maximè ſoleat quondam laudari. Saltim paucis utique violentia, nunquam penè non in Peſte graſſantis, contagij videtur ſatis perſpecta. Quæ res ſuperiore etiam ſeculo ipſos magnos illos Medicos Patavinos, Capivaccium, Mercurialem, & Aquapendentium circa Peſtem Venetam, & noſtrum quoque Joannem Cratonem circa Germanicam, in graviſſimos errores conjecit. Tuæ ſanè obſervationes luculenter & contagii & peſtilentis veneni vim oſtendunt: non catharticis ſcilicet, non venæ ſectione, ſed alexipharmacis potiſſimùm profligandam. Imò nihil penè non rectæ de Peſte bubonia doctrinæ, exploſis Helmontianis ſimilibuſque de illa delirijs, tua illa obſervata mirificè confirmant. Quapropter ipſemet etiam, quæ antehac & ore & ſcripto de Peſte docui, tujs illjs perlectis, jam majore quadam fiducia & teneo & alijs trado. Perge verò mi GISELERE, ceu cœpiſti: & quicquid obtigerit in facienda arte dignum memoratu priſtinâ diligentiâ calamo annota. Ad hoc opus ſanè præter inſignem proprium tuum uſum, invitant te exempla maximorum quorumque medendi artificum, imo ipſiuſmet principis Hippocratis: cujus Epidemia utique non alterius ſunt argumenti. Vale & plur. ſalve. Helmſtadij in Acad. Julia 3. Non. Mart. 1663.

LXIV. *Præ-*

LXIV.

Præfixa Operi Schotteliano de Lingua Germanica edito Brunſuici anno 1663.

Nobiliſſimo Ampliſſimo Clariſſimo & Conſultiſſimo Viro, JUSTO GEORGIO SCHOTTELIO J. U. D. Sereniſſimo Brunſvico-Lyneburgenſium Duci AUGUSTO à Conſilijs Aulæ Cameræ & Sacri Conſiſtorij, ut & Dicaſterij Aſſeſſori, Affini Collegæ & Amico ſuo magno

S. P. D.

SUmma animi cum voluptate inſpexi nuper grande volumen illud tuum, Nobiliſſime SCHOTTELI, quo omnem ſermonis Germanici diffuſam longè lateque amplitudinem juſtæ artis formam ſubire compuliſti. Jamdudum enim tale quid & optaveram & deſideraram, ſed fruſtra hactenus: eoque jam damnaveram fere illud votum meum; ſpem certe jam abjeceram. Niſi quod per partes, & à quam multis, iſtiuſmodi quid proceſſu temporis effectum aliquando iri, tamen exiſtimaverim. Enimvero & Græci pariter & Latini, qui præ alijs populis linguas ſuas excolendas ſuſcepere, hoc ſtudium itidem non niſi per varia augmenta, & longo demum tempore, multiplici item opera, ſerò denique, ad laudabile aliquod faſtigium perduxere. Apud nos verò qui vel primordia artis probè fuiſſet exſecutus, præter te unum noveram equidem neminem. Non ignorans ergo quale tu agas vitæ genus, noctes dieſque ſcilicet reipublicæ graviſſimis curis coactus impendere, quî potui, abs te quidem, ultra illud quod jam ante annos complures hujus argumenti edidiſti, vel opuſculum aliquod exſpectare? Dum adeo longo igitur intervallo vota ſpeſque meas abs te, & uno quidem,

dem impetu,& uno tempore,& ab homine occupatiſſimo, ſuperatas deprehendi, in magnam fateor,tuo illo volumine conſpectò,abreptus fui admiratione.Etenim ut non par ſit dignitate,naturæ rerum & ſermonis accuratior inquiſitio;tamē & ſermo inter ſumma Dei beneficia numerari promeretur: non ſoli profectò humano debetur conſtituto, ſed ex parte non levi arcano divino inſtinctui & agitationi. Verum me dicere, non equidem negaverit, qui Moſaicam inſanæ illius Babylonicæ turris hiſtoriam ea quâ par eſt fide & auctoritate exceperit. Sed & idem agnovit, cùm illa neſcio quæ Sybilla, cujus verba Flavius Joſephus retulit, tum Abydenus, cujus verba itidem & Euſebius & Alexandrinus Cyrillus (indubie tamen ab Euſebio accepta, haud fortaſſis probabili, quamvis iſthac ætate reliquis etiam Chriſtianis in certamine cum paganis frequente ſatis, plagio) nobis conſervavere; in quibus legere itidem eſt, unilingui hominum generi Deos ipſos immiſiſſe linguarum difformitatem. Majus certè quid meri humani arbitrij opere, in primâ ſaltim tot linguarum origine, tenetur etiam quiſq; alius ſuſpicari, qui cum curâ animum ad hæc adverterit: etſi iis, qui ſermonem naturæ ipſius donum eſſe affirmant, minime is acceſſerit. Quò manifeſtum utique fit, non minus fere atque Naturæ opera; etiam ſermonem quemque mereri attentam curam & acrem inquiſitionem. Neutiquam ſanè tolerandos, qui talia tamquam prudente & docto indigna homine, ſuperciliose aſpernantur. Et vero ipſe olim Plato τὸν ἐτυμολογικὸν τόπον ὅλον ἐν τῷ Κρατύλῳ διεξέρχεται: ceu loquitur Alcinous. Ariſtotelem ac Theodectem Verba & Nomina & Conjunctiones tradidiſſe, obſervavit etiam Fabius Quintilianus. Quorū hodieq; & in Poëticis & Theodecteis Rhetoricis Ariſtotelis ſupereſt memoria. Sed & cuivis in promptu eſt, paſſim in Ariſtotelicis ſubtiliſſimæ quamvis Philoſophiæ monumentis obſer-

obſervare, accuratam in vocum & originem & uſum inquiſitionem. In Laërtianis quoq; librorũ indiculis legimus Theophraſti *περὶ γραμμάτων*, & alium *περὶ σολοικισμῶν* librum; Chryſippi item Stoici *περὶ τῆς κατὰ τὰς λέξεις ἀνωμαλίας*. Sunt autem hi Græcorum Philoſophorum plane ipſi principes: quos proinde linguæ ſuæ Grammaticam artem infra curam Philoſophi hominis non collocaſſe, palam eſt. Apud Romanos quoq; *curam artis* (Latinæ videlicet linguæ) *tantam increviſſe, ut ne clariſſimi quidem viri abſtinuerint, quo minus & ipſi aliquid de ea ſcriberent,* diſerte memorat Suetonius. Qui alibi prodit, ab ipſo Julio Cæſare ſcriptos de Analogia libros. *Vir doctiſſimus undequaque Varro*, Romanorum utique citra controverſiam eruditiſſimus, & magnis in republica belli paciſque curis admotus, quàm varia, quàm prolixa de Romanâ ſuâ linguâ condidit volumina, parte eorum aliquâ adhuc ſuperſtite! Ciceroni ſtudium hoc multum placuiſſe, vel illud eſt documento, quod Cæſar pariter & Varro ejus argumenti ſcripta ſua in hujus nomen publicaverint: tanquam & amatoris eorum & juſti arbitri. Non dicam nunc de Claudio Cæſare, tres novas literas ſuper numerum vulgo receptum commento; quas Princeps jam factus in uſu promiſcuo fecit obtineri. Non diſſimulo enim, bonum illum Claudium videri & corde & capite fuiſſe dubiæ ſanitatis. Hadrianus vero Imperator & fortiſſimus ſimul fuit & plurimæ prudentiæ; quantus ſimul tamen Græci Latinique ſui ſermonis Grammaticus! Id certum, tanti illa ſtudia univerſo populo Romano æſtimata, ut Suetonio teſte, in Urbe ſuper viginti celebres ſcholæ temporibus quibuſdam floruerint, eaque fuerint pretia ac mercedes Grammaticorum, *ut conſtet Lutetium Daphnidem ducentis millibus nummûm emtum, L. Apuleium quadringentis annuis conductum docuiſſe.* Non multò pòſt nullum etiam celebrius in provincijs oppidum magno ære, Græcos Latinoſque Grammaticos

maticos aliquot, doctores publicos non aluit: ubi ſcientiarum magiſtri exiguo aut nullo honore habebantur.

Apud nos Germanos, fateor, non ea hactenus fuit linguæ noſtræ exiſtimatio. Imò quàm multis viſum eſt doctum hominem non ſatis decere, illi colendæ aut naturæ ejus rationique ſcrutandæ quidquam operæ impendere. Verùm ut ille recte ajebat; *non tam quid fiat quam fieri quid debeat ſpectandum eſt*. Et vero meretur utiq; non minus ſermo Germanicus accuratum aliquod ſtudium, quam vel Græcus vel Latinus; niſi noſtra per injuriam deſpicere velimus, & ſola admirari peregrina ac vetera. Enimvero ſi magnæ Germaniæ limites ſaltim priſcos attendamus, nemini non manifeſtum fuerit, Germanicæ linguæ, varijs licet dialectis diſtinctæ, uſum jam olim, florentibus adhuc Romanorum rebus, non minus late quam Græcæ, longe latius quam tum Latinæ, patuiſſe. Non difficile autem probatu fuerit, qui extra Germaniam vivere tum crediti ſunt, omnes pene ripam Rheni Gallicam tenentes populos, adeoque Belgas ferè omnes, Treboccos nimirum, Nemetes, Vangiones, Ubios, Sicambros, Gugernos, Trevitos, Nervios, Batavos, Germanicè item locutos eſſe perinde ut fit hodie. De reliquis tamen Galliæ populis minime id dixerim: quamvis non indoctis ita placuerit. Poſt hoc, fateor, bonā Germaniæ partem, (quicquid ſcilicet trans Albim & Salam uſq; in Suevicum aut Balthicum eſt mare) Sarmatici Venedorum populi occupavere; attamen, ſi Bojohæmum & Poloniæ illam partem quæ cis Viſtulam eſt excipias, omne illud recuperatum viciſſim à Germanicis colonijs, hodie nihil ferè niſi Germanicum ſonat. Imo ipſum Bojohæmum vis & conſuetudo Germanica jam bilinguem reddidit. Diffuſa vero unà cum populis lingua Germanica nunc etiam eſt, per Helvetios, Rhætiæ plæraque, Vindeliciam, Noricum, Pannoniæ quoque & Daciæ multa: per Æſtios item omnes, quibus Taciti ævo ſermo fuit

mo fuit Britannico,cujus hodie in una Cambria aliquid fortè ſupereſt, propior. Britanniam ipſam tantùm non univerſam Angli & Saxones Germanicam reddiderunt. In Africa Vandali, in Hiſpania Suevi & Gothi, in Gallia Celtica Franci & Burgundiones, in Italiâ Oſtrogothi & Langobardi, linguam pariter & mores devictarum à ſeſe gentium acceperunt quidem; multa tamen etiam in ſermonem earum Germanica intulerunt. Quid? quod ipſa in Taurica Cherſoneſo Germanicæ linguæ haud leves reliquiæ etiamnum ſuperent? quod vel ex Busbequij rerum Turcicarum Epiſtolis novimus. Imo Theſſalonicæ, Macedonum in metropoli, qui ditiſſima ibi metalla curant, illos vocabulis ex Germania acceptis frequentiſſime uti, memini legere me in Amati Judæi Medicarum Curationum centurijs. Cum late autem ſit adeo uſus linguæ Germanicæ porrectus per omnem Europam, profectò vel illa ſola ejus dignitas merito nos invitaverit ad univerſam ejus rationem perſcrutandam.

Habet verò eadem, quâ ſeſe præ Græcâ pariter & Latinâ commendet, ſimul incredibilem atque infinitam vocum componendarum vim & felicitatem: habet primitiva plurima, modo probe eruantur. Nec eſt aliquid temerè elegantiæ, quo cuiquam linguarum ſit ſecunda: niſi quod, dum verbis auxiliaribus cogitur alijs ſuppetias nimis frequentes ferre, juſto poſſit videri prolixior, & Græcanicam Latinamque brevitatem haud aſſequatur. Quas dotes & quam felicitatem non agnoſcere, ideo autem duntaxat vilius illa æſtimare quoniam exotica non ſunt hæc bona, indignum profectò facinus eſt, nec tolerandum prudentibus.

Eapropter amavi equidem ſemper plurimùm illos omnes, qui juxta Græca Latina Ebræa aliaque (hæc enim inſuper habere, nefas fuerit) noſtra quoque Germanica excolere cœperunt. Et vero nonnulli inſignem ea in re operam praſti-

præſtiterunt: alijs Hollandicam dialectum alijs Miſnicam præcipue excolentibus. Ut jam tum habeamus, qui & proſa & verſa oratione neutiquam vel Italis vel Gallis conceſſerint. Quin video, à nonnullis & ipſas ſubtiliores ſcientias in noſtrum ſermonem transferri cœptas. Quorum tamen ego ſtudium non probaverim: quum in promptu ſit Latinus; ille inquam omni Europæ doctorum ordini dudum commu- nis Mercurius, quo ſimul diſcere plurima licet ac plurimos docere: quæ felicitas à nulla aliâ linguâ temere hodiè exſpectari poteſt. Nec profecto eſt, ut illi diſcant ſubtiliores ſcientias, quos præ ignavia tædet Latini aliquam ſermonis facultatem ſibi comparare. Sed & puniunt ſe ipſos fraudantq; fama ac laude ſua, qui uni ſuæ genti ſcribunt cum poſſint toto orbe inclareſcere. Quamvis Italos & Gallos Hiſpanoſque idem agere, haud me fugiat. Nec diſſimulaverim etiam, videri haud paucos novorum illorum linguæ noſtræ cultorum ad ridiculas ineptias delabi. Qui ſcilicet dum ditiorem reddere & elegantiorem ſolito linguam conantur, condunt nova vocabula, nunc ineptis compoſitionibus, nunc cothurnatis metaphoris. Qualia fuerunt olim illa ab Ariſtotele Alcidamantis Gorgiæ & Lycophronis acerrimè reprehenſa frigora. Quæ vitia committi ſolent præ imperitia partim dicendi artis partim & literatoriæ. Et vero Grammatica etiam ſive literatoria ars, in qualibet omnino linguâ *fundamentum eſt pulcherrimum literarum, glorioſa facundiæ mater, quæ cogitare novit ad laudem & loqui ſine vitio*; ceu rectè in Varijs dixit olim Caſſiodorus. Certe vel in id nobis pleniore ſolidioreque Grammaticâ quadam noſtrâ opus eſt, ut luxuriantia & grallatoria ejuſmodi ingenia in rationis ac rectæ dictionis gyrum revocata, deſinant, ſi non ſibi, ſaltim alijs impoſterum moleſtias faceſſere.

Ut redeam igitur ad Epiſtolæ hujus initium, Ampliſſime

SCHOT-

SCHOTTELI, tu profectò iſthoc tuo inuſitati laboris volumine de Germaniâ noſtrâ optimè mereris. Per te ſcilicet demum linguæ noſtræ, incomparabilis utique boni, juſtus ſuus decor in lucem producitur. Per te recluduntur abſconditæ hactenus illius divitiæ. Tu demum nos omnes rectè ſcribere, (quæ laus ὀρθογραφίας, me quidem judice, fuit huc uſque unius Hollandiæ) rectè prima vocum rudimenta ex originibus ſuis eruere, aptè omnia connectere, concinne pedum menſuram ac numeros obſervare, docuiſti: quo imposterum Germanus etiam ſermo, non minus quam Græcus ac Latinus, & emendatus ſit & ornatior fieri poſſit. Nec vero dubito tua opera hac adjuta poſteritate, quicquid adhuc ſtribliginis ſupereſt in debitam elegantiam mutatum iri. Capiet utique ſi nondum noſtra (quæ interdum præ invidiâ etiam, aut æmulatione, aut ſimultate, cæca eſt) ſaltim ſubſequens ætas commoda immenſi laboris tui, & quas nunc fortè nondum accipis, grato animo laudes operis deprædicabit. Nec tamen etiam nunc haud deerunt, ſcio, tuæ induſtriæ æqui æſtimatores: gnari ſcilicet, & quanti ſit laboris, nemine præeunte vaſtiſſimam linguam, nullâ ejus exceptâ parte, integro Artis corpori includere; & quanti ſit ad rectè loquendum commodi, certis legibus univerſum ſermonis ambitum continere. Ego ſane Deum obſecro, ut pro tot laboribus molli te & tranquillâ & longa beet ſenectute. Helmeſtadij in Academia Julia 4. Eid. Mart. Anno cIɔ Iɔc LXIII.

LXV.

Addita libro Henichiano de Gratia & Prædeſtinatione, edito Rinthelij anno 1663.

Plurimum Reverendo & Clariſſimo Viro

JOHANNI HENICHIO SS.Theol. Doctori, & in Academia Rinthelenſi Profeſſori, amico ſuo S.P.D.

Perluſtravi quas miſiſti plagulas libri de Gratia & Prædeſtinatione, Clariſſime HENICHI. Attente omnia expendere nec per feſtinationem ejus, qui tuis allatis mox reditum ad te parat urgetque reſponſum, nec per negotia, licuit. Quæcunque tamen mihi lecta ſunt perplacuerunt omnia. Eòque & de reliquis idem ſperare me jubent: præſertim quum abunde mihi nota ſit, quam alijs in tractationibus hactenus adhibuiſti ἀκρίβεια. Et verò meretur hoc argumentum planè talem docendi rationem, quali tu uteris, ſolidam nimirum & ſimul mitem: quæ ſiniſtri nihil adverſantibus impingit & quaſi confeſſum quod ipſimet haud agnoſcunt; ſed gaudet lætaturque propter rectè dicta; in id tantum ſollicita, ne adhæreſcens error contagio quodam corripiat ipſa illa recta & tandem enecet. Et ſanè hic diſputandi modus verè eſt Chriſtianus; verè demum aptus purgandis errantium animis: cumprimis ſi illi odio & amore diutulè æſtuaverint. Quod profecto circa hunc de Gratia & Prædeſtinatione locum nimis diu factum eſt hactenus, ſummo cum Eccleſiæ diſcrimine.

Nec vero illis ego acceſſerim, qui quicquid eſt hujus controverſiæ, velut & nimis arduum & parum utile, omittendum cenſent: qui proinde hoc nomine etiam tuam, HENICHI, accuſabunt hanc operam. Omnino enim quidem & ego ſatius duco, haud tangere quæ talia ſunt; certè non temere tan-

ſe tangere; tunc potiſſimum, quando ſacræ Eccleſiæ quieti aliquid incommodi hinc metuendum eſt. Facilè etiam largior: plenam perfectamque Gratiæ divinæ Prædeſtinationisque cognitionem longe ſuperare mortalis ingenij captum: utpote cum reapſe hic ſit illud Paulinum βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ, atque huc quadret illud multò veriſſimum Servatoris noſtri: τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ' οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται καὶ ποῦ ὑπάγει. Quæ tamen abs te hîc agitantur, ſaltim eorum plæraque, intellectu faciliora ſunt; modò ſepoſitâ magiſtrorum auctoritate, unius Dei vocem audire, ceu par eſt, velimus. Ad pietatem verò cumprimis etiam utile eſt ſcire, quid beneficij mortalitas noſtra per ſui reparationem & regenerationem à Deo acceperit, & inquantum ipſoſmet nos etiam oporteat ſalutem operari. Et verò tua illa fere iſthuc redeunt. *Utrum actiones humanæ, omnes virtutes item ac vitia, ſalus porrò hominum & damnatio æterna, ab aliquo fatali Numinis conſtituto, ſive abſolutæ Prædeſtinationis neceſſitate dependeant.* Plurimum autem intereſt pietatis virtutisque omnis, quidnam hujus ſtatuas. Enimvero juxta tecum ego quidem ſentio, ſi

Fata regunt orbem, ac certâ ſtant omnia lege,
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus,

nullam amplius in hac vita, virtuti, vitio, pœnis & præmijs locum eſſe, multò minus æternas à morte flammas jure impios manere poſſe, aut æternam felicitatem pios. Ex adverſo videtur mihi fore juſtiſſimam & rectiſſimam illam improborum cantilenam:

Solvite, mortales, animos curisque levate,
Totque ſupervacuis animum deplete querelis:
Fata regunt orbem, certâ ſtant omnia lege.

Nec immerito circa Deos negligentiorem fuiſſe quondam

 Tibe-

Tiberium Imperatorem, *propterea quod addictus Mathematicæ, perſuaſioniſque plenus eſſet, omnia fato agi:* id quod de illo narrat Suetonius. Et vero hoc quidem dogmate de fato, ſaltim ex conſequente, omnem omnino religionem, atque adeo & Chriſtianam, funditùs everti arbitror.

Operæ itaque ſummum fuerit pretium conniti, uti illæ quidem ſententiæ ex animis hominum eradicentur. Ac proinde quod laboraveris veritatem hîc docere, Clariſſime HENICHI, rem apprime utilem præſtitiſti. Quamvis enim apud paucos admodum, peſtilens virus illud ſuum prav a illa placita hactenus ſoleant in vim transferre, prævalentibus plurimis melioribus; ijsque partim nobiſcum quaſi genitis, partim & ſacrarum literarum magiſterio acceptis & nulli non Chriſtianorum confeſſis notitijs; cavendum verò etiam eſt, ne vel pauci in ſequiora per errores ejusmodi pertrahantur.

Cœterum eſt tamen quod merito gaudeamus: apud illos etiam fatalis neceſſitatis plærosque patronos, ipſa virtutis & pietatis quaſi fundamenta & principia (quod modò dicebamus) ſalva atque immota hactenus perſtitiſſe. Non minus ſanè circa moralia innocenter ſeſe gerunt Fataliſtarum plærique, ac circa medicam artem, quæ tota itidem à Fato evertitur, ſi quando ipſi illi afflicta ſunt corporis valetudine. Quin imo quod mireris merito, ipſos illos de Fato errores bonæ patronorum parti deprehendere eſt, ad virtutem atque religionem calcar ſæpe fuiſſe & incitamenrum. Soli ſcilicet inter priſcos Græciæ Philoſophos Stoici Fatum propugnavere, idque magno ſtudio & acerrime. Iidem verò ſimul Philoſophorum illorum omnium maximè rigidi & ſeduli virtutis exercendæ colendique Numinis magiſtri exſtiterunt. Epicteti certe & Senecæ Moralia præcepta quæ ſuperſunt ſpirant plane ſanctimoniam quandam propemodum Chriſtianam. Ariſtoteles ipſe utrum omni ex parte rectam de libertate arbitrij

ſenten-

ſententiam amplexus fuerit, haud injuria dubites; ſi quidem videas perſvaſiſſimum ipſi fuiſſe, quicquid movetur ab alio moveri, nec moveri appetitum præterquam à ſuo objecto. Quibus dogmatibus arcte adhærentes Petrus Pomponatius & Simon Portius, doctiſſimi profecto avorum memoria Ariſtotelici, non dubitaverunt Stoicam pene fatalitatem in Lyceum adducere: quo Peripatum liberare quidem annisus eſt Fortunius Licetus, vereor tamen ut incaſſum laboraverit. In Ariſtotelicâ nihilominus de Moribus ipſis doctrina nil temere occurrit quod offendat, imò quod non laudes; fuitque Philoſophus ille ipſe in omni vita vir probabilis. Quis inter Chriſtiani noſtri ordinis homines ſanctior quondam Auguſtino? quis religioſior? quis omnigenæ pietatis magis acer aſſertor atque exactor? Et tamen princeps ille abſolutum illud atque ἀναγκαστικὸν Prædeſtinationis decretum, dogma hactenus inauditum, in Eccleſiam invexit, turbatis haud parum ex conſequenti pietatis officijs. Et profectò jam tum vivo illi jure oppoſita ſunt à Galliæ quibusdam ſanctis Antiſtibus. *Superfluus labor eſt, ſi neque rejectus ulla induſtria poteſt intrare, neque electus ullâ negligentia poteſt excidere: quoquo enim modo ſe egerint, non poteſt aliud erga nos quam Deus definivit accidere; & ſub incerta ſpe curſus non poteſt eſſe conſtans, cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio caſſa ſit annitentis intentio.* Nemo porro hactenus, ſive Proſperum aut Hilarium, ſive Fulgentium, ſive Johannem Maxentium proni in impietatem animi vel ſuſpectos habuit. Imo Fulgentium non dubitavit Africana Eccleſia in Catholicum Epiſcoporum ordinem recipere. Proſper & Hilarius non niſi laici quidem fuerunt (quantum quidem mihi videtur) & Maxentius monachus: omnes tamen illos ſanctitatis elogio & ſua & poſtera omnis ætas dignata eſt, quamvis iſtorum S. Auguſtini dogmatum de induſtria ſuſceperint hi defenſionem. Lucidum presbyterum & Gotſchalcum eadem

ſed minus circumſpectè docentes, acrius quidem nonnulli exceperunt: haud legas tamen, in illorum moribus deſideratam pietatem. Aliquot poſt ſeculis ſic ſatis dure & impetuosè Auguſtini illa omnia recepit, imò ex parte auxit, Thomas Bradvvardinus Anglus, ſine omni tamen morum vitio, imò non ſine aliqua pietatis fama. Conſtanter porrò inter Monachos ſequioris ævi, univerſus Prædicatorum ordo Thomæ Aquinatis veſtigia ſecutus, Abſolutum illud Prædeſtinationis decretum amplexus eſt, tutatur etiamnum ſumma animi contentione, cumprimis adverſus Ieſuitas: nec tamen hoc quidem nomine vita ipſorum male hactenus audivit. Qui primi ſanctum illud reformandæ Eccleſiæ opus ſuperiore ſeculo ſunt aggreſſi, in univerſum dixerim omnes rigidiſſime egerunt idem. Ipſemet Lutherus noſter, ipſemet Melanchthon, quam aſpera & horrida proferre in eandem ſententiam haud dubitaverunt! Non contenti ſcilicet limitibus, intra quos prudenter ſeſe continuerat Auguſtinus. Sanctæ nihilominus fuerunt animæ, imo ultra communem piorum ſortem. Nec illi quidquam profecto omiſerunt docere atque urgere, quod ad pietatis ſtudium poſſit facere. A magiſtris illis edoctus populus paſſim terrarum idem ſenſit: ſine tamen ullâ hinc in moribus & vitâ exortâ impietatis macula. Inter Pontificios non adeo pridem, poſt Michaëlem Bajum, nihil non veterum hujus controverſiæ Auguſtini dogmatum quaſi recoquere viſus eſt Cornelius Ianſenius; utut vero ille plurimos in ſeſe concitaverit ſuæ Eccleſiæ hominum, ipſamque adeo & Romanam curiam: qui tamen ipſius pios mores culpaverit, aut in doctrina ipſius quod diſerte ad corruptelam faciat pietatis, repertus hactenus eſt nemo. Ex ſectatoribus illius, qui Catechiſmum Gratiæ conſcripſere, ſimul & formulas precum pro impetranda divina gratia illa abſoluta & coactiva ediderunt; quæ tamen fruſtra, me quidem judice funduntur,

ad-

admiſſa, Abſoluta & neceſſitante Prædeſtinatione. Vſque adeò verum eſt: hactenus quidem ita Fatum, ſaltim à pleriſque, eſſe agnitum defenſumque, ut tamen pietatis officia manſerint integra, utque moralis illa ſalutariſque fidei doctrina (quamvis minus convenienter hypotheſibus) nihil detrimenti ſenſerit.

Quam equidem ego cauſſam eſſe potiſſimam arbitror, quare errores illi de Fato aut Abſoluto & ἀναγκαστικῷ decreto, omni pene retro ævo, utut adverſarios ſint nacti nunquam non, ſemper tamen habiti ſint mitius nec quicquam temere durius perpeſſi. Promovit vero hanc clementiam & illud, quod cum certum ſit, non omnibus eandem vim & multitudinem Gratiæ à Deo impertiri, idque ipſum fieri, nullo meritorum nulloque operum reſpectu, hinc minus cautis poſſit facile de Abſoluto Prædeſtinationis decreto ſuſpicio naſci. Revera certe heic objicit merito ſeſe illud Apoſtolicum τὸ βάθος; ut tanta errandi in re adeo obſcura pronitas veniam mereatur. Iuvit haud parum præterea hanc indulgentiam, quod nonnulla in ipſiſmet ſacris literis, Veteris pariter Novique fœderis, reperta dicta, queant videri Fatali illi neceſſitati, circa virtutem & vitia, circa fidem & infidelitatem, circa ſalutem & mortem, haud parùm favere. Auxit denique eandem moderationem ipſa errantium, non è vulgo duntaxat, ſed ex ſummo doctorum, ſanctorumque hominum ordine, ingens multitudo.

I.

II.

III.

IV.

Et ſanè ſunt hæ rationes ad pacem, quamvis graviter hic errantibus concedendam, maximi profecto momenti. Nec enim dogmata ex improbis conſequentibus æſtimanda ſunt: ſi illa neutiquam admittantur ab errantibus; multo minus ſi hæc conſequentia itidem illi non dubitent damnare. Ita ſcilicet comparatum eſt cum veritate pariter atque errore: ut veri omnis ſit inſolubilis & perpetuus quidam nexus, errorque pro- I.

inde quilibet, apertâ licet fronte non niſi unam veri partem tangat, ex conſequenti tamen omnem omninò veritatem turbet. Fuerit itaque omnis omnino error lethalis, & nullus omnino mereatur veniam, ſiquidem illud omne damnandum ſit quod aptum eſt per conſequentiam ſalutari doctrinæ vim aliquam facere. Iam vero illud de Fato aut neceſſitante Prædeſtinatione dogma minitatur, fateor, pietati periculum per conſequentias; directè autē non ita. Saltim hactenus igitur nefas fuerit & crudele, anathema illi dicere. Præſertim quum illas conſequentias procul eſſe jubeant ipſi illi errantes, & de reliquo circa pietatem ejusq; doctrinam inculpatos ſeſe præſtent.

II. Similiter natura ipſa omnibus mortalibus nobis mandavit, ut ſaltim ijs quæ intellectu difficiliora, & ubi lapſus eſt facilis, noſtræ ſortis communis memores, alter alteri humanitus indulgeamus. Naturæ illud præceptum frequentiſſime à Deo in ſacris eſt literis inculcatum. Quî itaque fas fuerit, propter errorem in negotio perplexo obſcuro & difficili commiſſum, obliviſci mortalitatis noſtræ, & cœtera bonum, cœtera pium, cœtera fidelem damnare de plano?

III. Eſt itidem Naturæ juris & nobiſcum natum, quod Lex quælibet in tantum minus obliget, inquantū ſui aliqua parte intellectu eſt obſcurior: quodq; adeo juſtus quilibet legislator nolit, ſi quid propter illam legis obſcuritatē fuerit ab iis, qui aliàs animo ſunt obtemperandi cupido, ſequius ex errore comiſſum, criminibus accenſere; ſed affectum potius obtemperandi æſtimare, & hoc ſpectato nonnihil errori parcere. Ita in omni vita quilibet juſtus æquus & bonus ſeſe gerit. Quidni igitur pari ſimus & nos animo erga errores, quos ipſorummet ſacrorum quorundam dictorum (quæ utique ſunt nobis pro divina lege) perplexitas ſaltim aliquatenus peperit? Quid nos damnemus, quod ipſe Deus clementi venia proſequitur? Si voluiſſet ſanè nullam hic errori veniam concedere, non fuiſſet

paſſus

paſſus illa lubrica ipſi Sacro codici inferri. Non equidem diffiteor, plura longe, eaque ſic ſatis aperte dicta, eſſe quæ fatalem Prædeſtinationem evertant, quàm quæ in ſpeciem videri poſſint illam ponere; oportere item omnino in dubijs quibuſque non plura ex paucorum, ſed pauca ex plurium ſenſu interpretari: certum tamen eſt, quod nonnulla haud deſint, ſcrupulum legentibus non ſatis inſtructis injicere idonea Neq; ſane ego dubitó, nihil omnino illorum, quæ diverſos ſenſus ob aliter atque aliter dicta facile admittunt, ex divino inſtituto ita ſimpliciter eſſe ad ſalutem neceſſarium, ut non confuſa eorum notitia ſatis ſit, diſtincta & omnis erroris vacua haud exigatur. Unice probans ſcilicet ex adverſo illud S. Auguſtini: *In iis quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, contineri omnia quæ pertinent ad fidem moresq; vivendi.*

IV. Eſt poſtremo itidem recepti hactenus apud omnes juris, in civilibus ſaltim hominũ rebus, quod etiam in culpam quan libet mitius ſit animadvertendũ, ſi major fuerit peccantium numerus. Quanto magis autẽ ad excuſationem fortaſſis faciat erroris, ſi illum erraverint multi cœtera docti, cœtera pij, cœtera ſancti? Utique enim numerus ille ſaltim argumentum videatur eſſe alicujus inviti. At vero circa Fatum aberrantium ingens eſt multitudo, eaq; & eruditorum & piorum & ſanctorum. Non poterit profecto quis fraternitatis & pacis Eccleſiaſticæ limitibus excludere eos, qui nunc hac parte ceſpitant, niſi & S. Auguſtinum eique adhærentem Eccleſiam Africanam illius ævi omnem, niſi innumeros viros ſanctos antegreſſorum ſeculorum, niſi ipſum B. Lutherum, imo niſi omnes fideles illos in vinea Domini repurganda primos operarios, niſi infinitos alios, qui pietatem & ſanctitatem animi ipſo ſanguine pro veritate fundendo abunde utique noſtra patrumque memoriâ reſtati ſunt, crudeli ſententia ſimul damnare velis. Aut omnibus ſanè parcendum, aut in omnes promiſcuè ſæviendum fuerit.

Quantumvis verò nulla harum rationum in promptu alicui fuerit, ſola tamen ab omni retrò Chriſtiano ævo exercita in errores iſtos clementia temperare duros quoſq; animos, & rigidos immiteſq; flectere nonnihil debeat in moderationem. Enimvero qui ex aureâ primæ Eccleſiæ ætate ſuperant, videas quidem illos fatum Stoicum rejicere conſenſu quaſi unanimi; non propterea tamen omnem Stoicæ Philoſophiæ laudem eripere. Ubi à S. Auguſtino contra veterem doctrinam Abſoluta eſſet Prædeſtinatio laudata, qui ea in re applaudere Auguſtino dubitarunt inventi quidem ſunt, nemo tamen ejus novæ doctrinæ anathema dixit. Ipſi Papæ Romani, quorum erat jam tum magna in univerſo Catholico orbe auctoritas, nihil aſperius vel dicere in Auguſtinum ſuſtinuerunt; quamvis eâ parte haud probarent. Taceo quàm etiam tum ſtatim multi novellam illam doctrinam & amplexi ſint & propugnaverint: reluctantibus quidem alijs nonnullis, non tamen damnantibus. Primus omnium, cum Lucidus Presbyter eadem docuiſſet, Fauſtus Rhegienſis Epiſcopus vibravit anathema, atq; ab hoc inducti fuerunt idem facere Arelate undecim Gallicani Epiſcopi alij, ut & paulo pòſt Lugduni plures, circa finem quinti Chriſtiani ſeculi: ceu palàm eſt ex Fauſti libro, cujus prima publicatio Eraſmo debetur. At verò præter hoſce paucos nemo vel in Gallia idem egit. Imo penè illo ipſo momento idem Fauſtus poſtulatus Semi-Pelagianiſmi, & damnatus à Papis & Concilis, omnium ſuorum conatuum vim perdidit. Nec verò vel Synodus Arauſicana ſecunda quidquam damnavit Auguſtini dogmatum, ſed aliquid duntaxat Supralapſarijs proprium. Nono ſeculo, in Gotſchalco monacho, & Moguntiaci & Rhemis & in Cariſiacenſi Concilio, denuò illa dogmata ſunt damnata quidem; verùm enimvero mox non Lugdunenſi tantum Eccleſiá, ſed alijs, cum ſeorſim (quos inter eſt & Lupus Servatus, cujus libellus nu-

per demum lucem videre cœpit) tum in Valentino Concilio congregatis, acriter ſeſe opponentibus, pax Eccleſiaſtica ſententijs illis Auguſtini iterum reddita eſt. Imo verò ex eo tempore, ſequioribus etiam ſeculis, ſic ſatis multi doctorum eas amplexi ſunt; juſtâ licet moderatione animi tolerantes & diverſa (niſi quod unus Bradvvardinus univerſum fere ſuæ tempeſtatis orbem Pelagianiſmi poſtulare fuerit auſus) ipſi viciſſim pari æquanimitate ab alijs diſſentientibus tolerati. Poſthac Eccleſiæ Reformatores in univerſum omnes, ceu jam tum diximus, totis viribus & cum violentia quadam, iſthæc Auguſtiniana (fortè quod Lutherus noſter quaſi in Auguſtini ſchola adhuc monachus fuiſſet educatus) non tantùm non improbarunt, ſed defenderunt, imò multum auxerunt eorum duritiem: donec Philippo in alia magis magiſque digreſſo, ſenſim nec invito Luthero, ab Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, illa de fato dogmata feliciter exterminari cæperunt. Idque integra Eccleſiaſticâ pace: nec Luthero ſcilicet Philippi, nec Philippo Lutheri placita damnante. Neque ex eo inventus eſt noſtrûm quiſpiam, qui Luthero vel ob ſervum arbitrium anathema dixerit: omnibus ex adverſo clementer errorem illum excuſantibus, ceu æquum erat, quoniam de cætero integra ſervaſſet Fidei fundamenta & heic, non niſi ex zelo quodam contra ſui ævi Scholaſticum Pelagianiſmum, per ignorantiam & pio affectu lapſus. In Romanenſi quoque Eccleſiâ ſæpenumero, Jeſuitas inter & Dominicanos hinc exorto diſſidio, tolerantia mutua imperata eſt: donec Jeſuitarum artibus, & ſpe ſibi facta ſtabiliendæ ſuæ monarchiæ, Innocentius decimus & hujus exemplum ſecutus is qui hodie Romæ ſedet Alexander ſeptimus Papa, nuperrimè contra Janſenium ſolito aſperius decrevere.

Adeo mitis vero cum fuerit omnis ferè retrò Eccleſiæ

 ejus

ejus veſtigia æquum eſt profectò ſequi potius, quàm duritiam quorundam recentium. Igitur ſæviant anathematiſmis in errores illos, qui neſciunt quàm facilis in difficilibus lapſus ſit, & quænam lapſui tali clementia debeatur. Sæviant anathematiſmis in errores illos, qui neſciunt non deeſſe ipſis in Sacris literis, quæ, niſi diligenter caveas, te iſthuc deducant. Sæviunt anathematiſmis in errores illos, qui neſciunt, nolle Deum cujuſquam diſtinctam & undequaq; abſolutam cognitionem ceu ad ſalutem neceſſariam exigere, cujus ipſis in ſacris legibus ambigua merito poſſit eſſe interpretatio. Sæviant anathematiſmis in errores illos, qui neſciunt quàm infiniti viri ſancti plurimis ſeculis, citra diſpendium ſalutis ſuæ, illos erraverint. Sæviant qui neſciunt, hoſce inter eſſe & ipſum S. Auguſtinum & B. Lutherum, imò omnes ſanctiſſimos corruptæ Eccleſiæ primos reſtauratores. Poſtremò illi ſæviant in hos errores qui neſciunt, quàm à paucis, intra mille ducentos amplius annos, quidquam aſperi in illos ſtatutum ſit, quàm moderate ex adverſo boni docti & pij illos toleraverint. Ego fateor, cum longè alia omnia didicerim, ſævire in illos non poſſum; ſed non dubito talia quidem errantibus de indulgentia Domini veniam polliceri.

Supra igitur quàm dici poteſt placet mihi eâdem de cauſsâ etiam tua iſthæc, Optime HENICHI, quæ in libro tranſmiſſo paſſim lucet, circa illos errores æquanimitas & benigna omnium cenſura. Jam tum ante verò Theologicum Collegium veſtrum omnem illam cauſſam mihi probaverat, quæ in doctiſſima Epiſtola (pro quâ miſsâ, ſimulque in ea prodito eximio erga me affectu, gratias ago maximas; quamvis haud convenire mihi illud quo me proſecuti eſtis, invidendum eruditionis præconium agnoſcam, malimque omiſſum) nuperrime agitata fuit. Beati ô pacifici, quia filij Dei vocabimini! Beati ô mites, quia hæredes terræ eritis! Ad

vos

vos enim, ô boni, omnino pertinet utraque benedictio illa mitiſſimi Servatoris noſtri: imo ad omnes qui vobiſcum, ſpretis ferocientium voculis, paci Eccleſiæ componendæ dederint operam. Pergite modò in præclaro illo inſtituto; per quamvis etiam aſpera, per dura, per adverſa. Trahet in conſenſum Epiſtola iſthæc veſtra haud dubie multos, qui hactenus à magiſtris ſuis male inſtituti bonum tamen & docilem animum ad lectionem ejus adferent. Id quod ſaltim de plæriſque ut præſumatis, jubet Chriſtiana caritas pariter, & quam illi alijs in negotijs oſtendunt laudabilis æquitas. Bene ſperare me etiam jubet Remonſtrantium, quos Batavi vocant, laudabile exemplum: qui duriſſime ab adverſarijs habiti, etſi præ dolore immitius in Prædeſtinatianos antehac animadvertiſſent, perquam leniter tamen ad ultimum pronunciaverunt, cum in alijs libellis, tum illo eximio quod Leidenſium Theologorum Specimini repoſuerunt. Scio tamen nec diſſimulabo, quàm inique multi adverſæ partis noſtras ſententias Pelagianiſmi itidem condemnent, quàmque adeo ab omni ſeria nobiſcum ineunda pace alieno ſint animo. Neutiquam præterea, quia ipſemet vidi, ignoro, quum in Batavia à rigidis Calvini placitis nonnulli deflecterent, quantas ibi turbas dederint οἱ ὀρθοφρονοῦντες, quantumque non anathematiſmis duntaxat ſed & civilibus pænis in diſſentientes illi ſævierint. Abſit nihilominus ut par pari nos referamus, qui juſſi à Domino ſumus bonum pro malo rependere. *Quos hortatur Spiritus ſanctus* (facio mea Optati Milevitani ad Donatiſtas verba) *per Eſaiam Prophetam, dicens: Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini: Si qui nos odio habeant & nolint ſe dici fratres noſtros, vos tamen dicite iis FRATRES NOSTRI ESTIS.* Moderatio iſthæc noſtra ubi innotuerit (ceu debet utique) mitigabit fortaſſis dura etiam aliorum pectora: *ut concordiſer uno ore glorificemus Deum ac Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

 Sed

Sed quo prolabor jamdudum Epiſtolæ modum ſupergreſſus? Deum obſecro, uti te Clariſſime HENICHI, cum Collegis tuis, quos omnes plurimum ſalvere jubeo, diu bono Eccleſiæ publico ſoſpitet. Helmeſtadij Anno CIↃ IↃC LXIII. ipſo paſſioni Dominicæ feſto die.

LXVI.

Addita Litteris Ludovici Montaltii, à Rachelio editis Helmeſtadii anno 1664.

Clariſſimo Viro, SAMUELI RACHELIO Moralis Philoſophiæ eximio Profeſſori, Collegæ & amico ſuo. S. P.

NOvæ hujus operis editionis abs te factam curationem, Clariſſime Racheli, non equidem dubito, ut ſunt hominum mores, in duo reprehenſionum genera incurſuram. Alterum, quod liber hic omnis Theologici ſit argumenti, alienus itaque à demandato tibi Moralis Philoſophiæ docendæ officio, & quaſi falcem Tu miſeris peregrinam in meſſem. Alterum, quod eidem huic libro jam tum ante hoſce quinque annos, ab eo qui Bernhardus Stubrockius Viennenſis Theologus dici voluit, illæ ſint inuſtæ Notæ, ut videatur orco dandus, non certè redire in lucem oportere niſi ante gravi Apologetico famæ ſuæ ſit reſtitutus. Sed quantum equidem judico, iniqua eſt utraque reprehenſio: atque adeo non eſt quod

illas unius æſtimemus aſſis.

Neque tu præter officium quidquam; imo id quod muneris tui ratio omnino poſtulavit, præſtitiſti.

Enimverò primi quidem illi reprehenſores, præterquam quod injuſtiſſimè operas eruditi varia animi intra anguſtias publici cujuſque muneris compingant, inſcitiam profectò

ſuam

ſuam produnt, uni Theologico ordini accenſentes volumen quod ſaltem maximam partem Moralis eſt Philoſophiæ. Habet ſcilicet ille liber nonnulla merè quidem ſacri illius fori, ad illam quæ inter Romanenſes fervet, de Cornelij Janſenij Epiſcopi quondam Iprenſis à Papa Innocentio X iterumque ab Alexandro VII damnatis quibuſdam placitis, contentionem attinentia; aſt hæc pauciora ſunt & abs te ideo potiſſimum nunc edita denuò, quandoquidem à reliquo corpore ſejungi commode haud potuerint, ne capite & caudâ ut ita loquar volumen elegans mutilaretur. Abſque vero etiam hoc fuiſſet, operæ in editionem impenſæ tamen, me quidem judice, feciſſes tu pretium, quoniam ſacrorum talis curatio in officio eſt cujuslibet Chriſtiani: & intereſt Eccleſiæ, ut Romanenſium litium arcaniſſima quæque à noſtris etiam hominibus, quibus nihil in ſpeciem majus quam diſcordia objici ſolet (quaſi Romæ mera ſit malacia & tranquillitas) intelligantur. Quod reliquum autem eſt operis, id utique citra controverſiam unice eſt Moralis argumenti. Quicquid nimirum ad Epiſtolas à quinta uſque ad ſextam decimam pertinet. Imo & in alijs, cumprimis in tertia, reperias haut pauca quæ huc faciunt. Audiunt quidem & illæ non Philoſophiæ, ſed Moralis Theologiæ nomine: verum latiore quodam vocis Theologiæ uſu id fieri, haud obſcurum eſt. Scilicet Theologiæ, prout à Philoſophia diverſum eſt doctrinæ genus, id demum eſt proprium, quod ex divinitus editis eloquijs ſive planè ἀμέσως ſivè μέσως quodammodo accipitur. Qualia de omni morum ratione ex utriuſque fœderis, Novi cumprimis, codicibus ſacris plurima promi poſſunt. Horum autem nonnulla quidem aliunde haud cognoveris, pleraque tamen etiam naturâ nota, atque ex principijs evidentibus demonſtrari apta, atque adeo hactenus quidem Philoſophico foro tribuenda ſunt. Quandoquidem autem hinc,

etiam

etiam ipſis illis in ſacris codicibus, multa de moribus, non tam ex divino præcepto, quam factâ ex naturâ ipsâ ratiocinatione docentur, quia porro ab alijs quoque omnibus, quibus ſalutis æternæ hominibus curandæ commiſſum munus eſt, (quæ curatio Theologica eſt) quam frequentiſſime idem fiat, poſtulante idipſum partim neceſſitate, (in Sacræ ſcilicet Scripturæ ſilentio) partim inſigni ad populum movendum accuratiusque docendum utilitate: ideo vulgo Theologiæ Morali adſcribi ſolent, illa etiam quæ reapſe Philoſophicæ ſunt poſſeſſionis. Non alio tamen jure, quàm quo ad Medicos vulgo creditur pertinere accuratior mineralium plantarum animaliumque ſcrutatio; poſtquam illam qui Philoſophi audiunt neglexere, Medici vero quaſi uſu fecerunt ſuam: Philoſophiæ ſcilicet Naturali merito hîc etiam priſcis ſuis limitibus manentibus integris. Quantumvis igitur tibi, Clariſſime Racheli, haud fuerit fas manum Theologico argumento admoviſſe (quod dictu iniquiſſimum eſt) licuit tamen tibi vindicare Philoſophiæ tuæ Morali hujus operis diſputationes: ceu quæ totæ reapſe Philoſophicæ ſint & ſolo titulo Theologicæ. Atque adeò poteris tu primum quidem illud reprehenſorum genus ſecurè ſpernere.

Pari modo autem non itidem eſt, quod alteros illos vel unius facias flocci. Et Stubrockium ſcilicet illum non minus atque Wendrockium ac Montaltium legiſti: recteque judicaſti, non eſſe Stubrockiana paria tollendæ doctrinæ adverſariorum. Laudanda ſcilicet potius ab emendata ſtili Latinitate & acri ſcriptione, quàm rerum pondere. Et vero Montaltij omnia (loquor de Moralibus) docta utique ſunt; & minus hactenus in vulgus notæ Jeſuiticæ Philoſophiæ fœda ὑπομνήματα felicius ille quàm ferro aut igne poſſis, aggreſſus eſt. Scribit magnatum nonnemo, Epiſtolas illas Pariſiis eſſe lictoris manu ex decreto Parlamenti combuſtas; vereor autem ne

vel

vel error aliquis alius, vel eorum quorum intereſt hoc credi deceptio ſcribenti impoſuerit. Nam illæ quidem Literæ jam anno 55 & 56 Lutetiæ prodierunt in lucem; & tamen nondum anno 59 ibi ignem infamem expertas eſſe, certo mihi argumento eſt ipſe Stubrockius, non ſemel quidem memorans anno illas ſeptimo quinquageſimo flammis ex Parlamenti decreto Aquisſextijs traditas, Pariſienſem autem ſimilem ſævitiam tacens, neutiquam id facturus ſi contigiſſet. Poſt demum id factum, cui fiat veriſimile? Quin imò cum ſoli Aquiſextienſes Senatores ita exarſerint, facile liquet, reliqua Galliæ Parlamenta longe aliter judicaſſe. Id certius, Epiſtolas illas à Sacra Congregatione in cenſum prohibitorum librorum jam ſeptimo quinquageſimo anno relatas. At vero Romana illa Cenſura quàm procul abſit à falli neſcia, quæ Papis tribuitur, arbitrandi facultate, haud etiam ſui diſſimulant, præſertim Tranſalpini: apud quos jamdudum evanuit penè illius cenſuræ auctoritas. Fortaſſis quoque Janſeniſtica potius ſacra placita damnata voluit, quàm putidæ illius Moralis doctrinæ juſtam reprehenſionem. Et verò ab eadem Congregatione bienniò poſt damnatus quoque eſt Epiſtolis hiſce oppoſitus Caſuiſtarum Apologeticus.

De *Montaltio* ipſo nihil mihi conſtat. Eſſe vero & Gallum & Janſenianorum dogmatum fautorem, id facile eſt decernere. Æque ignotus mihi autem eſt ille qui ſeſe *Guilhelmum Wendrockium* appellavit. Etenim & illud nomen fictum eſſe, liquet quidem. Nec tamen certò dixerim Germanum eſſe, quamvis voluerit Theologus Saliſburgenſis audire: & habuerim heic ego ante octennium circiter per hebdomadas aliquot familiarem Janſeniſtam, qui nomen ſuum & gentem diſſimulans, per annos complures in aula Saliſburgenſi vixiſſe ſeſe inde autem diſceſſiſſe Jeſuitarum metu, oſtendebat. Erat ſane vir ille in S. Auguſtini lectione verſatiſſimus & in Lo-

vanienſi quondam inſtitutus ſchola: jamque tum tecto nomine nonnulla pro Janſenij partibus ediderat: gente, (ut poſt intellexi) Suecus, ſed ex patria religionis cauſa jampridem profugus: qui hinc abiens Lybecæ obiit ſuum diem. Illum tamen ſub Wendrockij perſona utiles hoſce ludos feciſſe quare haud credam, facit ſolida in omni Morali ſapientiâ eruditio in Wendrockij opere clare ſplendens; qualem me in altero illo non deprehendiſſe memini.

Bernhardus Stubrockius Wendrockij adverſarius Viennenſem Theologum ſeſe profeſſus eſt; ſed perinde fecit fucum. Jeſuita noluit videri, eſſe tamen haud temere negaveris. Quiſquis ſit, pollet utique exquiſitâ convitiandi & maledicendi facultate. Quæ dos hodie Jeſuitis compluribus eſt quaſi propria, imo ut ipſi cenſent, plane virtus quædam: velut calumnia ipſis bonum opus cenſetur, ſi cum adverſario juſtiſſimam actionem intendente cuiquam res ſit. Quam rem Montaltius Epiſtola quinta decima & ad illam Wendrockius juſta animadverſione perſtringunt. Ubi verò immania convitia iſthæc tuleris è medio & acerbiſſimas ſugillationes, libri illius Stubrockiani parum ſupererit. Adeo in ijs totus eſt. Summa capita ſane ejus quæ præter hæc eſt reſponſionis, fere reduxeris ad pauca illa, quorum meminit in præambulis ad Epiſtolas quæ ſequuntur quintam Wendrockius: hoc eſt ad inepta effugia libellorum Gallicorum, contra Montaltium in defenſionem Jeſuitarum & Caſuiſtarum exaratorum. Illa penè ſola cum furioſâ maledicentiâ repetens, librum ſuum Stubrockius abſolvit: de ſuo addidit vix quicquam, præter ſexcenties jactitatam Cenſuram Romanam in Janſeniana dogmata & Provinciales Epiſtolas: quaſi ſcilicet ad Moralia quoque iſthæc Janſenianorum dogmatum damnatio pertineat, aut ſimpliciter ſatis ſit Montaltij Epiſtolas Romæ eſſe legi prohibitas. Præter item ſuperbas cavillationes

tiones in Moralium illorum placitorum damnationem, à Clero potiſſimum Gallicano pariter & Belgico inſtitutam. Præter denique oppidò paucos noviter inventos turpis doctrinæ fucos. Qualis eſt quo utitur in defendenda perverſiſſima illa philoſophia: quod *probabilis ſententia quamvis falſa & legi divinæ contraria à peccato coram Deo abſolvat*; tum demum ſcilicet illam Deo inviſam eſſe, ſi errore conſtet plane invincibili. Id quod Probabilitatis novorum magiſtrorum nemo dixit; imo adverſatur eorum illi doctrinæ, quæ concedunt, licere minus etiam tutam & minus probabilem ſectari opinionem contra quàm ipſe ſentias. Id quod liquidum eſt ex Epiſtola quinta Montaltij & notis Wendrockij. Paſſim vero idem perſonatus Stubrockius non etiam verecundatur (perinde ac fecerant jam Montaltij duo adverſarij) perfricta fronte negare, quæ ſole ipſo ſunt clariora. Niſi forte reapſe haud neget: ſed (ceu fieri ſolet ab iis qui mentiendi, aut quam ipſi vocant *æquivocandi* artem profitentur) ludat *mentalibus reſtrictionibus*: ut verbis perfidæ methodi liceat uti.

Talis verò cum ſit Stubrockius, quis intelligens vitio tibi vertat, Clariſſime Racheli, quòd non attento illius hominis judicio cauſſam Montaltij & Wendrockij probaveris? Præſertim quum plæraque eorum, quæ uterque carpit, Stubrockius autem defendere voluit, jam tum ab ipſis Theologis Pariſienſibus & Lovanienſibus, à Parochis bonæ Galliæ partis, ab Epiſcoporum denique Galliæ pariter & Belgij flore ipſo, proſcripta ſint & damnata. Imò cum ipſa illa quæ Montaltio opoſita eſt Apologia Caſuiſtarum, cujuſque patrocinium Stubrockius ſuſcipere non erubuit, non ab illis quos dixi Epiſcopis duntaxat, ſed tandem à Papa Alexandro ipſomet orco ſit tradita. Quis bonus non laudaverit te Vir Clariſſime, quod in Germaniæ quoque noſtræ uſum, volueris luci dare

librum longe doctiſſimum pariter & utiliſſimum, cæteroquin tamen vix cuiquam conſpicuum?

Et verò ſpes me tenet, ſaltim optimos quoſque etiam noſtri Epiſcopalis Cleri, tandem aliquando inſuper habita Jeſuiticâ factione, ad præclarum illud exemplum Gallorum Belgarumque, doctrinam morum ab improbis corruptelis vindicaturos. Quod ſi autem illi officium publice facere, Jeſuiticam veriti potentiam, non fuerint auſi; non dubito tamen, complures Romanenſium partium ſaltim in occulto deprehenſuros tandem, qualibus magiſtris, qualique doctrinâ, tot millium animarum, implacabili innocentiæ noſtræ odio infectarum, curatio hodie in Germania ſubnixa ſit.

Noſtris hominibus cumprimis utile fuerit, non tam diſcere hinc, quid ſibi etiam in perverſa morum doctrina ſit cavendum fugiendumque (hoc enim non eſt, Deo ſit gratia, ut vel à Montaltio vel à Wendrockio nunc demum doceamur) quàm divinæ indignationis vim in illos, qui malunt timere Dominum juxta mandatum & doctrinam hominum potius quàm ex præſcripto divini verbi (quo ipſo nempe per occultum Dei judicium, *perit à ſapientibus ſapientia, & intellectus prudentum abſconditur*) in morum doctrina non minus quàm in alijs clariſſime ſplendentem, & admirari pariter & cum horrore venerari. Et verò non ovum tàm eſt ovo ſimile, quàm veterum Phariſæorum & Caſuiſtarum noſtri ævi infelix fatum. Ut apud illos ſcilicet olim, ita nunc apud hoſce noſtros, certante cum multâ eruditione (nec verò hanc laudem citra injuriam ipſis detraxero) inuſitato ſtupore.

Quoniam verò Jeſuitæ ipſi ambiunt primi & eſſe & videri in Caſuiſtarum illo ordine, ad illos quoque maximè hoc pertinere, nec ego negaverim. Non tamen toti Societati velim imputari culpam. Quamvis potiſſimi quique ſuam illam fecerint; cumprimis illo ſuo in Generali nuper conventu de-

tu, decreto ad accuſationes omnes ſilentio, cum nullâ tamen perverſæ doctrinæ publicâ vel agnitione vel correctione, ne quid priſtinæ exiſtimationis in vulgus ſibi pereat. Hæc enim ſolent eſſe conſilia illorum, quibus potior eſt vani honoris quam pietatis cura. Nullus nihilominus dubito, ſupereſſe in tanto Sodalium numero, & bonos & pios & doctos, qui ſaltim clam doleant & deplorent vibices ſui ordinis, moniti autem infelicitate etiam ſuorum (qui vel mutire hactenus fuerunt auſi contra vim Societatis criminum) publice tegunt animum & diſſimulant. Quin imo dixerim forte haud injuria, eodem eſſe animo Alexandrum ipſum cum ſua Congregatione: quæ Jeſuiticæ factionis Romanâ in Curiâ hodie eſt potentia: etſi haud vacet graviſſima culpâ

dans corvis veniam & vexans Cenſura columbas.

Sed fortaſſis non eſt, quod magnoperè illorum qui extra ſunt cauſſa nos mordeat.

Te verò, Clariſſime Racheli, etiam illo nomine gratias magnas apud intelligentes æquoſque inventurum confido, quod volueris addere operi alieno tuum inſigne *De Probabilitate* opuſculum. Quamvis enim novam illam improbam doctrinam ſic ſatis egregie & prolixe Wendrockius perſecutus ſit, tuum quoq; tamen ferrum omnino poſtulavit virulentia tanti carcinomatis. Actum videlicet eſt de omni probitate, actū de omni religione, niſi in tempore radices ipſæ uſq; adeo improbæ doctrinæ evellantur. Mirum vero, ni ſtuporem illum magnis magiſtrorum ingeniis afflaverit idem ille Spiritus, qui Rabbinos olim fecit profiteri, ſuas omnes quamvis contradictorias ſententias Deo perinde probari veraſque eſſe. Certè ſi à peccato eſt alienum quicquid ex ſententia fit alicujus probabilis magiſtri, eòdem recidit res, & ſibi adverſantia licet magiſtrorum placita Deo æque tamen accepta fuerint.

Utinam, Clariſſime Collega, tibi ſuperſit tantùm otij, uti pa-

rem induſtriam poſſis impendere in exagitando *æquivocatio-num* portentoſo artificio! Hunc ſane Jeſuitarum proprium dixeris fœtum: ut quem ipſemet magnus aliquamdiu Jeſuitarum paraſitaſter, eorum tamen malis artibus tandem loco motus (ſi credimus Valeriani Capuccini Defenſioni pag. 52) Caramuel, non dubitarit *artem mentiendi* appellare. Tetigit enim quidem hoc etiam ulcus Montaltius Epiſtola nona, ſed parce admodum, nec uti exigebat vis mali. Prolixius idem hoc jam pridem egerat Caſaubonus ſuâ ad Frontonem Ducæum Epiſtola, ſed itidem infra meritum. At vero perierit fides ab omni fere humano commercio per illud monſtrum. Thomas ſane Sanchez operis Moralis lib. III. n. 15. diſerte profitetur, *juſtas eſſe utendi amphiboliis cauſas, quoties id neceſſarium eſt, aut utile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas.* Hujus verò quam latus eſt ambitus! Ex Joannis Sanctij porrò mente Epiſtolæ quintæ hujus operis addita, diſco æquivocationi etiam locum aliquem eſſe in promiſſis, imo in ipſis ſacris criminum confeſſionibus. Brevi omnia infecerit illa peſtis, niſi caveamus. Etiam tua itaque opera hîc multum proderit bono publico.

Feceris verò laboris precium circa etiam unumquodq; reliquorum in hoc opere confoſſorum, imo & aliorum (multa enim hîc intacta abierunt) portentorum. Nihil ſanè non ad examen tuum pertinet. Sed & poteris tu nihil horum non feliciter expedire; modò animum attenderis. Sed te id facturum ſimulac licuerit, haud equidem dubito: conſcius & induſtriæ tuæ non minus quàm eximiæ doctrinæ.

Non poſſum autem non laudare etiam, Doctiſſime Racheli, quod ſubjungere volueris illa, quæ noviſſime agitata ſunt Pariſiis de Papæ Romani circa facti quæſtiones infallibili auctoritate. Enimvero quî Papa fuerit Chriſti vicarius, qualē ſeſe venditat, ſine illa circa πίχαι ἰκανῶ divinâ quadam facul-

tate, non equidem video: quandoquidem adminiſtratio rerum in ſingularibus maxime eſt occupata, & in hiſce potiſſimum opus eſt prudentiâ. Hinc ſane manifeſtum omnino videtur, aut Papam Vicedeum non eſſe; aut alterum illud ipſi competere. Cum nemo itaque Paparum hactenus in facti quæſtionibus infallibilem ſibi auctoritatem adſcribere fuerit auſus, equidem etiam illud magno ſemper apud me fuit argumento, totum illum Vicedeatum nihili eſſe & merum commentum. In publicum itaque multùm profuerit, de hoc quoque argumento concertantes videre Janſeniſtas pariter & Jeſuitas, in ruinam ſcilicet impij illius Vicedeatus Papalis. Nihil ſane eſt certius, quàm novam hæreſin eſſe Jeſuiticam: *quod Papa ſit in facti quaſtionibus infallibilis*. Nihil itidem eſt certius, quam quod profitentur nunc hi Jeſuitæ: *abſque tali infallibilitate non conſtare ſibi Vicedeatum*.

Sed quo prolabor? Abſolvam me paucis. Perplacet, Clariſſime Racheli, illa opera quam impendiſti & in volumine iſthoc Montaltio-Wendrockiano ſecundùm edendo, & cumprimis in turpi illo Probabilitatis monſtro ſingulari diſputatione conficiendo. Non temerè profectò potuiſſes nunc rectius de humano genere mereri. Nec tamen eſt quod mihi uni hoc credas, firma jam tum ἀποδείξει ſubnixus, adeoque nullo indigens ſuffragio. Habebis autem brevi conſentientium teſtimoniorum vim magnam, ex omnibus partibus omnibuſque hominum ordinibus, etiam illis quibus noſtra aliàs ſuſpecta ſunt, (prævalente ſcilicet vi veritatis) ſaltim bonis quibuſque & æquis. Jeſuitarum peſſimæ notæ (nec enim vel illi promiſcue omnes, ſpero, ſuccenſebunt) odia ſecurè poteris ſpernere, ſat Deo felix amico. Solis nempe ijs quos Jeſuitæ habent ſibi obnoxios metuenda illorum infauſta potentia eſt. Quin potius tu id egeris, quod te paulo ante rogavi. Hoc eſt; perge quæſo in reliquis etiam illis monſtroſæ Philo-

ſophiæ

ſophiæ capitibus, cumprimis illa *mentalium reſtrictionum* hydra, contundendis. Non minus ſane tibi quondam gratias referet pia poſteritas, quam Herculi τῷ ἀλεξικάκῳ. Ego Deum venerabor, uti & vires & facultates tàm præclaro facinori ſuppares tibi benigne largiatur. Helmeſtadij in Academia Julia Nonis Martijs CIↃ IↃ C LXIV.

LXVII.

Addita Clariſſimi Kirchmajeri Commentario in Tacitum de Morib. Germanor. edito VVitteberga anno 1664.

Clariſſimo Viro GEORGIO CASPARI KIRCHMAJERO, Profeſſori publico in illuſtri Academia Wittebergenſi, Amico ſuo eximio S. P. D.

PRæclarum eſt inſtitutum tuum, Clariſſime KIRCHMAIERE, docendi juventutem antiquiſſima etiam quæque Germanicarum rerum. Ingenuum ſcilicet eſt, & liberalem animum cumprimis decet, non recentia tantùm noviſſe, ſed ab omni retrò repetita tempore quævis gentis noſtræ etiam vetuſtiſſima: ſaltim ne pueri habeamur, quod Soloni & Athenienſibus olim Ægyptij exprobravere. Et vero in pueris natis meritò excuſaveris iſtam ignorantiam; ut & in illis, quos vel fortunæ iniquitas, vel ſors naſcendi anguſta, vel occupationum quædam major vis, ad juſto humiliora vota deprimit: ſaltem illos tamen qui videri affectant ſapientes, atque vulgi ultra vilitatem provecti, majorum res ignorare indecens eſt. Intereſt vero & reipublicæ, probe omni quidem ex parte adminiſtrandæ, veterum illorum perquam accurata cognitio. Enimverò eſt utique primum deliberationum quarumvis caput, quàm exactiſſime noviſſe

rem

rem illam quæ in curam venit: ac proinde & de ipsâ republicâ tunc demum undequaque perfecta inſtitui conſultatio poteſt, quando nihil ejus temerè ignoratur. Id quod haud obtinueris, niſi ad maxime priſca ſubinde reflexeris quoque memoriam, atque adeo nova ab antiquis juſte diſcreveris. Plurimûm certe juvat, haud neſcire, quando quave ratione reipublicæ ſingula ceperint, quando item quave de cauſa mutaverint nonnulla, ut & quamdiu & quemadmodum alia hactenus integra perſtiterint. Et vero à noſtris hominibus quammultis videas hâc in re graviſſimè peccari: qui noſtro Romani Imperij titulo decepti, quæcunque aliena à Romanis ſunt moribus tanquam nova & haud ſatis legitima deſpiciunt; cum ſint tamen ſæpenumerò vetuſtiſſima majorum inſtituta, Romana vero illa nunquam apud nos obtinuerint, nec poſſint vel debeant obtinere. Id haud difficile eſt intellectu, modò quis hæc noſtri ævi cum ijs etiam, quæ Tacitus alijque priſci de Germanorum inſtitutis poſteritati tradidêre, contenderit. Quamvis enim memoria iſthæc veterum rerum perquàm ſit tenuis, neutiquam ſanè omnia pro dignitate perſequatur: attamen vel illa quæ ſuperant, facem ingentem noſtris reipublicæ negotijs allucere, idonea ſunt. Quid? quod vetera illa Germanica noviſſe, plurimùm quoque conducat accuratæ notitiæ quarumvis univerſæ pene Europæ civitatum aut rerumpublicarum. Ex quo videlicet gentes Germanicæ Romani Imperij veteris tantùm non omnes Occidentales regiones, ſuam in poteſtatem redegerunt, omnibus illis in locis per Germanicos antiquos mores compoſitæ ſunt reſpublicæ: quorum proinde reliquiæ adhuc plurimæ paſſim exſtant. Ut nullam fere Europæ rempublicam intimè pleneque cognôris, niſi ex Romanis monumentis quaſi in auxilium adſcita veterum Germaniæ rerum memoria. Ex Romanis, in-

quam, monumentis: quandoquidem domeſtica vetera omnia deficiunt; majoribus noſtris agere fortiter doctis quidem, literarum vero uſum omnem ignorantibus.

Sed quo prolabor? Hoc volebam. Perquam placere mihi, Clariſſime KIRCHMAIERE, exquiſitos tuos, revocandi juvenes ad Germanica etiam priſca addiſcenda, conatus: cùm quod eorum cognitio deceat liberalius quodque ingenium, tùm quoniam abſque illâ Imperij etiam Germanici, ejus quod nunc eſt, exacta notitia haberi nequeat. Et verò quia Taciti libellus quem ille de Moribus ſuæ tempeſtatis Germanorum ſcripſit, quaſi theſaurus eſt antiquitatis noſtræ, hujus meritò ſequeris ductum, atque ad hunc ornandum illuſtrandumque appellis tuas curas. Ad exemplum nempe tot magnorum nominum, quæ itidem in hoc campo famam ingentem ſibi pepererunt. Perge verò quâ cæpiſti viâ, idque ſtrènue. Nemo ſane reipublicæ noſtræ rerum plene addiſcendarum cupidus, imo erectioris animi nemo, non applaudet tam laudabili ſtudio tuo. Ego certe Deum obſecro, uti tua hæc opera æterno cedat Imperij Germanici emolumento. Helmeſtadij in Acad. Julia. IV Eid. Quinctil. Anno CIↃIↃC LXIV.

LXIIX.

Præmiſſa Inſtitutionibus Theologicis Cl. Henichij, excuſis Brunſuici 1664.

Viro plur. Reverendo Clariſſimoq; JOHANNI HENICHIO SS. Theologiæ Doctori & in Academia Rintelienſi Profeſſori primario, Amico ſuo non è multis, S. P. D.

PErvolvi, quas miſiſti, plagulas Theologicarum Inſtitutionum tuarum, mi HENICHI; eaſque deprehendi, qualia tua eſſe ſolent, doctas ſcilicet, perſpicuas, & ut verbo dicam,

dicant, verè inſtitutiones; adeoque rectè illud agentes, quod titulo profitentur. Vere nimirum inſtituis ſacram doctrinam æmulantes, neque ullam inſtitutoriæ operæ virtutem paſſus es in tuo iſthoc volumine deſiderari. *Primum* enim haut temere quidquam deeſt ſacræ eruditionis iſti operi: quin imo video ea, quæ ſanctimoniam morum attinent, prolixe cumprimis te perſecutum, quod perquam vulgo ſolet negligi. Doceri nimirum juventus ſolet, non tam bene vivere, quam bene ſentire, ut molliter dicam: ut quod res eſt, ſtrenue cum diverſum opinantibus rixari & contendere. Quod equidem non omnino improbo; doctorem enim Eccleſiæ oportet poſſe etiam ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Quoniam autem vitæ cumprimis & pietatis habenda ſit ratio, illaque item non careat ſuis ſalebris, in vitio eſt, ita alterum agere, ut quod potiſſimum eſt negligas. Non verſaris porrò uſquam in iis quæ aliena ſunt à ſacra Inſtitutione: quæ *altera* rectæ ſcriptionis virtus eſt. Vagantur namque nonnulli & dilabuntur frequenter ad ea, quæ ad rem non faciunt, ut ſæpe τὸ πάρεργον ipſomet τοῦ ἔργου longe ſit majus: incitante & agitante ſcriptorem nunc arrogantiâ in oſtentationẽ, nunc penuria convenientis doctrinæ quaſi in molis ſupplementum, quo lateat quam curta domi ſit ſupellex. *Non* poſſum præterea non laudare, quod ſoleas, quæ ſentis, non dictitare & velut edicere, ceu faciunt inſolentes magiſtri, quibus ſua autoritas pro ratione eſt; ſed probare idoneis argumentis. Et verò hoc demum reapſe eſt inſtituere & docere, ſaltem ea, quæ ipſis non ſunt ſenſibus obvia aut ex ſenſu perceptis non proxime quaſi reſultant; quorum numerus eſt longè maximus. *Cumprimis* placet, quod tantum non omnia muniveris ex aureo Eccleſiæ ævo petitis teſtimoniis. Quamvis enim, fateor, non ſimpliciter id neceſſarium ſit: quandoquidem poſt rectam & naturæ congruam argumentationem ſufficiat nobis Scriptu-

ræ canon, animum tamen nonnihil fluctuantem, aut à judicandi acrimonia non ſatis inſtructum, in regiâ via detinere, aptiſſima profecto ſunt teſtimonia illa. Ne nunc urgeam, quàm ſit ſuavis pio & *μὴ ὑψηλοφρονοῦντι* iſthæc cum ſanctis Martyribus & noſtræ Eccleſiæ, ut ſic, dicam, conteſſeratio, quam aurea illa primæ ætatis dicta eximiè oſtendunt. Cui porro jure diſplicuerit ille abs te obſervatus inſtruendi *ordo?* Sane & ille ſi probe ſeſe habeat inter virtutes bonæ ſcriptionis meretur recenſeri. Quamvis vero non eodem cum aliis tramite inceſſeris, nec ſatis conveniat hactenus inter magiſtros de Theologici Syſtematis juſto ordine, poſſemque fortaſſis nonnulla haud improbanda etiam ipſemet iſthoc de argumento tecum diſputare: non dubito tamen, quem tu preſſiſti ordinem, & defendere, ſi opus ſit, & prædicare. Sed non locatæ in eo ſunt opes, ut ita loquar, doctrinæ ſacræ: itaque iſthæc cura haud eſt, quare anxium quem teneat. *Mirifice* autem adfecit illa tua facilis, plana, & perſpicua docendi ratio: quoniam illam cumprimis exigit lex inſtituendi. A qua dote alii nonnulli Inſtitutionum doctores, hem, quàm longe abſunt! Enimvero hac de cauſa nunquam probare potui, Inſtitutionum titulum volumini ſuo, cætera plæraque eximio, Joannem Calvinum indidiſſe: quum improbatâ Melanchthonis facilitate uſus fuerit oratione ſplendida, & movendis huc illuc animi adfectibus magis aptâ quàm inſtruendo judicio. Non ſane niſi ſolum tenue & *ἀπὸ τῶν παθῶν* æquabile ac temperatum ſermonis genus doctrinæ tradendæ convenit: quod tamen diverſum eſt ab humi repente & abjecto, multò magis à barbaro & ſolœco, cujuſmodi fuit aliquot ſeculis Scholaſticæ quam vocant Theologiæ. Ut omni autem doctrinæ tenuis demum ille character orationis aptus eſt, ita multo magis is Inſtitutionibus convenit; quoniam hæ in tyronum gratiam potiſſimum elaborari ſolent, quibus planiſ-

ſime

ſime omnia proponenda ſunt. *Non* tantum vero dictionem tuam iſthoc nomine laudo, doctiſſime Henichi, ſed ipſum etiam illam tuam per quæſtiones reſponſioneſque inſtituendi rationem; quandoquidem nimirum hæc omnium eſt ſimpliciſſima, atque ita plane parentes liberos, magiſtri diſcipulos, quàm familiariſſime erudiunt. In univerſum ſane, quemadmodum caſta matrona quum nil olet oprime olet: ita tua illa Inſtitutio quo minus habet ornatus eo eſt elegantior. Summâ *ad ultimum* cenſeo laude dignum, quod & proponas quidem & confutes illa, quæ minus recta viſa ſunt, modeſte tamen & citra contumeliam errantium; memor humanæ imbecillitatis pariter & officij Chriſtiani. Quum ex adverſo nullus ferè doctorum ordo tuo iſthoc, quem ordas, impetuoſior eſſe ſoleat & inclementior, magiſque turpem prodat animi impotentiam, ut & minus concordiæ ſtudeat ac moderationi illi noſtræ, quam Apoſtolus vult omnibus innoteſcere. Nec vero docuiſti, fulminibus & execrationibus aberrantes quoſque excipere: ſed amice in recti notitiam invitas *& erudis leniter eos, qui contrario ſunt animo adfecti, ſi quando eis det forte DEUS reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis.*

Tantis virtutibus igitur quum tuæ polleant Inſtitutiones, mi Henichi, fac ut quam primum in lucem prodeant, & ferant fructum. Nec enim eſt, quod dubites pretium operæ exſpectare apud bonos & intelligentes: quamvis fortaſſis haud etiam ſint defuturi qui mordeant. Sed nec tu velis forte omnibus placere, modò boni faveant: utque tu velis certe non poſſis, nec ſi placenta fias aut vinum Thaſium, ut ille Græcus olim jocabatur. Ego Deum obſecrabo, ut vires pijs conatibus aptas largiatur, teque Eccleſiæ bono ſoſpitem in multos annos conſervet. Hoc me acturum certò polliceor. Tu autem viciſſim pergas me redamare. Helmeſtadii in Academia Julia XVII. Octobr. Anno 1664.

LXIX.

Inſerta Libello Gratulationum Natalis Octogeſimi ſecundi, edito VVolfenbutteli 1660.

Ad Sereniſſ. Principem ac Dominum D. AUGUSTUM Ducem Brunſvicenſ. & Luneburg.

Sereniſſime Princeps Domine Clementiſſime.

NAtalis octogeſimus ſecundus quemlibet pium prudentemq; civem adigit, & admirari inuſitatam divini Numinis benignitatem, & ſaltim animo cum Seren. Celſit. Veſtræ tum huic terræ gratulari. Etſi enim & alijs privatæ ſortis hominibus tale quid interdum contingat, etiam hoc tamen rarum eſt. Longe rarius eſt, tantum ævi exegiſſe corporis pariter animique functionibus ſic ſatis integris: quod itidem Seren. Celſitud. Veſtræ datum eſt: viventibus pleriſque alijs potius in diſpendium quàm in augmentum felicitatis. Multò rariſſime ea ætas, inter ſuperſtites animi & corporis vires, Regibus Principibuſque concedi ſolet. Germaniæ Principum ſanè, quantum equidem inpræſens memini, haud ulli hactenus id obtigit: ne quid dicam de Sereniſſimæ domûs Veſtræ omnibus retrò majoribus. Imo nec univerſa hodie Europa (Europam quid dico?) non Aſia non Africa, non America exemplum ſimile non tantum nunc exhibere poteſt, ſed nec jamdudum exhibuit. Ipſa priſca ætas, præter Ageſilaos Maſiniſſas & Hierones, habet vix quenquam, qui in contentionem venire mereatur. Atque ego quidem hactenus non niſi arcanâ animi reverentiâ felicitatem illam Sereniſſ. Celſitud. Veſt. colui & admiratus ſum: nunc animus eſt repetitâ editione libri de Germanorum Imperio Romano dudum Seren. Nomini Veſtro conſecrati, brevi in publico & prædicare inuſitatam hanc beatitatem, & ſimul oſtendere illud gaudium, hactenus occultum, coràm toto orbe atque ad ipſos

ipſos poſteros, quod mihi fortuna illa Principis mei conciliat: rumpente ſcilicet tandem occultæ reverentæ vincula beatitudinis Veſtræ immenſitate. In id igitur tantum haſce literas nunc exaro, ut Sereniſſ. Celſitudo Veſtra meum quoque nomen adſcribere poſſit vitæ rerumque ſuarum illis pijs cultoribus, qui non dubitant animi ſui devotum affectum publicè profiteri. Quod ut Sereniſſ. Celſit. V. facere dignetur, etiam ſane atque etiam rogo: Deum veneratus, ut felicitatem hanc & hoc noſtrum gaudium, diuturnum adhuc porrò eſſe velit, jubeat. Helmeſtadij x. April 1660.

Sereniſſ. Celſitud. Veſtræ
omni fidelis obſequij pietate addictiſſimus.

LXX.

Inſerta Libello Gratulationum in Natalem octogeſimum tertium, edito VVolfenbutteli 1661.

AD EUNDEM.

Sereniſſime Princeps Domino Clementiſſime.

DEbemus profectò quotquot publicam ſalutem amamus, gratias Deo Opt. Maximo, quas mente concipere poſſumus, quod non tantum preces noſtras exaudire, ſed inſperato etiam beneficio afficere nos voluerit. Annus ſcilicet eſt cum longam quidem valetudinem Sereniſſ. Celſitudini Veſtræ precaremur: eramus tamen maxime ſolliciti de anno ætatis octoageſimo ſecundo. Is vero non tantum valetudine integra effluxit, ſed præbuit etiam Serenitati Veſtræ nepotem alterum: hoc eſt firmum Sereniſſimæ domûs in futura tempora fulcrum, & ſpem certam melioris felicitatis. Ne quid nunc dicam de recuperatis ampliſſimis bonis: quæ itidem præter exſpectationem quaſi in cumulum aut ſuperpondium adjecta ſunt. Facit illa eximia plane divina benignitas, ut non dubitemus paria, ſi non majora, in proximum quoque annum ſperare, imo certò nobis polliceri. Nihil ſanè in vo-

tis ma-

tis magis eſt, quàm videre Sereniſſimam Celſitudinem Veſtram annum etiam octoageſimum tertium exigere, ſine omnibus ſenectæ moleſtijs, molliter, domi foriſque felicem, & ceu hactenus, Deo ſuperis atque hominibus quibusque bonis (malos enim non moramur) gratum atque acceptum. Scio equidem inuſitata me optare ac petere (nec enim à quam multis ſeculis illa felicitas Regum aut Principum cuiquam, Germaniæ ſummatum nemini unquam, ut nec ulli Majorum, contigit) at quidni liceat inuſitata bona Sereniſſ. Celſitudini Veſtræ optare, cum inuſitatâ virtute rem omnem publicam, quamvis adeò ſenex, quamvis adeò occupata laboribus, regat, atque adminiſtret? Deum ex imis viſceribus oro atque obteſtor, ut votum meum ratum eſſe jubeat. Helmeſtadij 10. April. 1661.

Sereniſſimæ Celſitud. V.
omni fideliſſimi obſequij pietate devotiſſimus.

LXXI.

Inſerta Libello Gratulationum Anni Chriſtiani poſt milleſimum ſexageſimum ſecundi, edito Wolfenbutteli anno eodem.

AD EUNDEM.

Sereniſſime Princeps Domine Clementiſſime.

CUm ante annum precarer Sereniſſ. Celſitud. Veſtræ felicia quæque, nihil omnino dubitabam ſaltim de unius anni proſperitate, conſcius ſcilicet, cùm quam multa pia vota pro incolumitate Veſtra fiant, tum quam adhuc ſit firma corporis conſtitutio. Eveniſſe tamen ita prout tunc ſperavi precatusque ſum, etiam ſane atque etiam gaudeo. Laborant quidem nunc nonnihil crura, iterum tamen haud dubito etiam in proximum annum optima quæque polliceri. Idque iiſdem quibus antehac de cauſis. Funduntur ſcilicet etiamnum æque pia & multiplicia pro Serenit. Veſtræ ſalute vota: & corporis eo eſt ratio, ut Medica ars mea quidquam ſiniſtri vetet metuere.

metuere. Enimvero Deum ego veneror, ut Sereniſſ. Celſit. Veſtræ non proximus tantum annus ſed multa adhuc ætas feliciſſimè decurrat. Id faciunt mecum plurimi: qui quidem mecum norunt, quantum publicè interſit, Sereniſſimam Veſtram Celſitudinem diu adhuc ſupereſſe.

Helmeſtad. 1661. *Serenitatis Veſtræ*
30. Decemb. *quoad vixero fideliſſimus miniſter.*

LXXII.

Inſerta Libello Gratulationum Natalis octogeſimi quarti, edito VVolfenbutteli Anno 1662.

AD EUNDEM.

Sereniſſime Princeps Domine Clementiſſime.

PErgit fortuna, imo ut loquar rectius, pergit Divina benignitas, exauditis piorum votis, AUGUSTE PRINCEPS, tuæ perpetuæ annuere felicitati. Enimvero exacto anno bis viſa eſt remittere nonnihil de ſolito velle, primùm turbatâ corporis robuſtâ illa valetudine, inde erepto Nepotum, fulcri & ſpei domus Auguſtæ, altero. Nihil horum non perculit vehementer Tuorum animos. Et quidni? Quam videlicet admiramur felicitatem inuſitata plane eſt: ſi quid mali ergo uſitati eveniat, veremur merito, ne omni ex parte intra ſuetos mortalitatis noſtræ limites fortuna revertatur. Qui qualesnam ſint, quàm anguſti, quàm periculis obnoxij, neminem fugit. Verùm valetudo in integrum ita mox reſtituta eſt, ut rejuveneſcere quodammodo viſa ſit ipſa ſenectus Tua: nihil certe virium priſtinarum non redierit: quo nihil in ſene & quidem ævi tam provecti, magis rarum eſſe ſolet. Exſtincti Nepotis jactura intra triduum (quis non miretur?) reſarta eſt. Hora quaſi undecima veſpertina quincti diei Martij menſis ſurripuerat (eheu!) LEOPOLDUM AUGUSTUM, alteram ſanè ad poſteritatem Principalis domûs exſpectationem: prima pomeridiana octavi diei ejuſdem menſis fe-

ſis felici, quamvis luctu & dolore confectæ matris, partu (ut nihil non ſit inſolens) reddit AUGUSTUM WILHELMUM, infantem elegantem lepidum & plenæ ſanitatis. Deus avita ipſi omnia largiatur. De cœtero fluxit annus ille tertius poſt octoageſimum ætatis Tuæ, AUGUSTE Princeps, plane ex tuorum voto: hoc eſt, felicitate inuſitata. Quàm enim illud ævi eſt aliàs miſerum, ſi cui contingat! Corporis robur, quale ab aliquot annis. In victu nihil novi. In labore idem qui antehac vigor. Ingenium promptum. Judicium exquiſitum. Memoria non recentium minùs quam veterum tenaciſſima. Priſtina ſciendi omnia curioſitas: & agendi omnia, publica privata, indefeſſa induſtria. Non alia quam antehac in Deum pietas, erga neceſſitudines caritas, humanitas erga omnes. Morum idem lepor: nihil ex ſenio tetrici aut moroſi. Eadem quæ antehac ſemper, inter negotia graviſſima otij & recreationis vice, perpetua librorum cura: unde & Bibliothecæ Auguſtæ ſuum perpetuum incrementum. Acceſſit priſtinæ felicitati haud levis nova alia, ex Filiæ cum Sereniſſimæ familiæ Saxonicæ fortiſſimo Principe, deſponſatione. Tam raram tamq; inſolitam exacti anni fortunam excipit hodie, PRINCEPS OPTIME, Natalis Tuus octogeſimus quartus, paribus auſpicijs, pariq; omnium exſpectatione. Et verò quid vetat paria exſpectare, cum nihil remittat benignitatis ſuæ is à quo omnia ſanctiſſimus Deus? Hoc certè unicum videtur ille obſecrandus, ne peccatis noſtris offenſus ſequius aliquid conſtituat in noſtram pœnam. Vixiſti ſcilicet, AUGUSTE PRINCEPS, fortaſſe Tibi ſatis, ſatur gloriæ, & undequaque, patiuntur inquantum humana hæc, beatus. Nondum vixiſti autem ſatis neceſſitudinibus tuis, non populo tuo, non Imperij rebus, non etiam (ſi fas eſt adjicere) huic tuæ Juliæ. Ut in horum ſaltim commoda ſuperſis adhuc aliquamdiu, Deum precamur, Deum obſecramus. Igitur AUGUSTE PRINCEPS, Deus Te

ſervet

ſervet! AUGUSTE PRINCEPS, Deus Te, ceu hactenus, beet! OPTIMO PRINCIPI VITAM! SAPIENTISSIMO PRINCIPI VALETVDINEM! PIENTISSIMO PRINCIPI FELICITATEM. Ita cum alijs plurimis ex intimo animi affectu voveo, & Deum precor atque obſecro, ego etiam

Helmeſtadij x. April. 1662. *Sereniſſimæ Celſitudini ad conſilia & obſequia devotiſſimus.*

LXXIII.

Inſerta Libello Gratulationum Natalis octoageſimi quinti, edito VVolfenbutteli Anno 1663.

AD EUNDEM.

Sereniſſime Dux, Domine Clementiſſime.

Effluxit tandem & quartus poſt octogeſimum ætatis Tuæ annus: quinctus verò jam incipit. Atque ego quidem ſic ſatis ſecurè felicia quæque Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ ſtatim ab initio ſperabam, eòque nihil magnopere præter micam exſpectationem annus elapſus attulit. Ne quid tamen ſaltim apud Celſitudinem Tuam diſſimulem, potuiſſent etiam mihi, (cui ſalute tuâ nil eſt carius) perinde ut factum eſt alijs, metum aliquem incutere illorum præcepta, qui per hebdomades & enneades humanam vitam dividentes, hinc fata penè omnia ſuſpendunt atque arceſſunt: niſi ego vanitatem illorum dudum habuiſſem exploratam. Duodecimum ſcilicet ſeptenarium ætatis Tuæ abſolvit annus ille proximus: quem valde infauſtum imo funeſtum magiſtri illi prædicant. Verùm per gradus quaſi & ſcandere & deſcendere corporum noſtrorum robur integritatemque, certum quidem eſt. Tempora quoque iſthæc à natura rerum terminis quibuſdam velut circumſcribi, eoſque perfrequenter triadibus hebdómadibus & enneadibus præter propter numerari poſſe, haud equidem negaverim. Sed ad hoſce numeros vitæ ac valetudinis noſtræ momenta quæque arctè àdſtringi, ab ijs illa proficiſci, ab ijs de-

pendere, ne ego credam, experientia eorum, quæ indies ferè bontingunt, cum mea propria tum maximorum Naturalis ſapientiæ antiſtitum prohibet. Negant utique hoc & Hippocrates, & Ariſtoteles, & Galenus, ut alios taceam. Quibus cum Ægyptij ſacerdotes, Græcorum item nonnulli, & in Romanis Varro ac Macrobius, ſimileſque alij ſecus qui ſentiunt, haud merentur (Naturæ quidem ſi ſpectemus peritiam) qui vel in levem veniant comparationem. Non difficulter autem idem quemq; vel uſus doceat, ſi obſervet duntaxat illa quæ indies ſeſe noſtris oculis quaſi objiciunt. Neutiquam videlicet eâdem homines promiſcuè omnes conditione natos: ſed differre ætates plurimùm ipſas, pro ſexus etiam, pro victus, pro cœli, uno verbo pro temperie diversâ præcipuarum corporis partium. Et vero nihil aliud quam illa viſcerum tuorum, Dux Sereniſſime, athletica conſtitutio, initio præcedentis anni, & nihil non benigni polliceri, & contemnere illa hebdomadica terriculamenta, fecit. Victam fateor nihilominus ſpem meam inuſitatâ fatiſcentis nonnihil roboris priſtini eâ redintegratione, quæ etiam ſero jam auctumno, aëre jam multum horrido, & equitem Te & venatorem reddidit. Eadem corporis tui ratio & in hunc quem hodie ingrederis annum, pari de causâ ſecuriorem me præſtat: Ut ſcilicet, qui vitæ & ſalutis mei benigniſſimi Domini ſollicitam ceu par eſt curam gero, pene in utramque (quod ajunt) aurem me dormire jubeat. Non tamen ita me geram. Scio enim ab unico Numinis divini nutu vitam hominum omnium, quantumvis nativis dotibus inſtructam, ante tempus corripi; quantumvis imbecillem & languidam produci in longum, & poſſe & ſolere. Itaque & gratias ago Deo, quod uſque huc ſoſpitem Sereniſſimam Celſitudinem Tuam nobis ſervaverit, & eandem ſupplex oro obſecroque, ut non in hunc duntaxat ſed & alios ſecuturos annos complures pari nos felicitate velit beare. Quod Nobis,

inquam,

inquam, contigerit Tua illa felicitas, AUGUSTE Princeps, gratias agimus. Nobis in plures annos eandem petimus. Tua ſcilicet vita, PRINCEPS OPTIME, Tua ſalus, Tua felicitas, non tam Tua quam noſtra eſt, qui Tui ſumus. Nobis vivis, Nobis vales, Nobis felix es, ipſemet ſatur vitæ, ſatur fortunæ, ſatur gloriæ.

Helmeſtadij x. April.

Anno 1663. *Sereniſſimæ Celſitud. Tuæ ad conſilia & obſequia devotiſſimus.*

LXXIV.

Inſerta Gratulationibus Natalis octogeſimi ſexti, editis VVolfenbutteli 1664.

AD EUNDEM.

FActum eſt quod vovi Deumque precatus ſum, Sereniſſime Princeps, Domine clementiſſime. Exactus jam eſt Serenitatis Tuæ annus octoagesimus quinctus ſine ullo valetudinis, ulloque priſtinæ fortunæ decremento. Quin imo vicit, ne quid diffitear, ipſammet ſpem meam Tua felicitas. Corpori ſanè additum aliquid novi roboris apparet, & animus viſus eſt recepiſſe nonnihil juvenilis etiam leporis. Nec vero vanum hujus rei indicium eſt, quod juſſu Tuo edi nonnullos feceris libellos, non ſacri duntaxat & ſeveri argumenti, ſed plenos etiam lepidæ elegantiæ: quibus non moroſior plerumque ſenectus ſed ætas adhuc viridis ſolet affici. Quo tamen nihil detractũ immenſis ſerijs illis negotijs, publicis pariter ac privatis: quibus peragendis ne centeſimus quidem juvenum par fuerit. Enimvero ceu antehac ita & elapſo anno, ipſe indefesſi laboris, miniſtrantium longe plurimos, quamvis animi corporiſque viribus validos & perquam ſolertes, perpetuâ magnarum rerũ curatione, defatigare unus haud ceſſaviſti. Quamvis etiam imminentis Turcici periculi magnitudinem, & Imperij male compoſitũ regimen, ad animum graviter prudenterq; revocaverit Serenisſima Celſitudo ac Sapientia Tua: minime tamen animum deſpondiſti, ſed cum arma ſocia jam tum hoſti Turco fortiter repo-

ſuit, tum generoſis & juſtis conſilijs labaſcentem rempublicam fulciviſti. Quod non eſſe ſenum ſolet, ſed ætatis vegetæ. Neque vero defuit tantis conatibus diſpar ſucceſſus: ſive armorum ſive conſiliorum felicitatem ſpectemus. Uſque adeo præſens ubique adfuit Numinis benignitas. Et verò nec domeſticis quidem rebus defecit ille divinus penè inſolens favor. Conjux, liberi, generi, nepotes, neptes, valentes florenteſque. Filia quæ ſola ſupererat innupta, Principi genere ac virtute plane conſimili, in connubium tradita eſt. Unius Nepotuli inopinatus obitus non nihil gaudij curſum corrupit; cum certâ tamen exſpectatione propediem reparandæ jacturæ. Interim vero & legibus prudentisſimis publicatis Aulæ judicium, quod vocatur, denuo ſapienter eſt conſtitutum: opus deſideratum ab annis compluribus. Nec augeri perpetuis incrementis AUGUSTA Bibliotheca deſiit, jampridem magnitudine & commodo uſu nulli in terrarum orbe temere ſecunda, pasſim certe in omnium admiratione. Univerſis autem hiſce æquâ lance cum quovis antegreſſorum annorum ponderatis, neſcio equidem an cui quintus ille octoageſimus ulla felicitatis parte debeat cedere. Quantum vero illud eſt, quod is annus adeo felicem Serenitatem Tuam quaſi tranſmittat in octogeſimum ſextum! Idque præſtet eo ipſo tempore, quo Reſurgentis Chriſti memoriam celebrantes, excitamur omnes in certam refloreſcentis à morte etiam vitæ exſpectationem? Præteritus certe ille annus vel hoc ipſo intelligentibus & bonis quibuſq; in hunc qui hodie incipit parem fortunam pollicetur. Bonis, inquam, & intelligentibus. Nec enim eſt quod moremur, vel eos, qui neſciunt quid ſit quaſi ſub alis vivere ejuſmodi Principis, vel eos, quorum iniquitati & malitiæ bonus Princeps gravis & moleſtus eſt. Deus Te porrò ſervet in hunc & multos alios annos, PRINCEPS OPTIME! De noſtris annis Tuos augeat Deus, ſi opus ſit AUGUSTE! Sis & impoſterum felix qualis antehac, Dux BEATISSIME! Stet inconcuſſa Sereniſſima

niſſima omnis domus Tua! Vivat, floreat, Tuus ille egregius Principum ſanguis! Hoc votum eſt intelligentium omnium. Has preces ſunt bonorum. Ita voveo, ita Deum obſecro, ego etiam

Helmeſtadii 10.
April. 1664.

Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ
ad Conſilia & obſequia ſanctâ fide devotiſſimus.

LXXV.

Inſerta Libello Gratulationum novi anni, edito VVolfenbutteli 1665.

AD EUNDEM.

Sereniſſime Dux, Princeps & Domine Clementiſſime.

PErgit in continuandâ felicitate Tua Optimus Maximus Deus. Namque, ut quod ſentio libere fatear, præteritus annus etiam mollius ſolito fluxiſſe mihi viſus eſt: adeo inoffenſo pede decurrit & valetudo pariter, & rerum omnium cum publicarum tum privatorum ſucceſſus. Omnium memoriam pleniorem decimus Aprilis proximus & animo & calamo ſuggeret: eòque nunc non niſi verbo gratulor tam feliciter exactum hunc annum. Simul autem Deum veneror, ut hunc quem jam incepimus annum aliosque complures inuſitatæ, Principum cumprimis ordini, longevitati Tuæ addat æque felices: idque cum reipublicæ tum & ſuorum bono. Ita obſecro

Helmeſtadij Kal. Jan.
Anno 1665.

Sereniſſ. Celſitud. Tuæ
devotiſſimus.

LXXVI.

Inſerta Libello Gratulationum Natalis Octogeſimi ſeptimi, edito VVolfenbutteli Anno 1665.

AD EUNDEM.

Sereniſſime Princeps Domine Clementiſſime.

VErba non invenio, quibus exprimam vel lætitiam quam animo peperit acceptum divinum beneficium, vel deſiderium novi impetrandi. Quî enim non impenſe læter; conſiderans, preces illas meas, quas

pro

pro incolumitate annua ipſo Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ natali ſexto poſt octogeſimum fudi, non exauditas duntaxat, ſed etiam quaſi auctario quodam divinitus mactatas eſſe? Enimvero id cumprimis in votis fuerat, uti in ſano corpore AUGUSTUS ille Serenitatis Veſtræ animus priſtinâ valeret ſapientia ac rerum agendarum dexteritate. Non hæc autem ſolùm evenere; ſed nacta quoque eſt Sereniſſima Veſtra Celſitudo & conjugem, & tres filios, & totidem filias, nepotes item neptesque undequaque felices. Et vero etſi illam numeris omnibus abſolutam felicitatem mors unius & alterius nepotuli nonnihil attentaverit, hoc tamen omne brevi compenſatum iri haud dubitamus. Quanta autem felicitas eſt, formidabili iſthoc bello Turcico ſolutam rempublicam, neque gravi aliquo epidemio morbo regionem hanc afflictam eſſe! Corrupit, fateor, nuper gaudia noſtra immaturus Agnati Principis obitus: ea tamen eſt Serenitatis Veſtræ prudentia & æquitate parta exiſtimatio, ut etiam illi quos maxime hæc tangit jactura, à veſtris conſilijs, tanquam à ſacra anchora, rebus dubijs & afflictis opem certam deſiderent, nos autem illam polliceri haud vereamur. Neque enim illo admirando ſuperſtite corporis animique robore ſpectato, quiſquam talium rerum gnarus, non & in futurum quoque annum parem fortunam, atque adeo gerendarum rerum proſperos ceu ante ſucceſſus, exſpectaverit. Quin imo & pium illud opus, quod raro exemplo Sereniſſima Celſitudo veſtra in Dei gloriam & Eccleſiæ commodum nunc meditatur, vetat ſequius quid metuere, priuſquam etiam illud fuerit ad finem perductum; quo ſcani ſcil. demum poſſit id: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace.* Ego ſane hoc Deum oro: hoc obſecro: hoc voveo: hoc ſpero: hoc certus ſcio. Vive Optime Princeps, proximum etiam ſeptimum atque octogeſimum annum, Eccleſiæ, reipublicæ, & tuorum omnium bono. Etſi tibimet ipſi dudum ſatis vixeris, ut tot vixiſti antegreſſos. Vince imo Neſtorem ætate, ut ſuperas pietate ac prudentia. Deo carus es AUGUSTE ſenex: ille exaudiet hæc etiam vota mea, ceu fecit hactenus. VVolfenbutteli in aula 10. April. Anno 1665.

Sereniſſimæ Celſitudini Veſtræ
devotiſſimus ad conſilia & obſequia.

FINIS.

Index

783432

Index Epiſtolarum quæ hoc volumine continentur.

I. *Ad Lectorem, præfixa libro Jacobi Berengarij Carpi de Fractura cranij.* Pag. 1.

II. *Ad G. Calixtum & Conradum Hornejum, præfixa Diſputationi de Origine formarum.* 2.

III. *Programma Academicum Laudationi Ariſtotelis additum.* 3.

IV. *Ad Arnoldum* Engelbrecht *Cancellarium, præmiſſa Laudationi primæ Ariſtotelis.* 7.

V. *Ad Caſpar. Barlæum præmiſſa Laudationi ſecundæ Ariſtotelis.* 10.

VI. *Ad Auguſtum Ducem Brunſvico-Lyneburg. præmiſſa Leſſo.* 13.

VII. *Ad Chriſtian. Ludovicum Brunſ. & Lyneburgenſium Ducem, præfixa Taciti libro de Moribus Germanor.* 14.

IIX. *Ad VVilhelmum Brunſvico-Lyneburgenſium Ducem, præfixa Politicorum Ariſtotelis Giphanianæ interpretationi.* 62.

IX. *Ad Danielem Sennertum, addita Paralipomenis.* 94.

X. *Ad VVilhelmum Erneſtum Schefferum, præmiſſa Exercitationibus de Fermentatione. Ibid.*

XI. *Ad Lectorem, præmiſſa opuſculo R. Capelluti de Peſte.* 98.

XII. *Ad Lectorem, præmiſſa Libro de Sanguinis generatione & motu naturali.* 100.

XIII. *Ad An. Soph. Viduam Brunſvico-Lyneburgicam, in eundem librum.* 106.

XIV. *Ad Ant. Apfelmannum, Joannem* Schwartzkopff/ *Juſtum Kipium, & Jacobum Lampadium, in primam editionem libri De Origine Iuris.* 108

XV. *Ad Auguſtum Ducem Brunſvico-Lyneburgenſium in librum De Germanorum Imperio Romano.* 125.

XVI. *In eundem librum ad Lectorem.* 130.

XVII. *Ad Vlricum Oſtfriſiæ Comitem, in primam editionem Libri de Habitu Corporum Germanicorum.* 132.

XIIX. *In librum de Calido Innato, ad Marcum Aurelium Severinum.* 135.

XIX. *In Leonis III Papæ Epiſtolas ad Fridericum* Schenck à Win-
terſted. *139.*
XX. *In Animadverſiones de Purgatorio ad Juſtum Geſenium.* *147.*
XXI. *In libellum de Pace Irenæi Eubuli nomine editum.* *148.*
XXII. *Ad Joann. Henr. Meibomium, in Adverſaria Chronologica de Aſiæ & AEgypti antiquiſſimis dynaſtiis.* *149.*
XXIII. *In Obſervationes Medicas, Ph. Salmuthi ad Ioannem Behrens & Theodorum Conerdingium.* *152.*
XXIV. *In librum de Hermetica AEgyptiorum vetere & Paracelſicorum nova medicina, ad Ioannem Epiſcopum Lybecenſem.* *166.*
XXV. *In Th. Fieni libellos chirurgicos ad Ioan. Nic.* Lilienſtröm. *170.*
XXVI. *In editionem alteram libri de Origine Iuris Germanici ad Georg. VVilhelmum Ducem Brunſvico-Lyneburgenſem.* *149.*
XXVII. *In eandem editionem, ad Lectorem.* *182.*
XXIIX. *In libellum de Fumo Lithargyrij ad Sam. Stockhuſium.* *183.*
XXIX. *Ad Iordanum, in librum De eo quod eſt morbis divinum.* *186.*
XXX. *Eidem libro præfixa ad Eundem.* *188.*
XXXI. *In Viam regiam VVicelij ad Ioan. Adelerum Salvium.* *189.*
XXXII. *In librum de Antiquitatibus Academicis ad Chriſt. Ludovicum Ducem.* *205.*
XXXIII. *In eundem librum ad Lectorem.* *207.*
XXXIV. *Ad Fridericum Holſatiæ Ducem, in librũ de Purgatorio.* *209.*
XXXV. *In eundem librum ad Lectorem.* *210.*
XXXVI. *Ad N. Benſenium in librum illius De Summæ poteſtatis ſubjecto.* *212.*
XXXVII. *Ad Ducem Rudolph. Auguſtum in Librum de Electione Vrbani octavi & Innocentij decimi Pontificum.* *215.*
XXXIIX. *In eundem Librum, ad Lectorem.* *247.*
XXXIX. *Ad Thomam Bartholinum, inſerta illius Epiſtolis Medicis.* *249.*
XL. *Ad I H. Meibomium inſerta Introductioni in Artẽ Medicam.* *252.*
XLI. *In alteram editionem Libri de Habitu corporum Germanicorum, ad Ennonem Ludovicum, Georgium Chriſtianum, ac Edzar-*

ac Edzardum Ferdinandum, Oſtfriſiæ Comites fratres. 258.
XLII. *In opus de Finibus Imperij Germanici, ad Fridericum VVilhelmum Electorem Brandenburgenſem.* 258.
XLIII. *In opus idem ad Lectorem.* 259.
XLIV. *In Concuſſionem Fidei Pontificiæ ad Henricum L. Bar. à Frieſen.* 264.
XLV. *Ad Rabanum à Kanſtein, in Defenſionem Eccleſiæ Proteſtantium adverſum ſophiſmata à ſucceſſione Epiſcoporum & presbyterorum petita.* 267.
XLVI. *In Epiſtolam Clementis Romani ad Corinthios, ad I. I. Maderum.* 269.
XLVII. *In Archiepiſcopi Mechlinienſis Epiſtolam, ad Lectorem.* 275.
XLIX. *In H. I Mithobij libellum de Controverſiis Sueco-Polonicis, ad Lectorem.* 281.
L. *In Libellum de Cauſſis juſtificis armorum Suecicorum in Polonos, ad Lectorem.* 284.
LI. *In Ioach. Hopperum de Vera juriſprudentia, ad Henricum* Langenbeck. 286.
LII. *In Iſagogen Piccarti ad lectionē Ariſtotelis, ad I. C. Dürrium.* 323.
LIII. *Ad Chr. Caſp L. Bar. de* Blumenthal/ *in Malthiam B. Niderſtedij.* 328.
LIV. *Ad Gerb. Titium in Caſtigationem Animadverſionum Erbermanni.* 332.
LV. *Ad Henricum Meibomium in Opuſcula Hiſtorica avi H. Meibomij.* 358.
LVI. *Ad P. Lambecium de Libro ejus ſecundo Rerum Hamburgenſium.* 365.
LVII. *In Metrophanis Confeſſionē Eccleſiæ Græcæ ad I. Hornejum.* 367.
LIIX. *In B. Viotti libros de Demonſtratione, ad A. Frölingium.* 387.
LIX. *In P. Cluverij Introductionem Geographicam, ad Ioannem Bunonem.* 402.
LX. *Ad I. Henricum Hottingerum addita ejus libro de Cippis & Nummis Ebræorum.* 415.

LXI. In

LXI. In Commentarium Græcorum aliquot Ethicorum Nicomachiorum; ad S. Rachelium. 418.
LXII. In Epitomen Germaniæ Antiquæ Cluverianæ ad I. Bunonem. [illegible]
LXIII. In Obſervationes Medicas de Peſte, ad Laurentium Giſelerum. 427.
LXIV. Ad I.G. Schottelium, in illius opus de Lingua Germanica. 431.
LXV. Ad I. Henichium, in librum illius de Gratia & Prædeſtinatione. 443.
LXVI. In Literas Lud. Montaltij, ad Sam. Rachelium. 454.
LXVII. Ad G. Caſp. Kirchmajerum, in Commentarium illius ad Tacitum de moribus Germanorum. 464.
LXIIX. Ad Ioan. Henichium, in ipſius Inſtitutiones Theologicas. 468.
LXIX. Ad Ducem Auguſtum in Natalem octogeſimum ſecundum. 470.
LXX. Ad Eundem in Natalem octogeſimum tertium. 471.
LXXI. Ad Eundem gratulatoria anni novi Chriſtiani ſexageſimi ſecundi. 472.
LXXII. Ad Eundem gratulatio Natalis octogeſimi quarti. 473.
LXXIII. Ad Eundem in Natalem octogeſimum quintum. 475.
LXXIV. Ad Eundem in Natalem octogeſimum ſextum. 477.
LXXV. Ad Eundem gratulatio novi anni Chriſtiani ſexageſimi quinti. 479.
LXXVI. Ad Eundem gratulatio Natalis octogeſimi ſeptimi. 479.

EMENDANDA.

Pag. 1. lin 4. *ἀιωνύμως*, p. 34. l. 8. *hiſtorica* per p. 53. l. 23. quadam *poſtremum*. p. 51. l. 2. aut *Scytharum* p. 59. l. 17. aut *Rhenus* p. 61. l. 22. Oligarchias *ut ita dixerim Optimatum* in Noriberga. p. 115. l. 10. ſi *poßit* p. 120. l. 27. fundamenta *ſubverterit* p. 149. l. 15. commentarios, *quibus*, more p. 150. l. 21. adeo *idoneus* p. 166. l. 5. *AEgyptiorum* p. 230. l. 9. didicerit *ſaltim* p. 251 l. 11. *ἐξαιμάτωσιν* p. 254. l. 2. Hiſtoria *ſucceſſuum* l. 21. huic *ſtuduiſſe* p. 302. l. 13. *tantùm* non p. 312. l. 15. ſive Civilis Philoſophiæ p. 348. l. 13. *mendacia* p. 351. l. 26. Viti *mendacium* p. 388. l. 29. *Theophraſti* p. 389. l. 13. *ſecundum* latas. p. 433. l. 17. *φαινομένην* pag. 452, lin. 4. *ſatiant*.